AD NUEVO LEON
UAN
DAD AUTÓNOMA DE NUE
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

VIRGILI
Ad Usum
Delphini

PA6801
.A2
1764
v.1
c.1

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
1080044781

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

# P. VIRGILII MARONIS OPERA.

INTERPRETATIONE ET NOTIS

*ILLUSTRAVIT*

CAROLUS RUÆUS Soc. Jeſu

AD USUM SERENISSIMI DELPHINI.

*EDITIO NOVA AUCTIOR ET EMENDATIOR,*

*Cui acceſſit Index accuratiſſimus, omnibus Numeris & Concordantiis abſolutus,*

Juxta Editionem tertiam Pariſienſem A. 1726.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS MDCCLXIV.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

*SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
46528
UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO

BMU Raúl Rangel Frías
UANL
FONDO



# PRÆFATIO.

FUit iis hominibus, qui ſcripta veterum explanarunt, hoc in omni ætate familiare vitium, ut ſe primum, auctorem deinde ſuum, illuſtrandos ornandoſque ſuſceperint; eos, quorum ſcriberent gratia, nullo admodum in loco ac numero habuerint. Aut enim ſcribere otioſis videntur voluiſſe, quibus ad libelli intelligentiam interdum ſatis exigui multa & magna commentationum volumina placere poſſent; aut eruditis viris & maximarum rerum cognitione jam imbutis, qui levia & communia faſtidirent. Qui vero primos juvenum conatus adjuvare non a ſua dignitate alienum duceret, vix e tota Interpretum gente unus atque alter inventus eſt. Idcirco hanc partem, prope depoſitam a cæteris, tanto ſtudioſius ſuſcipi voluit, qui eſt ab Rege Chriſtianiſſimo Sereniſſimi Delphini inſtitutioni præpoſitus, Illuſtriſſimus Montauſerii Dux, quanto regii alumni indolem ad pernoſcenda veterum opera propenſiorem videbat: atque ut Princeps optimus prodeſſe jam tum inciperet ſuis, & orbis utilitati natum ſe intelligeret, hæc privatorum ejus ſtudiorum qualiacumque ſubſidia, publica facere etiam viſum eſt.

His ego auctoribus ac ducibus, in hac Virgilii explanatione, præter brevitatis nitoriſque ſtudium, id imprimis mihi propoſui, publicis commodis, non meæ me laudi ſervire. Igitur verſibus interpretationem, notas interpretationi ſubjeci. Et eum quidem interpretationis optimum eſſe duxi modum, primum ut eſſet continua; ne, dum omitto facilia, nonnulla etiam, ut fit, difficilia præterirem: tum ut expedita poeticis numeris verſuum ſententia redderetur, plano rectoque ordine, verbis totidem aliis; ut præter vim ſenſumque verborum, etiam eorum copia compararetur. In notis neglexi nihil, cujus in legendo Virgilio uſus eſſe aliquis poſſet, nihil ad ſolam literaturæ oſtentationem uſurpavi.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Atque id quidem mihi a ſummis viris impoſitum quanta fide perfecerim, declarabit fructus, ut ſpero, non mediocris inde percipiendus. Quam ſit autem ſcite prudenterque inſtitutum, ex iiſdem ipſis conſilii auctoribus exiſtimare jam nunc licet. Qui enim in informandis maximi Principis moribus tantam, non civilis modo militariſque prudentiæ, ſed literatæ etiam ſapientiæ vim præ ſe ſemper tulit, Carolus Sanctamauræus Montauſerii Dux; potuitne ad eamdem ſapientiam parum tutum ac facilem ipſi aditum aperire? Potuit ad veram eruditionem non optima quæque præſidia conquirère vir divinis humaniſque doctrinis excultiſſimus, Epiſcopus Condomienſis, Jacobus Benignus Boſſuetius? Horum ego monitis, auctoritati, prudentiæ non decederem, quibus Rex ſapientiſſimus ſuas regnique ſui ſpes omnes unice commiſit? Præſertim cum curis meis conſilia plerumque accederent Petri Danielis Huetii, cujus in moderandis Sereniſſimi Principis ſtudiis ſecundæ ſunt partes. Is, cum & doctrinæ fama multum apud cæteros, & morum ſuavitate plus apud me aliquid poſſit; effecit amicitiæ ſuæ lenociniis, communicatis etiam mecum notis in Virgilium quibuſdam ſuis, ne tanto me operi omnino imparem putarim.*

*In quo quid præter alios Interpretes præſtiterim, facile intelliget, quiſquis eos aliquando attigerit: quorum quidem errores notare nolim aſperius, qui excuſari meos peto. Sane opera non inutilis a me poſita eſt in explicandis ex fide hiſtoriæ compluribus locis, obſcuris prius, aut parum feliciter enodatis: advocata etiam interdum ſubſidia aliarum artium ac diſciplinarum, ne Grammaticum egiſſe tantum dicerer: quibus tamen in ſingulis ſi cui videbor nimis preſſe ſtricteque verſatus, cujuſmodi querelæ iam ad me delatæ ſunt; is me, non Geographum, aut Philoſophum, aut Rhetorem, ſed Virgilii Interpretem intelligat.*

*Hac tertia editione, tum alia multa, quæ primis curis exciderant, adjecta aut emendata; tum vero imprimis textus ipſe Virgilii multis in locis, ex fide Nic. Heinſii, reſtitutus, cum ille noviſſimam editionem ſuam ex MSS. triginta diligentiſſime contexuerit. Cujus viri omnibus, qui litteras amant, luctuoſa mors; memoria cara ſemper & jucunda futura eſt.*





# VITA
## INCERTO AUCTORE,
### *Quem aliqui* DONATUM *falſo putant.*

PUblius Virgilius Maro parentibus modicis fuit, & præcipue patre Marone: quem quidam opificem figulum; plures, Magi cujuſdam viatoris initio mercenarium, mox ob induſtriam generum tradiderunt: quem cum agricolationi reique ruſticæ & gregibus præfeciſſet ſocer, ſilvis coemundis & apibus curandis reculam auxit. Natus eſt, Cn. Pompejo Magno, & M. Licinio Craſſo primum Coſſ. Iduum Octobrium die, in pago, qui Andes dicitur, qui eſt a Mantua non procul. Prægnans mater Maia, cum ſomniaſſet enixam ſe laureum ramum, quem compactum terræ coaluiſſe, & excreviſſe illico in ſpeciem maturæ arboris, refertæ variis pomis & floribus, cerneret: ſequenti luce cum marito rus propinquum petens, ex itinere divertit, atque in ſubjecta foſſa partu levata eſt. Ferunt infantem, ut fuit editus, nec vagiſſe, & adeo miti vultu fuiſſe, ut haud dubiam ſpem proſperioris genituræ jam tum indicaret. Et acceſſit aliud præſagium. Siquidem virga populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta, ita brevi coaluit, ut multo ante ſatas populos adæquarit: quæ arbor Virgilii ex eo dicta, atque conſecrata eſt, ſumma gravidarum & fœtarum religione, ſuſcipientium ibi & ſolventium vota.

Initia ætatis, id eſt, uſque ad ſeptimum annum, Cremonæ egit: & XVII. anno virilem togam cepit, illis Conſulibus iterum, quibus natus erat. Evenitque ut eo ipſo die Lucretius poeta decederet. Sed Virgilius Cremona Mediolanum, & inde paullo poſt Neapolim tranſiit: ubi cum litteris & Græcis & Latinis vehementiſſimam operam dediſſet, tandem omni cura omnique ſtudio indulſit Medicinæ & Mathematicis. Quibus rebus cum ante alios eruditior peritiorque eſſet, ſe in urbem contulit: ſtatimque magiſtri ſtabuli equorum Auguſti amicitiam nactus, multos varioſque morbos incidentes equis curavit. At Auguſtus in mercedem ſingulis diebus panes Virgilio, ut uni ex ſtabulariis, dari juſſit. Interea a Crotoniatis pullus equi miræ pulchritudinis Cæſari dono fuit miſſus, qui omnium judicio ſpem portendebat virtutis & celeritatis immenſæ. Hunc cum aſpexiſſet Maro, magiſtro ſtabuli dixit, natum eſſe ex

morboſa equa, & nec viribus valiturum, nec celeritate: idque ve-
rum fuiſſe inventum eſt. Quod cum magiſter ſtabuli Auguſto re-
citaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes juſſit. Cum item ex Hiſ-
pania Auguſto canes dono mitterentur, & parentes eorum dixit
Virgilius, & animum celeritatemque futuram. Quo cognito, man-
dat iterum augmentari Virgilio panes.

Dubitavit Auguſtus, Octaviine filius eſſet, an alterius: idque Ma-
ronem aperire poſſe arbitratus eſt, quia canum & equi naturam pa-
renteſque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in pe-
nitiorem partem domus vocat, & ſolum rogat, an ſciat quiſnam
eſſet, & quam ad felicitandos homines facultatem haberet. Novi,
inquit Maro, te Cæſarem Auguſtum, & ferme æquam cum Diis im-
mortalibus poteſtatem habere ſcio, ut quem vis felicem facias. Eo
animo ſum, reſpondit Cæſar, ut ſi verum pro rogatu dixeris, bea-
tum te feliceinque reddam. Utinam, ait Maro, interroganti tibi
vera dicere queam. Tunc Auguſtus: Putant alii me natum Octavio:
quidam ſuſpicantur alio me genitum viro. Maro ſubridens: Facile,
inquit, ſi impune licenterque quæ ſentio loqui jubes, id dicam.
Affirmat Cæſar jurejurando, nullum ejus dictum ſe ægre laturum:
immo non niſi donatum ab eo diſceſſurum. Ad hæc oculos oculis
Auguſti infigens Maro: Facilius, ait, in cæteris animalibus qua-
litates parentum Mathematicis & Philoſophis cognoſci poſſunt; in
homine nequaquam poſſibile eſt. Sed de te conjecturam habeo ſimi-
lem veri, ut quid exercuerit pater tuus, ſcire poſſim. Attente ex-
pectabat Auguſtus quidnam diceret. At ille: Quantum ego rem in-
telligere poſſum, piſtoris filius es, inquit. Obſtupuerat Cæſar, &
ſtatim quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens
Virgilius: Audi, inquit, quo pacto id conjicio. Cum quædam enun-
tiaverim prædixerimque, quæ intelligi ſcirique non niſi ab erudi-
tiſſimis ſummiſque viris potuiſſent, tu Princeps orbis iterum & ite-
rum panes in mercedem dari juſſiſti: quod quidem aut piſtoris, aut
nati piſtore, officium erat. Placuit Cæſari facetia. At deinceps,
inquit Cæſar, non a piſtore, ſed a rege magnanimo dona feres.
Illumque plurimi fecit, & Pollioni commendavit.

Corpore & ſtatura fuit grandi, aquilino colore, facie ruſticana, valetudine varia: nam plerumque ab ſtomacho & faucibus ac dolore capitis laborabat: ſanguinem etiam ſæpius ejecit. Cibi vinique minimi. Fama eſt eum libidinis pronioris in pueros fuiſſe; ſed boni ita eum pueros amaſſe putaverunt, ut Socrates Alcibiadem, & Plato

suos



ſuos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem, & Alexandrum, quem ſecunda Bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum ſibi ab Aſinio Pollione. Utrumque non ineruditum dimiſit: Alexandrum Grammaticum, Cebetem vero & poetam. Vulgatum eſt, conſueviſſe eum cum Plotia Hieria. Sed Aſconius Pædianus affirmat, ipſum poſtea minoribus natu narrare ſolitum, invitatum quidem ſe a Vario ad communionem mulieris, verum ſe pertinaciſſime recuſaſſe. Cætera ſane vita, & ore, & animo, tam probum fuiſſe conſtat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellaretur: ac, ſi quando Romæ, quo rariſſime commeabat, viſeretur, in publico ſectantes demonſtranteſque ſe, ſubterfugere ſolitum in proximum tectum. Bona autem cujusdam exulantis, offerente Auguſto, non ſuſtinuit accipere. Poſſedit prope centies ſeſtertium ex liberalitatibus amicorum. Habuitque domum Romæ in Exquiliis, juxta hortos Mæcenatis; quamquam ſeceſſu Campaniæ Siciliæque plurimum uteretur. Quæcunque ab Auguſto peteret, repulſam nunquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos jam grandis amiſit: ex quibus, patrem oculis captum, & duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum jam adultum, cujus exitum ſub nomine Daphnidis deflet. Inter cætera ſtudia, ut ſupra diximus, Medicinæ quoque, ac maxime Mathematicæ operam dedit. Egit & cauſam unam omnino, nec amplius quam ſemel. Sermone tardiſſimum, ac pene indocto ſimilem fuiſſe, Meliſſus tradidit.

Poeticam puer adhuc auſpicatus, in Baliſtam ludi gladiatorii magiſtrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, diſtichon fecit:

*Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus:*
*Nocte, die, tutum carpe, viator, iter.*

Deinde Catalecton, & Moretum, & Priapeia, & Epigrammata, & Diras, & Culicem, cum eſſet annorum quindecim: cujus materia talis eſt. Paſtor fatigatus æſtu, quum ſub arbore obdormiſſet, & ſerpens ad illum proreperet e palude, culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit paſtori. At ille continuo culicem contrivit, & viſum ſerpentem interemit, ac ſepulcrum culici ſtatuit, & diſtichon fecit:

*Parve culex, pecudum cuſtos tibi tale merenti*
*Funeris officium vitæ pro munere reddit.*

Scripſit etiam, de qua ambigitur, Ætnam. Et mox, cum res Romanas inchoaſſet, offenſus materia, & nominum aſperitate, ad Bucolica tranſiit: maxime ut Aſinium Pollionem, Alphenum Varum, & Cor-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

& Cornelium Gallum celebraret; quia in diſtributione agrorum, qui poſt Philippenſem victoriam veteranis Triumvirorum juſſu trans Padum dividiebantur, indemnem ſe præſtitiſſent. Deinde Georgica in honorem Mæcenatis edidit: cum ſibi vixdum noto opem tuliſſet adverſus Claudii veterani militis, vel ut alii putant, Arii Centurionis violentiam: a quo in altercatione litis agrariæ parum abfuit quin occideretur. Noviſſime autem Æneidem aggreſſus eſt, argumentum varium & multiplex, & quaſi amborum Homeri carminum inſtar: præterea nominibus, ac rebus, Græcis Latiniſque, commune: & in quo, quod maxime ſtudebat, Romanæ ſimul urbis & Auguſti origo contineretur. Cum Georgica ſcriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos verſus dictare ſolitus, ac per totum diem retractando ad pauciſſimos redigere: non abſurde carmen ſe urſæ more parere dicens, & lambendo demum effingere. Æneida proſa prius oratione formatam, digeſtamque in duodecim libros, particulatim componere inſtituit, ut quidam tradunt. Alii ejus ſententiæ ſunt, ut exiſtiment eum, ſi diutius vixiſſet, quatuor & viginti libros uſque ad Auguſti tempora ſcripturum; atque alia quidem percurſurum, Auguſti vero geſta diligentiſſime executurum: quippe qui dum ſcriberet, ne quid impetum moraretur, quædam imperfecta reliquit: alia leviſſimis verſibus ſcripſit, quos per jocum pro tigillis vel tibicinibus interponi a ſe dicebat, ad ſuſtinendum opus, donec ſolidæ columnæ advenirent.

Bucolica triennio, Aſinii Pollionis ſuaſu, perfecit. Hic Tranſpadanam provinciam regebat: cujus favore, cum veteranis Auguſti militibus Cremonenſium & Mantuanorum agri diſtribuerentur, ſuos Virgilius non amiſit. Facta enim diſtributione, ſuos, ſeu Claudio ſeu Ario datos, recuperavit. Hunc Pollionem maxime amavit Maro, & dilectus ab eo magna munera tulit: quippe qui invitatus ad cœnam, captus pulchritudine & diligentia Alexandri Pollionis pueri, eum dono accepit. Hujus Pollionis filium C. Aſinium & Cornelium Gallum, oratorem clarum, & poetam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius. Is tranſtulit Euphorionem in Latinum, & libris quatuor amores ſuos de Cytheride ſcripſit. Hic primo in amicitia Cæſaris Auguſti fuit: poſtea in ſuſpicionem conjurationis contra illum adductus, occiſus eſt. Verum uſque adeo hunc Gallum Virgilius amarat, ut quartus Georgicorum a medio uſque ad finem ejus laudem contineret; quem poſtea, jubente Auguſto, in Ariſtæi fabulam commutavit.

Georgica ſeptennio Neapoli: Æneida partim in Sicilia, partim in Campania undecim annis confecit. Bucolica eo ſucceſſu edidit, ut

in ſce-



in ſcena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur. At cum Cicero quoſdam verſus audiſſet, & ſtatim acri judicio intellexiſſet non communi vena editos, juſſit ab initio totam Eclogam recitari: quam cum accurate pernotaſſet, in fine ait, *Magnæ ſpes altera Romæ*: quaſi ipſe linguæ Latinæ ſpes prima fuiſſet, & Maro futurus eſſet ſecunda. Quæ verba poſtea Æneidi ipſe inſeruit.

Georgica, reverſo ab Actiaca victoria Auguſto, atque reficiendarum virium cauſa Atellæ commoranti, per continuum quatriduum legit, ſuſcipiente Mæcenate legendi vicem, quoties interpellaretur ipſe vocis offenſione. Pronunciabat autem maxima cum ſuavitate, & lenociniis miris. Seneca tradidit, Julium Montanum poetam ſolitum dicere, involaturum ſe quædam Virgilio, ſi & vocem poſſet, & os, & hypocriſim: eoſdem enim verſus, eo pronunciante, bene ſonare; ſine illo inareſcere, quaſi mutos. Æneidos vixdum cœptæ tanta extitit fama, ut Sext. Propertius non dubitarit ſic prædicare:

*Cedite Romani ſcriptores, cedite Graii:*
*Neſcio quid majus naſcitur Iliade.*

Auguſtus vero, cum tum forte expeditione Cantabrica abeſſet, & ſupplicibus atque minacibus per jocum literis efflagitaret, ut ſibi de Æneide, ut ipſius verba ſunt, vel primas carminis hypographas, vel quodlibet colon mitteret, negavit ſe facturum Virgilius. Cui tamen multo poſt, perfecta demum materia, tres omnino libros recitavit: ſecundum videlicet, quartum, & ſextum. Sed hunc præcipue ob Octaviam; quæ cum recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus, *tu Marcellus eris*, defeciſſe fertur: atque ægre refocillata, dena ſeſtertia pro ſingulo verſu Virgilio dari juſſit. Recitavit & pluribus: ſed neque frequenter, & ferme illa de quibus ambigebat, quo magis judicium hominum experiretur. Erotem librarium & libertum ejus, exactæ jam ſenectutis, tradunt referre ſolitum quondam in recitando eum duos dimidiatos verſus compleſſe ex tempore; & huic, *Miſenum Æolidem*, adjeciſſe, *quo non præſtantior alter*. Item huic, *Ære ciere viros*, ſimili calore jactatum ſubjunxiſſe, *Martemque accendere cantu*: ſtatimque ſibi imperaſſe, ut utrumque volumini adſcriberet.

Bucolica Georgicaque emendavit. Anno vero quinquageſimo ſecundo, ut ultimam manum Æneidi imponeret, ſtatuit in Græciam & Aſiam ſecedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare: ut in reliqua vita tantum Philoſophiæ vacaret. Sed cum ag-



greſ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

greſſus iter, Athenis occurriſſet Auguſto ab Oriente Romam revertenti, una cum Cæſare redire ſtatuit. At cum Megara, vicinum Athenis oppidum, viſendi gratia peteret, languorem nactus eſt: quem non intermiſſa navigatio auxit, ita ut gravior in dies, tandem Brunduſium adventarit: ubi diebus paucis obiit, decimo Calend. Octobris, Cn. Plautio, & Q. Lucretio, Coſſ. Qui cum gravari morbo ſeſe ſentiret, ſcrinia ſæpe & magna inſtantia petivit, crematurus Æneida: quibus negatis, teſtamento comburi juſſit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verum Tucca & Varius monuerunt, id Auguſtum non permiſſurum. Tunc eidem Vario ac ſimul Tuccæ ſcripta ſub ea conditione legavit, ne quid adderent quod a ſe editum non eſſet, & verſus etiam imperfectos, ſi qui erant, relinquerent. Voluit etiam ejus oſſa Neapolim transferri, ubi diu, & ſuaviſſime vixerat: ac extrema valetudine hoc ipſe ſibi epitaphium fecit diſtichon:

*Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc*
*Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.*

Translata igitur juſſu Auguſti ejus oſſa, prout ſtatuerat, Neapolim fuere, ſepultaque via Puteolana, intra lapidem ſecundum: ſuoque ſepulcro id diſtichon, quod fecerat, inſcriptum eſt. Hæredes fecit ex dimidia parte, Valerium Proculum, fratrem ex altero patre: ex quarta Auguſtum: ex duodecima Mæcenatem: ex reliqua L. Varium, & Plotium Tuccam, qui ejus Æneidem poſt obitum, prout petiverat, juſſu Cæſaris emendaverunt. Nam nullius omnino ſententia crematu Æneis digna viſa fuit, de qua re Sulpicii Carthaginienſis extant hujuſmodi verſus.

*Juſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis*
*Virgilius, Phrygium quæ cecinere ducem.*
*Tucca vetat, Variuſque ſimul: tu, maxime Cæſar,*
*Non ſinis, & Latiæ conſulis hiſtoriæ.*
*Infelix gemino cecidit prope Pergamus igni,*
*Et pene eſt alio Troja cremata rogo.*

Extant & Auguſti de ipſa eadem re verſus plures & clariſſimi, quorum initium eſt:

*Ergone ſupremis potuit vox improba verbis*
*Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,*
*Magnaque doctiloqui morietur muſa Maronis?*

Et paulo poſt:

*Sed legum ſervanda fides: ſuprema voluntas*

Quod



*Quod mandat, fierique jubet, parere neceſſe eſt.*
*Frangatur potius legum veneranda poteſtas,*
*Quam tot congeſtos nocteſque dieſque labores*
*Hauſerit una dies.* — Et ea quæ ſequuntur.

Nil igitur auctore Auguſto Varius addidit, quod & Maro præceperat: ſed ſummatim emendavit: ut qui verſus etiam imperfectos, ſi qui erant, reliquerit. Hos multi mox ſupplere conati, non perinde valuerunt: ob difficultatem, quod omnia fere apud eum hemiſtichia, præter illud, *Quem tibi jam Troja peperit*, ſenſum videntur habere perfectum. Niſus Grammaticus audiſſe ſe a ſenioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutaſſe; & qui tum ſecundus erat, in tertium locum tranſtuliſſe: etiam primi libri correxiſſe principium, his demptis verſibus:

*Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena*
*Carmen, & egreſſus ſilvis, vicina coegi*
*Ut quamvis avido parerent arva colono;*
*Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis*
*Arma virumque cano.*

Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt, nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis, innominatus quidam reſcripſit Antibucolica, duas modo Eclogas, ſed inſulſiſſime παρῳδήτας, quarum prioris initium eſt:

*Tityre, ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?*

Sequentis:

*Dic mihi, Damœta, cujum pecus? anne Latinum?*
*Non; verum Ægonis: noſtri ſic rure loquuntur.*

Alius, recitante eo ex Georgicis, *Nudus ara, ſere nudus*, ſubjecit, *habebis frigora, febrem.*

Eſt & adverſus Æneida liber Carbilii Pictoris, titulo Æneidomaſtix. M. Vipranius eum a Mæcenate ſuppoſitum, appellabat novæ κακοζηλίας repertorem: dicebatque neque tumidum eſſe, neque exilem; ſed communibus verbis opus illud confeciſſe. Herennius vitia ejus tantum contraxit, Petilius Fauſtinus furta. Sunt & Q. Octavii Aviti volumina: quibus annotatur, quos & unde verſus tranſtulerit. Aſconius Pædianus, libro quem contra obtrectatores Virgilii ſcripſit, pauca admodum ei objecta proponit: & potiſſimum quod non recte hiſtoriam contexuit, & quod pleraque ab Homero ſumpſit. Sed hoc crimen ſic defendere aſſuetum ait: Cur non illi quoque eadem furta tentarent? verum intellecturos, faci-

** 2 lius

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lius eſſe Herculi clavam, quam Homero verſum ſurripere. Et tamen deſtinaſſe ſecedere, ut omnia ad ſatietatem malevolorum decideret. Refert etiam Pædianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuiſſe, & uſque adeo invidiæ expertem, ut ſi quid erudite dictum inſpiceret alterius, non minus gauderet ac ſi ſuum fuiſſet: neminem vituperare: laudare bonos: ea humanitate eſſe, ut niſi perverſus maxime, quiſque illum non diligeret modo, ſed amaret. Nihil proprii habere videbatur. Ejus bibliotheca non minus aliis doctis patebat, ac ſibi: illudque Euripidis antiquum ſæpe uſurpabat: *τὰ τῶν φίλων κοινά*, *communia eſſe amicorum omnia*. Quare coævos omnes poetas ita adjunctos habuit, ut cum inter ſe plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent, Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anſer vero, quoniam Antonii partes ſequutus eſt, illum non obſervaſſe dicitur. Cornificius ob perverſam naturam illum non tulit. Gloriæ vero adeo contemptor fuit, ut cum quidam verſus quoſdam ſibi adſcriberent, eaque de re docti haberentur, non modo ægre non ferebat, immo voluptuoſum id ſibi erat. Cum enim diſtichon, quod laudem felicitatemque Auguſti continebat, feciſſet, valviſque non nominato auctore infixiſſet, id erat ejuſmodi:

*Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane:*
*Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.*

Diu quæritans Auguſtus, cujuſnam hi verſus eſſent, eorum auctorem non inveniebat. Bathyllus vero, poeta quidam mediocris, tacentibus aliis, ſibi adſcripſit. Quamobrem donatus honoratuſque a Cæſare fuit. Quod æquo animo non ferens Virgilius, iiſdem valvis affixit quater hoc principium: *Sic vos non vobis*. Poſtulabat Auguſtus ut hi verſus complerentur. Quod cum fruſtra aliquî conati eſſent, Virgilius præpoſito diſticho ſic ſubjunxit;

*Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.*
*Sic vos non vobis nidificatis aves.*
*Sic vos non vobis vellera fertis oves.*
*Sic vos non vobis mellificatis apes.*
*Sic vos non vobis fertis aratra boves.*

Quo cognito aliquandiu Bathyllus Romæ fabula fuit, Maro vero exaltatior. Cum is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret, reſpondit, ſe aurum colligere de ſtercore Ennii. Habet enim poeta ille egregias ſententias, ſub verbis non multum ornatis. Interroganti Auguſto quo pacto feliciter civitas gu-

her-



bernaretur: Si, inquit, prudentiores temonem tenuerint, & boni
malis præponantur: itaque optimi ſuos habeant honores, nulli ta-
men aliorum injuſti quicquam fiat. At Mæcenas: Quid, inquit,
Virgili, ſatietatem homini non affert? Omnium rerum, reſpondit,
aut ſimilitudo aut multitudo ſtomachum facit, præter intelligere.
Idem interrogavit quo pacto quis altam felicemque fortunam ſuam
ſervare poſſet. Cui Maro: Si quantum honore ac divitiis aliis præ-
ſtantior ſit, tanto liberalitate & juſtitia alios ſuperare nitatur. So-
litus erat dicere, nullam virtutem commodiorem homini eſſe patien-
tia, ac nullam aſperam adeo eſſe fortunam, quam prudenter patiendo
vir fortis non vincat. Quam ſententiam in quinto Æneidos inſeruit;

*Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque, ſequamur:*
*Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.*

Cum quidam ejus amicus Cornificii in eum maledicta & inimici-
tias ſibi narraret: Quam putas, inquit, eſſe hujuſce malevolentiæ
cauſam? nam neque unquam Cornificium offendi, & eum amo. An,
inquit, Heſiodi ſententiæ non meminiſti, ubi ait, architectum ar-
chitecto invidere, & poetam poetæ? De malis, inquit, Græcus ille
intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum mea lau-
de & gloria vindictam in manu habeo. Majore enim cura virtuti
intendam: atque quo elegantior ego fiam, eo vehementius invidia
rumpetur. Erat Auguſto familiaris Filiſtus quidam, orator, & poeſin
mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat: qui-
que omnium omnia dicta reprehendere conabatur, non ut verum
dignoſceret, quod Socrates facere conſuevit, ſed ut eruditior vide-
retur. Hic Virgilium, ubicumque convenire dabatur, maledictis
ſalibuſque vexabat. Quare ille ſæpe, aut tacibundus diſcedebat, aut
ſuffuſus pudore tacebat. Verum cum Auguſto audiente elinguem il-
lum diceret, & cauſam etiam ſuam, ſi linguam haberet, defendere
nequire: Tace, inquit, rabula. Nam hæc mea taciturnitas defen-
ſorem cauſarum mearum Auguſtum fecit, & Mæcenatem: & ea tu-
ba, cum volo, loquor, quæ ubique & diutiſſime audietur. Tu lo-
quacitate non modo aures hominum, ſed muros rumpis. Auguſtus
vero Filiſtum gravi vultu increpavit. Tunc Maro: Si tempus, Cæ-
ſar, inquit, tacendi hic ſciret, raro loqueretur. Tacendum enim
ſemper eſt, niſi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis proſit.
Nam qui contendit, & an contentionis finis utilis ſit non novit,
ſtultis illum annumerandum ſapientes putant. Poſteaquam Auguſtus
ſumma rerum omnium potitus eſt, venit in mentem, an conduce-

ret

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ret tyrannidem omittere, & omnem poteſtatem annuis Conſulibus, & Senatui Rempublicam reddere. In qua re diverſæ ſententiæ conſultos habuit Mæcenatem & Agrippam. Agrippa enim, utile ſibi fore, etiamſi honeſtum non eſſet, relinquere tyrannidem, longa oratione contendit; quod Mæcenas dehortari magnopere conabatur. Quare Auguſti animus & hinc ferebatur & illinc. Erant enim diverſæ ſententiæ variis rationibus firmatæ. Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini ſe in in ſua republica tyrannum facere. Tum ille: Omnibus ferme, inquit, rempublicam aucupantibus moleſta ipſa tyrannis fuit & civibus: quia neceſſe erat propter odia ſubditorum aut eorum injuſtitiam in magna ſuſpicione magnoque timore vivere; ſed ſi cives juſtum aliquem ſcirent, quem amarent plurimum, civitati id utile eſſet, ſi in eo uno omnis poteſtas foret. Quare ſi juſtitiam, quod modo facis, omnibus in futurum, nulla hominum facta compoſitione, diſtribues, dominari te, & tibi conducet, & orbi. Benevolentiam enim omnium ita habes, ut Deum te & adorent & credant. Ejus ſententiam ſequutus Cæſar, principatum tenuit. Audivit a Syrone præcepta Epicuri, cujus doctrinæ ſocium habuit Varum. Quamvis diverſorum Philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe, de animo maxime, videatur, ipſe tamen fuit Academicus. Nam Platonis ſententias omnibus aliis prætulit.

*Hanc præſtantiſſimi poetæ vitam, quod antiquiſſima ſit, non omiſi: quod tamen & ſcateat erroribus, & aliis fere omnibus locum errandi præbuerit, ideo non eſſe abſque cenſura proponendam exiſtimavi. Quamobrem vitam aliam digeſſi per annos Urbis & Conſules, quos cum annis Auguſti Virgiliique contuli: ut ex ea comparatione ſeries operum rerumque veritas certius innoteſceret.*

P. VIR-



# P. VIRGILII MARONIS HISTORIA

## Deſcripta per Conſules

## *A CAROLO RUÆO S. J.*

*Annus* U. C. 684. *Virgilii* 1.

Cn. Pompeius Magnus I.
M. Licinius Crassus I.

PUBLIUS Virgilius Maro naſcitur in pago, cui nomen *Andes*, qui ter mille paſſibus Mantua diſtat, Idibus Octobris, qui dies eſt illius menſis decimus quintus. Ita vitæ ſcriptor. Ita Phlegon apud Photium: Οὐεργίλιος Μάρων ὁ ποιητὴς ἐγεννήθη τούτῳ τῷ ἔτει εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις: *Virgilius Maro poeta natus eſt hoc ipſo anno, Idibus Octobris.* Ita Martialis Epig. lib. 12. 68. *Octobres Maro conſecravit Idus.* Patrem habuit, ex Pſeudo-Donato, Maronem; ex Probo, Virgilium: matrem, Maiam. Pater, ex Servio, civis Mantuanus fuit; ex Probo, ruſticus; ex aliis, opifex figulus; ex Pſeudo-Donato, mercenarius, a ſocero Maio gregibus curandis & rei ruſticæ præfectus.

*Maium* illum, avum Virgilii, exemplaria vitæ omnia *Magnum* vocant. At cum ejus filia, Virgilii mater, juxta omnes *Maia* dicta ſit: omnino Maiæ pater fuit Maius, non Magus: indeque ortum exiſtimo, ut Virgilius magicis artibus imbutus fuiſſe creditus ſit ab Elinando monacho aliiſque ſequioris ſæculi ſcriptoribus, quod & Ecloga ſeptima magica quædam ſacra deſcripſiſſet, & peritus eſſet multarum artium, & præcipue avum habuiſſe *Magum* diceretur.

*Virgilius*, an *Vergilius* appellandus ſit, magna fuit ſuperiore ſæculo controverſia. Stabat Angelus Politianus pro Vergilio: pro Virgilio Pierius. Certe neque multitudo veterum lapidum ac monumentorum, quæ Vergilium præferunt, quicquam evincit; cum alia etiam complura Virgilium habeãt: nec Græca Suidæ ſcriptio, Οὐιργίλιος; cum Stephanus ſcribat in dictione *Mantua* Βιργίλιος: nec etymon nominis a *Vere* aut *Vergiliis* ſtellis; cum alii deducant a *virga* laurea, quam prægnans mater in ſomnis vidit; alii a *virga* populea, quæ poſt ejus ortum more gentis humi defixa eſt; alii a *virginali* verecundia, propter quam Neapoli *Parthenias* appellatus eſt, a παρθένος *virgo*. Ego cum Pierio exiſtimo, facilem aliquando & promiſcuã fuiſſe commutationem elementorum *e* & *i*. Sic, teſte Quintiliano, dicebatur apud veteres *Deana*, pro *Diana*; *Menerva*, pro *Minerva*; *leber* & *mageſter*, pro *liber* & *magiſter*. Sic reperitur adhuc in quibuſdam codicibus *Verginius*, pro *Virginius*. Sic etiam ſcribi potuit *Vergilius*, pro *Virgilius*. Sed in iis omnibus litera *i* denique prævaluit.

Nec mihi videtur *Virgilii* nomen aliunde acceptum, quam a patre. Si enim fuit cognomen a *virga* aut *vere*, certe non ſecundo loco, ſed tertio, quæ cognominis ſedes eſt, appellandus fuit, P. MARO VIRGILIUS. Neque movet me, quod in quibuſdam veteribus libris, *Partheniatis* cognomen ſecundo ferat loco, hoc nimirum ordine, P. PARTHENIATIS VIRGILII MARONIS LIBER; id enim ex ſcriptorum inſcitia contra morem Romanum factum eſſe manifeſtum eſt.

*Annus* U. C. 691. *Auguſti* 1. *Virgilii* 8.

M. Tullius Cicero.
C. Antonius.

NAſcitur Octavius, qui deinde Auguſtus appellatus eſt, 9. Kal. Oct. id eſt 23. Septemb. Patre C. Octavio; Matre Atia, M. Atii Balbi, & Juliæ illius filia, quæ Julii Cæſaris ſoror fuit. Quare Octavius fuit Cæſaris ſororis nepos, non ex ſorore nepos, ut male quidam ſcripſerunt.

*Annus* U. C. 696. *Auguſti* 6. *Virgilii* 13.

L. Calpurnius Piso.
A. Gabinius.

VIrgilius *Cremonæ ſtudiis eruditur*. Ita Hieronymus in Euſebii Chronico. Aliter tamen vitæ ſcriptor: *Initia ætatis, id eſt, uſque ad ſeptimum annum, Cremonæ egit.* Quæ verba ſic emendat Scaliger in Euſebiũ; *uſque ad ſedecimum annum*; quo fere anno Mediolanum conceſſit. Studia autem illius fuere Græci præcipue ſermonis, tum medicinæ & mathematicarum diſciplinarum: Philoſophiæ quoque ſub Syrone Epicureo, & juxta Joſ. Scaligerum ſub Catio etiam Inſubri, ejuſdem ſectæ Philoſopho, qui Mediolani na-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE
DIRECCIÓN GENERAL DE B

ret tyrannidem omittere, & omnem poteſtatem annuis Conſulibus, & Senatui Rempublicam reddere. In qua re diverſæ ſententiæ conſultos habuit Mæcenatem & Agrippam. Agrippa enim, utile ſibi fore, etiamſi honeſtum non eſſet, relinquere tyrannidem, longa oratione contendit; quod Mæcenas dehortari magnopere conabatur. Quare Auguſti animus & hinc ferebatur & illinc. Erant enim diverſæ ſententiæ variis rationibus firmatæ. Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini ſe in in ſua republica tyrannum facere. Tum ille: Omnibus ferme, inquit, rempublicam aucupantibus moleſta ipſa tyrannis fuit & civibus: quia neceſſe erat propter odia ſubditorum aut eorum injuſtitiam in magna ſuſpicione magnoque timore vivere; ſed ſi cives juſtum aliquem ſcirent, quem amarent plurimum, civitati id utile eſſet, ſi in eo uno omnis poteſtas foret. Quare ſi juſtitiam, quod modo facis, omnibus in futurum, nulla hominum facta compoſitione, diſtribues, dominari te, & tibi conducet, & orbi. Benevolentiam enim omnium ita habes, ut Deum te & adorent & credant. Ejus ſententiam ſequutus Cæſar, principatum tenuit. Audivit a Syrone præcepta Epicuri, cujus doctrinæ ſocium habuit Varum. Quamvis diverſorum Philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe, de animo maxime, videatur, ipſe tamen fuit Academicus. Nam Platonis ſententias omnibus aliis prætulit.

*Hanc præſtantiſſimi poetæ vitam, quod antiquiſſima ſit, non omiſi: quod tamen & ſcateat erroribus, & aliis fere omnibus locum errandi præbuerit, ideo non eſſe abſque cenſura proponendam exiſtimavi. Quamobrem vitam aliam digeſſi per annos Urbis & Conſules, quos cum annis Auguſti Virgiliique contuli: ut ex ea comparatione ſeries operum rerumque veritas certius innoteſceret.*

P. VIR-



# P. VIRGILII MARONIS HISTORIA

Deſcripta per Conſules

*A CAROLO RUÆO S. J.*

*Annus* U. C. 684. *Virgilii* 1.

Cn. Pompeius Magnus 1.
M. Licinius Crassus 1.

PUBLIUS Virgilius Maro naſcitur in pago, cui nomen *Andes*, qui ter mille paſſibus Mantua diſtat, Idibus Octobris, qui dies eſt illius menſis decimus quintus. Ita vitæ ſcriptor. Ita Phlegon apud Photium: Οὐεργίλιος Μάρων ὁ ποιητὴς ἐγεννήθη τούτῳ τῷ ἔτει εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις: *Virgilius Maro poeta natus eſt hoc ipſo anno, Idibus Octobris*. Ita Martialis Epig. lib. 12. 68. *Octobres Maro conſecravit Idus*. Patrem habuit, ex Pſeudo-Donato, Maronem; ex Probo, Virgilium: matrem, Maiam. Pater, ex Servio, civis Mantuanus fuit; ex Probo, ruſticus; ex aliis, opifex figulus; ex Pſeudo-Donato, mercenarius, a ſocero Maio gregibus curandis & rei ruſticæ præfectus.

*Maium* illum, avum Virgilii, exemplaria vitæ omnia *Magnum* vocant. At cum ejus filia, Virgilii mater, juxta omnes *Maia* dicta ſit: omnino Maiæ pater fuit Maius, non Magus: indeque ortum exiſtimo, ut Virgilius magicis artibus imbutus fuiſſe creditus ſit ab Elinando monacho aliiſque ſequioris ſæculi ſcriptoribus, quod & Ecloga ſeptima magica quædam ſacra deſcripſiſſet, & peritus eſſet multarum artium, & præcipue avum habuiſſe *Magum* diceretur.

*Virgilius*, an *Vergilius* appellandus ſit, magna fuit ſuperiore ſæculo controverſia. Stabat Angelus Politianus pro Vergilio: pro Virgilio Pierius. Certe neque multitudo veterum lapidum ac monumentorum, quæ Vergilium præferunt, quicquam evincit; cum alia etiam complura Virgilium habeãt: nec Græca Suidæ ſcriptio, Οὐιργίλιος; cum Stephanus ſcribat in dictione *Mantua* Βιργίλιος: nec etymon nominis a *Vere* aut *Vergiliis* ſtellis; cum alii deducant a *virga* laurea, quam prægnans mater in ſomnis vidit; alii a *virga* populea, quæ poſt ejus ortum more gentis humi defixa eſt; alii a *virginali* verecundia, propter quam Neapoli *Parthenias* appellatus eſt, a παρθένος *virgo*. Ego cum Pierio exiſtimo, facilem aliquando & promiſcuã fuiſſe commutationem elementorum *e* & *i*. Sic, teſte Quintiliano, dicebatur apud veteres *Deana*, pro *Diana*; *Menerva*, pro *Minerva*; *leber* & *mageſter*, pro *liber* & *magiſter*. Sic reperitur adhuc in quibuſdam codicibus *Verginius*, pro *Virginius*. Sic etiam ſcribi potuit *Vergilius*, pro *Virgilius*. Sed in iis omnibus litera *i* denique prævaluit.

Nec mihi videtur *Virgilii* nomen aliunde acceptum, quam a patre. Si enim fuit cognomen a *virga* aut *vere*, certe non ſecundo loco, ſed tertio, quæ cognominis ſedes eſt, appellandus fuit, P. MARO VIRGILIUS. Neque movet me, quod in quibuſdam veteribus libris, *Partheniatis* cognomen ſecundo ferat loco, hoc nimirum ordine, P. PARTHENIATIS VIRGILII MARONIS LIBER; id enim ex ſcriptorum inſcitia contra morem Romanum factum eſſe manifeſtum eſt.

*Annus* U. C. 691. *Auguſti* 1. *Virgilii* 8.

M. Tullius Cicero.
C. Antonius.

NAſcitur Octavius, qui deinde Auguſtus appellatus eſt, 9. Kal. Oct. id eſt 23. Septemb. Patre C. Octavio; Matre Atia, M. Atii Balbi, & Juliæ illius filia, quæ Julii Cæſaris ſoror fuit. Quare Octavius fuit Cæſaris ſororis nepos, non ex ſorore nepos, ut male quidam ſcripſerunt.

*Annus* U. C. 696. *Auguſti* 6. *Virgilii* 13.

L. Calpurnius Piso.
A. Gabinius.

VIrgilius *Cremonæ ſtudiis eruditur*. Ita Hieronymus in Euſebii Chronico. Aliter tamen vitæ ſcriptor: *Initia ætatis, id eſt, uſque ad ſeptimum annum, Cremonæ egit*. Quæ verba ſic emendat Scaliger in Euſebiũ; *uſque ad ſedecimum annum*; quo fere anno Mediolanum conceſſit. Studia autem illius fuere Græci præcipue ſermonis, tum medicinæ & mathematicarum diſciplinarum: Philoſophiæ quoque ſub Syrone Epicureo, & juxta Joſ. Scaligerum ſub Catio etiam Inſubri, ejuſdem ſectæ Philoſopho, qui Mediolani na-

ni natus erat. Et in eo quidem ſtudioſocium habuit Varum illum, cujus gratia ſextam Eclogam deinde ſcripſit, Epicureæ Philoſophiæ placita de rerum origine continentem. De Syrone dicemus in illius Eclogæ argumento: de Varo in eadem Ecloga, v. 7.

Poeſim imprimis dicitur auſpicatus adhuc puer: & *Cirim*, *Ætnam*, *Culicem*, *Moretum*, *Copam*, *Diras*, *Catalecton*, *Epigrammata*, *Priapeia* junior ſcripſiſſe. At Joſ. Scaliger, & poſt eum docti fere omnes *Ætnam* Cornelio Severo adjudicant: *Moretum*, Auli Septimii Severi eſſe idem ſuſpicatur: *Diras*, quin a Valerio Catone ſcriptæ ſint, ne dubitari quidem patitur: *Copam* Virgilio tribuit Priſcianus, ſed reclamante Scaligero; *Priapeia*, obſcœniſſimam epigrammatum farraginem, ex Ovidii, Catulli, Petroniique fæcibus collecta eſſe manifeſtum eſt. In *Catalectis* & *Epigrammatis*, ut multa ſunt indigna Virgilio, propter maledicos & inverecundos ſales; ita paucula quædam eodem adoleſcente digna poſſunt videri. De *Ciri* & *Culice* major eſt controverſia.

Ac Virgilii quidem eſſe hoc utrumque opuſculum ſuaſerunt multis verſus utrique complures aſperſi, qui in Georgicis & Æneide, aut iidem omnino, aut paulo accuratius limati reperiuntur. Non eſſe autem, mihi perſuadet ſtylus enervis ac vagus, obſcura ſententia, numeri diſſoluti; prorſus ut qui tam ſordide humilis fuit, non videatur potuiſſe unquam ad perſpicuam illam Bucolicorum tenuitatem, multo minus ad ſplendidam Æneidos majeſtatem aſſurgere. Bene quidem Scaliger falſum demonſtrat, id quod in vita Virgilii legitur, ſcripſiſſe Culicem, quicumque tandem Culex ille ſit, at es quindecim natum. Quippe Statius in Genethliaco Lucani Silv. l. 2. v. 74. teſtatur Lucanum ſcripſiſſe Pharſaliam, *ante annos Culicis Maroniani*. At Lucanus poſt multa opera ultimam condidit Pharſaliam, eamque magna ex parte inemendatam reliquit, anno quo mortuus eſt ætatis vigeſimo ſeptimo. Addo ego, Culicem hunc, quem habemus, Octavio dicatum eſſe. At Octavius tum, cum numerabat Virgilius annum decimumquintũ, ipſe tantum octavum attigerat: qua ætate, nec ipſi poemata dicari, nec ea dici de ipſo potuerunt, *At tu, cui meritis oritur fiducia tantis*; aut ut habent codices alii, *At tu, cui meritis oritur fiducia chartis, Octavi venerande*. Igitur ſcriptum fuiſſe Culicem probabile eſt, cum Octavius aliquo in nomine cœpit eſſe: circa id temporis, quo donatus a Julio Cæſare militaribus donis, cum in Hiſpanienſia caſtra ſecutus eſt, anno U. C. circiter 709. Octavii 19. Virgilii 26. Quod quis credat? Virgilium ab illa Culicis exilitate ita repente convaluiſſe, ut anno poſt tertio quartove Bucolica ſcribere tam æquabili & vivido & puro nitore inceperit. His abducor ut putem, inſulſum illum Culicem, quem habemus præ manibus, ab inepto aliquo poſteriorum ætatum ſcriptore fictum eſſe; qui cũ apud veteres laudari paſſim videret juvenilem Maronis Culicem, amiſſum illum vitio temporum reſtituere per ludum aut per ſummam audaciam voluerit, quomodo deinceps a leviſſimis ſcriptoribus multa malitioſe conficta ſunt, ut Cornelii Galli elegiæ, & nuper Petronii fragmentum.

Idem eſto de *Ciri* judicium, quam Ovidii tempore poſteriorem eſſe indicat Scyllæ, patris & patriæ ruinam meditantis, cum nutrice colloquium: locus omnino exaratus ad ſimilitudinem illius colloquii, quod habet Myrrha patris amore inſaniens, cum nutrice item ſua, Metam. l. 9. Nec abſtinet Scyllæ nutrix ab exemplo ipſius Myrrhæ proferendo, ut plane exiſtimem fictorem illum Virgilianæ Ciris, ad Myrrham Ovidianam inter ſcribendum oculos intendiſſe. Non eſt igitur audiendus Scaliger, cum Cirim illam ipſam ultimum eſſe ſtatuit opus Virgilii, etiam Æneide poſterius: quamquam enim fuſum eſt feliciore vena, quam Culex; tamen jacent in eo multa, multa horrent, nitent quam pauciſſima: nec a Virgilio ſeneſcente, & æquo rerum ſuarum æſtimatore ſcribi tantillo in poematio potuit; *Accipe dona meo multum vigilata labore*, nec Virgilium juvenem, & Bucolica, Georgica, Æneida meditantem, tantum rei poeticæ jam tum ceperat tædium, ut in hoc tã levi opere deſinere non dubitaret: *in quo jure meas utinam requieſcere Muſas, & leviter blandum liceat deponere morem*. Nec juvenis itaque, nec ſenex Virgilius Cirim ſcripſit.

*Annus* U. C. 699. *Aug.* 9. *Virg.* 16.
Cn. Pompeius Magnus 2.
M. Licinius Crassus 2.

Virilem togam ſumpſiſſe dicitur Virgilius apud Pſeudo-Donatum, anno ætatis 17. iiſdem illis Conſulibus, quibus natus erat. Idipſum agnoſcit Scaliger, ſed minus conſiderate. Neque enim ab Idibus Octobribus primi Pompejani Conſulatus, ad Idus Octobres ſecundi, completos annos reperio plures quam quindecim. Si ergo Virgilius toga virili donatus eſt Pompejo & Craſſo ſecundum Coſſ. id anno Virgilii aut decimoquinto completo, aut decimoſexto ineunte contigit. Sin ad uſque decimum ſeptimum ineuntem recedendum eſt, annus is fuit U. C. 700. Conſules, L. Domitius Ænobarbus, & Ap. Claudius Pulcher. Si denique decimus ſeptimus completus requiritur, annus fuit U. C. 701. Conſules, Cn. Domitius Calvinus, & M. Valerius Meſſala, quem annum conſignat his verbis Hieronymus in Euſebio: *Virgilius ſumpta toga Mediolanum tranſgreditur*.

Et vero, etſi Romano jure pueritia anno 17. finiretur, tumque ſumeretur toga pura ſeu virilis: tamen pro arbitrio tempus illud aliquando immutatum reperimus. Auguſtus ex Suetonio togam ſumpſit anno 16. Caligula ex eodem anno 20. M. Antoninus Philoſophus ex Julio Capitolino anno 15.

*An.* U. C. 708. *Auguſti* 18. *Virgilii* 25.
C. Julius Cæsar 3.
M. Æmilius Lepidus 1.

Julius Cæſar menſe Octobri quater triumphat, de Gallia, de Aſia, de Ægypto, de Africa. Octavius, ſororis ejus nepos, *militaribus donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt, quamquam expers belli propter ætatem*. Suetonius in Auguſto, 8.

*Annus* U. C. 709. *Aug.* 19. *Virgilii* 26.
C. Julius Cæsar 4. *ſolus*.

Cæſar proficiſcitur in Hiſpanias adverſus Pompeii magni liberos. Octavius *vixdum firmus a gravi valetudine, per infeſtas hoſtibus vias, pauciſſimis comitibus, naufragio etiam facto, avunculum ſubſecutus magnopere demeruit*. Suetonius ibid. Cæſar redux ſub initium Octobris triumphat quintum de Hiſpaniis.

*Annus* U. C. 710. *Aug.* 20. *Virg.* 27.
C. Julius Cæsar 5.
M. Antonius.

Cæſar expeditionem deſtinans in Parthos, Octavium præmittit Apolloniam. Ibi ille, dum ſtudiis vacat, audit Cæſarem in Senatu occiſum eſſe Idibus Martiis, ſe ab eo in nomen & familiam adoptatum. Romam redit; ſed adverſante M. Antonio Conſule, adjungit ſe optimatibus, quos ei infenſos ſciebat.

*Annus* U. C. 711. *Aug.* 21. *Virg.* 28.
C. Vibius Pansa.
A. Hirtius.

Octavius mittitur cum Conſulibus adverſus M. Antonium, qui Decimum Brutum Mutinæ obſeſſum tenebat. Solvitur obſidio: Conſules tamen bello pereunt. Fit agrorum aliqua inter milites diviſio per decemviros, in quibus erat Cicero. Octavius armata manu Romam ingreſſus, Conſulatum mortuo Panſa tunc vacuum, ab invito Senatu extorquet 14. Kal. Septembr. ſeu 19. Auguſti, ante annum ætatis vigeſimum expletum. Inito Conſulatu ſtatim in nomen & bona Cæſaris lege tranſiit, vocatuſque eſt deinceps ab omnibus, Dione teſte l. 46. C. JULIUS CÆSAR OCTAVIANUS. Paullo poſt, nempe 27. Novembris, ipſe ac M. Antonius & M. Æmilius Lepidus, Triumviros ſe reipublicæ conſtituendæ in quinquennium renunciant, magiſtratus abſque Senatus & Populi conſilio deſignant in idem tempus, proſcriptionem inimicorum ſuorum indicunt, qua Cicero 7. Decembris occiſus eſt.

Hinc erroris arguuntur, qui volunt Eclogam Virgilii ſextam Romæ auditam a Cicerone fuiſſe in theatro, cum a Cytheride mima cantaretur: eumdemque Romanæ eloquentiæ principem, ad ſuam & novi poetæ laudem exclamaſſe: *Magnæ ſpes altera Romæ*: quæ verba deinceps Virgilius in Æneida retulerit. Tum enim, cum Cicero occiſus eſt, Eclogas ſcribere nondum Virgilius cœperat; needum venerat Romam; ſed adhuc, aut Mediolani, aut in rure ſuo verſabatur, ut mox deinde oſtendemus.

*Annus* U. C. 712. *Aug.* 22. *Virg.* 29.
L. Munatius Plancus.
M. Æmilius Lepidus 2.

Kalendis Januariis Triumviri, inter cæteros Julio Cæſari habitos honores, ſacellum ipſi dedicant in foro, ejus ſimulacrum ludis Circenſibus cum Veneris ſimulacro circumferendum decernunt. Hinc Octavianus ſe *Divi filium* appellavit. Circa Novembrem pugnatur ad Philippos in Macedonia, pereuntque Caſſius & Brutus, duobus præliis, menſis fere unius intervallo diſſitis, ex Plutarcho. M. Antonius abit in Aſiam: Octavianus in Italiam redit, ut agros ſuis Antonianiſque veteranis dividat.

*Annus* U. C. 713. *Aug.* 23. *Virg.* 30.
L. Antonius.
P. Servilius Isauricus.

Fit agrorum diviſio, ex optimis quibuſque urbibus Italiæ, ejectis per vim dominis, non iis tantum, qui contra Triumviros ſteterant, ſed etiam aliis, ut habent Appianus & Dio. Fulvia M. Antonii uxor, & Lucius Antonius Conſul Marci frater, cum diviſionis illius adminiſtrationem & gratiam apud milites derivare ad ſe non potuiſſent, veterum poſſeſſorum querelis in ſpeciem commoti, bellum in Octavianum ſuſcitant. Aſinius Pollio, M. Antonii ſingularis amicus, Galliam Ciſalpinam interim copiis tenet, & Alpium tranſitum Octaviani Legionibus intercludit, ut conſtat ex Appiano lib. 5. Idem Lucio Peruſiæ obſeſſo ſuppetias ferre fruſtra conatus, ſub anni ſequentis initium dedita Peruſia, cum ſeptem Legionibus Venetiam, in qua regione Mantua eſt, in poteſtate Antonii diu retinet, ut teſtatur Velleius.

Atque hæc illa eſt Agraria largitio, qua Virgilius Andino patrimonio ſuo mulctatus eſt. Neque enim eſt, cur Corradus calamitatem illam accidiſſe poetæ ſuſpicetur decemvirali illa diviſione, quæ Mutinenſe bellum ſequuta eſt, & cui intererat Cicero:

tum enim levis erat ac fere nulla Romæ Octaviani auctoritas, ut optimates & ipſe Cicero de eo occidendo cogitarent. Quare Virgilius dicere tum de illo non potuit id Ecl. 1. *Deus nobis hæc otia fecit*: neque iſtud: *Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant*: potuit vero hac Philippenſi diviſione; cum ſe jam Octavianus *Divi Julii* filium appellaret, ſummaque polleret triumviratus auctoritate. Multo minus ferendi Probus & Pomponius Sabinus, qui id ad Actiacam diviſionem rejiciunt, & annum U. C. 723. Cum enim e pleriſque omnibus Virgilianæ vitæ Scriptoribus certum ſit, Bucolica triennio eſſe perfecta; certum item, ut mox demonſtrabitur, Eclogam quartam anno U. C. 714. Pollione Conſule eſſe editam: certum id quoque habendum eſt, ſpatium illud triennii circa Conſulatum Pollionis omnino eſſe numerandum. Adde quod idem ipſe Pomponius Virgilium dicat ediſſe Bucolica anno ætatis 23. aut 24. Probus & Pædianus, anno 28. Servius, anno 29. Atqui diviſionis Actiacæ tempore annos numerabat plenos atque integros novem ac triginta, quod incuriam Scriptorum ejuſmodi manifeſtam facit.

Igitur ſic ſtatuo. Virgilium Aſinio Pollioni, tum in Gallia Ciſalpina & Venetia, cujus pars eſt ager Mantuanus, cum imperio verſanti, ſive per Varum, quocum philoſophiæ ſtuduerat, ſive per Cornelium Gallum, ſive per ſeipſum innotuiſſe: per Pollionem commendatum eſſe Mæcenati: per hunc ad Octaviani gratiam irrepſiſſe. Quamquam enim tunc diverſarum erant partium Mæcenas & Pollio: ſimilitudo tamen ſtudiorum & æqua probitatis fama ſic utrumque ſociabat, ut anno proxime ſequente adminiſtri Brunduſinæ pacis una adhibiti ſint. Certe Pollionis in Virgilium priora fuiſſe merita, Mæcenatis potiora, vel ea res probat, quod prior a Virgilio gratia Pollioni, major Mæcenati relata ſit: Ecloga unica mox in illius honorem edita; Georgicis deinde libris quatuor hujus nomini nuncupatis.

Fretus ea commendatione Virgilius, agros ut reciperet ſuos, Romam ſub anni hujus initio primum venit. Quidni enim Virgilio de ſe fides habeatur? At Ecloga prima ſub Tityri perſona teſtatur, ſibi ante amiſſos agros Romam ignotam fuiſſe: *Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi Stultus ego huic noſtræ ſimilem, &c.* Se libertatis obtinendæ gratia eo profectum: *Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi? Libertas, &c.*

Eam ob rem inter fabulas puto quicquid habet vitæ Scriptor de ejus ad Octaviani gratiam aditu, quod magiſtro ſtabuli carus primum fuerit, quod panes eidem ut uni e ſtabulariis in ſingulos dies dati, quod Octavianus, de genere ac patre ſuo aliquando ſollicitus, conſuluerit ea de re ſtabularium Maronem, ejuſque opera ſperaverit patrem ſe poſſe ſuum certo intelligere, quia is de canum equorumque genere ac parentibus ſcite interdum reſpondebat. Fuerit enimvero Maroni ſingularis illa, quam reipſa fuiſſe libri Georgici declarant, rei veterinariæ peritia; fuerint hæc omnia, quæ narrantur, temporum rationi accommoda, ut minime ſunt: quis tantum Octaviani fuiſſe ſtuporem credat, ut veterinariæ medicinæ eam eſſe vim ſibi perſuaderet; aut tantam Romani moris inſcitiam, ut ſe *regem magnanimum* appellaret? aut ipſi Virgilio tantam futurorum eventuum notitiam, ut Octavianum *Auguſti* nomine appellaret, ante annos minimum quatuordecim, quam eſſet honorifica illa appellatio ejus in gratiam inſtituta? Quid? jocus ipſe quam inſulſus: Piſtoris filium ſibi Octavianum videri, quod panes liberaliter erogaret. Cui fabulæ locum puto præbuiſſe quod apud Suetonium legitur: Antonium Octaviano inter cætera probra ſolitum objicere, quod proavum haberet piſtorem.

Hoc itaque anno ſcripta eſt Ecloga prima, qua poeta ſuam in agro recuperando felicitatem ſub Tityri nomine repræſentat. Proinde exorſus eſt Bucolica, cum annum decurreret nonum ac vigeſimum; necdum Idus Octobres attigiſſet, quo tempore trigeſimum erat ingreſſurus. Statimque Roma profectus Mantuam, novoſque poſſeſſores conatus ex agro ejicere, Arium nempe Centurionem, aut primipilarem Milienum Toronem, aut veteranum Claudium; ab eo, quiſquis fuerit, male habitus, ægre vitæ ſuæ conſuluit, Mincio natatu trajecto. Romam regreſſus, ut vim novo Octaviani edicto reprimeret, Eclogam, quæ ordine nona legitur, obtuliſſe videtur Varo, apud Octavianum gratioſo, quaſi libellum ſupplicem indicemque calamitatis; eamque, ut res urgebat, ſubitario impetu e variis carminum, quæ meditabatur, fragmentis concinnaſſe: quod legenti perſuaſum fore facile confido.

*Annus* U. C. 714. *Aug.* 24. *Virg.* 31.
Cn. Domitius Calvinus.
C. Aſinius Pollio.

OCtavianus Lucium Antonium urbemque Peruſiam deditione accipit. Marcus in Italiam veniens, maximo belli metu facto, Brunduſii pacem cum Octaviano componit; adminiſtris ex parte Octaviani, Mæcenate; ex parte Marci, Pollione. Octavia ſoror Octaviani, mortuo Marcello priore viro, Marco Antonio conjux datur. Re-

deunt



deunt Romam Triumviri; ſed Sexto Pompejo Magni filio mare Siculum infeſtis navibus obtinente, fames in urbe ſæviens urbem in Triumviros concitat. Octavianus & Antonius, a plebe tantum non laniati, de pace cum S. Pompejo conveniunt ad Puteolos, in litore Campaniæ. Ita compoſitis rebus, lætitia communis & rerum omnium copia in urbem redit. Decedunt e magiſtratu Conſules, Calvinus & Pollio, in paucos qui ſupererant anni hujus dies, more illorum temporum. Antonius exercitus ſui partem, ut per hyemem exerceret, mittit adverſus Parthinos, gentem Illyricam, & olim Bruti Caſſiique ſtudioſam; expeditionemque Pollioni ſuo committit, ut colligitur ex ejus triumpho de Parthinis anno proxime conſequente.

Virgilius, cum filius Pollioni natus eſſet, ejus genethliacon canit Ecloga quarta, antequam Pollio magiſtratum abdicaſſet; nam v. 11. *Teque adeo decus hoc ævi, te conſule inibit Pollio*; poſt Brunduſinam pacem Pollionis opera conſtitutam, nam v. 17. *Pacatumque reget patriis virtutibus orbem*; poſt pacem etiam Puteolanam, invecta ſcilicet in urbem abundantia, nam v. 21. *Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ Ubera, &c.* Igitur ſub extremos anni dies. Parum enim ſana fuiſſet illa ætatis aureæ promiſſio, imminente aut Brunduſini belli, aut Pompejanæ famis metu.

*Annus* U. C. 715. *Aug.* 25. *Virg.* 32.
L. Marcius Cenſorinus.
C. Calviſius Sabinus.

POllio bellum adverſus Parthinos feliciter gerit: de quibus triumphum agit 8. Kal. Novembris.

Dum inde Pollio Romam redit ad triumphum, perluſtratque Illyrici & Venetiæ litora, Virgilius Eclogam octavam componit, ubi perſtringit bellicas ejus laudes, v. 6. *Tu mihi, ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi, Sive oram Illyrici legis æquoris, &c.*

Nec procul ab eo tempore, nempe circa medium Octobrem, videtur ſcripta etiam illa, quæ ordine tertia legitur: cum ſcilicet victimæ & ſacra triumphalia pro Pollionis victoria pararentur. Ideo commendat poeta, ut vituli taurique Pollioni paſcantur v. 84. *Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam: Pierides, vitulum lectori paſcite veſtro. Pollio & ipſe facit nova carmina: paſcite taurum; &c.* Quam ſi quis levem conjecturam putet; de illa non admodum pugnabo mecum ut ſentiat.

*Annus* U. C. 716. *Aug.* 26. *Virg.* 33.
Appius Claudius Pulcher.
C. Norbanus Flaccus.

BEllum inter Octavianum & S. Pompejum renovatur, adverſa primum Octaviani fortuna.

Virgilius Bucolicis finem imponit, poſtquam ea triennio ante incepiſſet. Tunc ergo ſcripta eſt Ecloga, quæ decima numeratur, quam hic ipſe conſignat nota: *Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.* Cæteræ, quas hic omiſimus, quo tempore ſcriptæ ſint, nihil certo indicat.

*Annus* U. C. 717. *Aug.* 27. *Virg.* 34.
M. Vipſanius Agrippa 1.
L. Caninius Gallus.

DUm adverſus S. Pompejum Octavianus bellum inſtaurat, orditur Virgilius Mæcenatis ſuaſu Georgica, quæ ſeptem annis conſequentibus exſequitur, maxima ex parte Neapoli.

*Annus* U. C. 718. *Aug.* 28. *Virg.* 35.
L. Gellius Poplicola.
M. Cocceius Nerva.

S. Pompejus ab Octaviano navali pugna vincitur. Octavianus divinis honoribus coli nunc primum incipit: ut habet Appianus *lib. 5. Civil.* M. Antonius, re adverſus Parthos male geſta, concedit in Ægyptum ad Cleopatram; ubi ſe luxui & voluptatibus tradit.

*Annus* U. C. 719. *Aug.* 29. *Virg.* 36.
L. Cornificius.
S. Pompejus S. F.

S. Pompejus fuga ſe recipit ad Antonium, ejuſque juſſu in Phrygia occiditur a Titio. Octavianus victor inter Deos tutelares oppidatim conſecratur, cum jam annos 28. exegiſſet, ut habet diſerte Appianus lib. 5.

Quicquid ergo hactenus de divinitate Octaviani apud Virgilium reperitur, id ab eo dictum, aut per adulationem, aut quia jam inde ab anno 712. *Divi Julii* ſe filium appellabat.

*Annus* U. C. 720. *Aug.* 30. *Virg.* 37.
M. Antonius 2.
L. Scribonius Libo.
*Annus* U. C. 721. *Aug.* 31. *Virg.* 38.
C. Cæſar Octavianus 2.
L. Volcatius Tullus.
*Annus* U. C. 722. *Aug.* 32. *Virg.* 39.
Cn. Domitius Ænobarbus.
C. Soſius.

HIs annis tribus jacta ſunt belli ſemina, Octavianum inter & Antonium.

*Annus* U. C. 723. *Aug.* 33. *Virg.* 40.
C. Cæſar Octavianus 3.
M. Valerius Meſſala.

DEbellatur apud Actium, Epiri promontorium, 2. Septembris, M. Antonius ab Octaviano, cum immenſis auxiliis, quæ ex Armenia, Media, Ægypto, Arabia, India, totaque ferme Aſia collegerat. Mox in Ægyptum cum Cleopatra bellum reparaturus fugit.

*Annus* U. C. 724. *Aug.* 34. *Virg.* 41.
C. Cæsar Octavianus 4.
M. Licinius Crassus.

REverius in Italiam Octavianus, ut quartum Conſulatum acciperet, obvium habet Brunduſii Senatum, a quo Conſul renunciatur: ibique dies, juxta Suetonium, ſeptem & viginti, juxta Dionem triginta cum ſubſtitiſſet; inde ſtatim abit in Aſiam, ubi reliquam hyemem traducit, inſtruendo belli Ægyptii apparatu.

Falſum igitur, quod in vita Virgilii legitur: hunc Cæſari ex Actiaco bello reduci, & ad reficiendas vires Atellæ, quæ urbs eſt Campaniæ, commoranti, legiſſe Georgica, Mæcenate ſuſcipiente legendi vices, quoties is vocis offenſione interpellaretur. Aut id ſi verum eſt, non poſt Actiacum bellum, ſed poſt Ægyptium neceſſe eſt accidiſſe.

Alexandriam, Ægypti regiam, Octavianus capit, menſe Sextili, qui deinde Auguſtus appellatus eſt. Tum Cleopatræ & Antonii obitu ſolus univerſi orbis potitus imperio: primum Ægypti præfectum, ſub procuratoris nomine, inſtituit Cornelium Gallum, eum, de quo decima Ecloga ſcripta eſt. Inde Octavianus per Syriam in Aſiam revertitur, ibidemque hyemat non longe ab Euphrate: tum Tiridatem & Phraatem de regno Parthiæ contendentes victoriæ ſuæ terrore compoſuit: tum denique divinos honores affectavit palam, permiſitque ſibi templa exſtrui Nicomediæ, Pergami, &c. Quæ omnia contigere per hyemem anni hujus, ex Dione lib. 51.

Interim Virgilius Neapoli ultimam Georgicis manum & clauſulam adhibebat his verbis: *Hæc ſuper arvorum cultu pecoriſque canebam, Et ſuper arboribus: Cæſar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello, victorque volentes Per populos dat jura, viamque affectat Olympo. Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope, &c.* Idem tunc prioribus libris quoſdam attexuit verſus, hujus ipſius anni & Ægyptiacæ victoriæ indices: ut G. 2. 171. *Te, maxime Cæſar, qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.* Item G. 3. 28. *Atque hic undantem bello, magnumque fluentem Nilum, & navali ſurgentes ære columnas. Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphatem, &c.* Qua eadem hyeme ſtatim animum ad Æneida convertit, eamque per annos undecim executus eſt, ut communiter vitæ Scriptores habent.

*Annus* U. C. 725. *Aug.* 35. *Virg.* 42.
C. Cæsar Octavianus 5.
S. Appulejus.

CÆſar Romam reverſus ter triumphat Sextili menſe; de Dalmatis, de Macedonia & Actio, de Cleopatra & Ægypto. Atque ita pace per univerſum orbem Romanum conſtituta, templum Jani claudit tertium a Romulo. Quod inſeruit Virgilius Æneidos libro primo, quem tunc habebat in manibus, v. 295. *Aſpera tunc poſitis miteſcent ſæcula bellis, Claudentur belli portæ, &c.*

Eodem anno Cenſuram exercet Cæſar, & Collegam ſibi aſſumit M. Agrippam: quo in munere ad expurgandos ordines Reipublicæ, moreſque ambo multa fecerunt. Id quoque ſignificat Virgilius eodem libro v. 296. *Cana fides & Veſta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabunt.*

Dicitur & hoc anno Cæſar deliberaſſe de imperio deponendo, eaque de re conſultores adhibuiſſe Mæcenatem & Agrippam. Et ſuadebat quidem Agrippa deponendum: negabat Mæcenas, cujus conſilio obſecutus eſt. Id vero perquam abſurdum, quod ſi eſſet, non fuiſſet a ſolo Pſeudo-Donato, ſed a graviſſimis etiam Hiſtoricis memoratum: Maronem nempe ab Cæſare vocatum etiam in conſilium, Mæcenati aſſenſum eſſe, nutantemque principis animum aſſenſu hoc ſuo confirmaſſe.

*Annus* U. C. 726. *Aug.* 36. *Virg.* 43.
C. Cæsar Octavianus 6.
M. Vipsanius Agrippa 2.

CÆſar perfecta hoc anno Cenſura, ſolemnibus ſacrificiis Romano more luſtrum condit: ludos Actiacos quinquennales, ad æternam victoriæ ſuæ memoriam a ſe prius inſtitutos, primum exhibet, nobilium puerorum equeſtri decurſione & gymnica exercitatione præcipue inſignes, ex Dione l. 51. & 53. Quæ omnia ſub Æneæ perſona repræſentat Virgilius l. 3. v. 279. *Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras, Actiaque Iliacis celebramus litora ludis: Exercent patrias oleo labente palæſtras Nudati ſocii, &c.*

*Annus* U. C. 727. *Aug.* 37. *Virg.* 44.
C. Cæsar Octavianus 7.
M. Vipsanius Agrippa 3.

AUguſti nomine donatur Octavianus a Senatu, Munatii Planci ſententia, Januario menſe.

*Annus* U. C. 728. *Aug.* 38. *Virg.* 45.
C. Cæsar Augustus 8.
T. Statilius Taurus 2.

COrnelius Gallus, amicus Virgilii, primus Ægypti procurator ab Auguſto conſtitutus, ob multa ibidem violenter acta eidem inviſus, & a Senatu damnatus, ſeipſum interficit. Ajunt ejus laudes fuſe a Virgilio fuiſſe celebratas Georg. lib. 4. indeque poſt ejus necem juſſu Auguſti ſublatas, & Ariſtæi fabulam earum loco ſubſtitutam. Sed fidem ii apud me non faciunt: tum quod Ariſtæi fabula ſic cum apum cultura connexa eſt, ut nata e re ipſa, non huic attexta videatur: tum quod Virgilius tantam ope-

ris



ris partem laudando Gallo minime debuit tribuiſſe, qui non niſi pauculos verſus Mæcenati dederat ſuo, cui totum ipſum opus dedicabat: tum quod Auguſtus ipſe, qui Suetonio teſte luxerat Galli necem, non ita videtur infeſtus ejus fuiſſe memoriæ, ut inanes ei laudes invideret.

*Annus* U. C. 729. *Aug.* 39. *Virg.* 46.
C. Cæsar Augustus 9.
M. Junius Silanus.

AUguſtus movet expeditionem in Cantabros: qua dum abeſſet, ſupplicibus, ut Pſeudo-Donatus ait, minacibuſque literis partem Æneidos aliquam efflagitat a Virgilio, nec obtinet. Virgilianæ ad Auguſtum epiſtolæ fragmentum profert Macrobius Saturn. l. 1. c. ultimo: *Ego vero frequentes a te literas accipio . . . De Ænea quidem meo, ſi mehercule jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tanta inchoata res eſt, ut pene vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar: cum præſertim, ut ſcis, alia quoque ſtudia ad id opus, multoque potiora impertiar.*

*Annus* U. C. 730. *Aug.* 40. *Virg.* 47.
C. Cæsar Augustus 10.
C. Norbanus Flaccus.

MArcellus, Octaviæ ſororis Auguſti filius, fit Ædilis, annos natus 18. Quintilius Cremonenſis, Virgilii & Horatii familiaris, moritur, ex Hieronymo in Euſeb. Horatius de hujus obitu Virgilium conſolatur, Od. l. 1. 24. Hunc Grammatici, nullo veteri auctore, *Varum* appellant. Sed Quintilium Cremonenſem, a Quintilio Varo debere diſtingui, oſtendemus Ecl. 6. v. 7.

*Annus* U. C. 731. *Aug.* 41. *Virg.* 48.
C. Cæsar Augustus xi.
Cn. Calpurnius Piso.

MOritur Marcellus, anno circiter ætatis 20. maximo Auguſti & Octaviæ totiuſque populi Romani luctu, apud Bajas. Corpus ejus ingenti pompa crematur in campo Martio. Virgilius non multo poſt ſextum Æneidos librum perficit, ornatque pulcherrimis de Marcelli obitu ac funere verſibus: quos cum recenti adhuc dolore Auguſto recitaret, dicitur Octavia defeciſſe, & pro ſingulis hujus argumenti verſibus poetæ dena ſeſtertia juſſiſſe numerari.

Tiridates, Armeniæ rex, cui cum Phraate Parthorum rege male conveniebat, Romæ ab Auguſto excipitur. Quo tempore accidit, quod innuit Dio, ut captivos & ſigna, bellis ſuperioribus Romanis erepta, Auguſtus a Partho repeteret. Hæc Virgilius, cum in Parthicum bellum vergere tum ſuſpicaretur, inſeruit libro ſeptimo, cui tunc dabat operam, v. 604. *Sive Getis inferre parat lacrymabile bellum, &c. Seu tendere ad Indos, Auroramque ſequi, Parthoſque repoſcere ſigna: Sunt geminæ belli portæ, &c.* Igitur annis minus quatuor, ſex fere ultimos operis libros poeta perfecit: nec vero tanta in iis elucet, quanta in ſuperioribus, cura.

*Annus* U. C. 732. *Aug.* 42. *Virg.* 49.
M. Claudius Marcellus.
L. Arruntius.

SUb anni hujus finem, antequam ſequentes Conſules magiſtratum inirent, ex Dione, iter in Græciam Auguſtus ſuſcipit.

*Annus* U. C. 733. *Aug.* 43. *Virg.* 50.
Q. Æmilius Lepidus.
M. Lollius.

AUguſtus perluſtrat Græciæ & Siciliæ civitates, hyememque tranſigit in inſula Samo.

*Annus* U. C. 734. *Aug.* 44. *Virg.* 51.
M. Appulejus.
P. Silius Nerva.

TRajicit Auguſtus in Aſiam, mulctat Syriæ civitates, ibique amiſſas a Craſſo aquilas recipit a Parthis. Romam revertitur; iterumque in Samum hyematurus conſedit.

*Annus* U. C. 735. *Aug.* 45. *Virg.* 52.
C. Sentius Saturninus.
Q. Lucretius Vespillo.

VIrgilius, Æneide confecta, proficiſcitur in Græciam, ut divinum opus per otium expoliret. Cum tamen Auguſto Romam revertenti occurriſſet, de reditu cum eo cogitans languore correptus eſt: auctaque per navigationem valetudine, Tarentum, aut, juxta plures, Brunduſium appulit, ibidemque deceſſit, 22. Septembris, annos natus 51. menſes 11. dies 7. Dicitur moriens Æneida, cum nondum ad eam, quam inſtituerat animo, formam perduxiſſet, petiiſſe comburendam; negatamque ſibi ab amicis, per teſtamentum legaſſe Plotio Tuccæ, & Vario, qui eam aut comburerent, aut emendarent. Fabulam putat Corradus; ſed cum id aperte Gellius, Macrobius, imprimiſque Plinius, hiſtoriæ ſuæ lib. 7. c. 30. teſtentur: non video contra teſtes ejuſmodi quæ vis poſſit eſſe tanta rationum. Plotii Variique mentio frequens apud Horatium; e quibus Varius Epici carminis ea ætate princeps fuit. Satyr. lib. 1. 5. *Poſtera lux oritur multo gratiſſima: namque Plotius & Varius Sinueſſæ, Virgiliuſque, Occurrunt: animæ, quales neque candidiores Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter.* Corpus Virgilii Neapolim, ut cupierat, translatum, via Puteolana ſepultum eſt. Scripta, ſublatis aliquot verſibus, nullo addito, dicuntur expurgata. Morum & famæ cognitio, e veterum teſtimoniis mox afferendis, potius quam ex Pſeudo-Donato, repetenda eſt.

TE-

# TESTIMONIA VETERUM DE VIRGILIO.

### HORATIUS, *Satyr. l. 1. 10.*

*Forte epos acer,*
*Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum*
*Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.*

### Idem, *Sat. 6.*

*Optimus olim*
*Virgilius, poſt hunc Varius, dixere quis eſſem.*

### PROPERTIUS, *lib. 2. Eleg. ult.*

*Me juvet heſternis poſitum languere corollis,*
*Quem tetigit jactu certus ad oſſa Deus:*
*Actia Virgilium cuſtodis litora Phœbi,*
*Cæſaris & fortes dicere poſſe rates:*
*Qui nunc Æneæ Trojani ſuſcitat arma,*
*Jactaque Lavinis mœnia litoribus.*
*Cedite Romani ſcriptores, cedite Graii.*
*Neſcio quid majus naſcitur Iliade.*
*Tu canis umbroſi ſubter pineta Galeſi*
*Thyrſin, & attritis Daphnin arundinibus &c.*
*Tu canis Aſcræi veteris præcepta poetæ,*
*Quo ſeges in campo, quo viret uva jugo.*
*Tale facis carmen docta teſtudine, quale*
*Cynthius impoſitis temperat articulis.*

### OVIDIUS, *Artis amat. lib. 3.*

*Et profugum Ænean, altæ primordia Romæ,*
*Quo nullum Latio clarius extat opus.*

### IDEM, *Amorum lib. 1.*

*Tityrus, & ſegetes, Æneiaque arma legentur,*
*Roma triumphati dum caput orbis erit.*

### IDEM, *Triſt. l. 2.*

*Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor*
*Contulit in Tyrios arma virumque toros.*
*Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,*
*Quam non legitimo fœdere junctus amor.*
*Phyllidis hic idem teneræque Amaryllidis ignes*
*Bucolicis juvenis luſerat ante modis.*

### SILIUS, *lib. 8.*

*Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu*
*Evecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris.*

### STATIUS, *Thebaida alloquens.*

*Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta;*
*Sed longe ſequere, & veſtigia ſemper adora.*

### JUVENALIS, *Satyra 11.*

*Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis*
*Altiſoni dubiam facientia carmina palmam.*

### MARTIALIS, *Epig. l. 8.*

*Temporibus noſtris ætas cum cedat avorum,*
*Creverit & major cum duce Roma ſuo:*
*Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,*
*Nec quemquam tanta bella ſonare tuba?*
*Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones:*
*Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt, &c.*

### IDEM, *lib. 14.*

*Accipe facundi Culicem ſtudioſe Maronis,*
*Ne nugis poſitis arma virumque canas.*

### SULPICIUS CARTHAGINENSIS.

*Juſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis*
*Virgilius, Phrygium quæ cecinere ducem.*
*Tucca vetat, Variuſque ſimul; tu, maxime Cæſar,*
*Non ſinis, & Latiæ conſulis hiſtoriæ.*
*Infelix gemino cecidit prope Pergamus igni,*
*Et pene eſt alio Troja cremata rogo.*

### ALCIMUS.

*Mæonio vati qui par aut proximus eſſet,*
*Conſultus Pæan riſit, & hæc cecinit:*
*Si potuit naſci quem tu ſequereris, Homere:*
*Naſcetur qui te poſſit, Homere, ſequi.*

### VELLEIUS, *lib. 2.*

Inter quæ maxime noſtri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque, &c.

### SENECA, *Controv. lib. 3.*

Virgilium illa felicitas ingenii in oratione ſoluta reliquit. Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit.

### PLINIUS, *Hiſt. l. 7. c. 30.*

D. Auguſtus carmina Virgilii cremari contra teſtamenti ejus verecundiam vetuit: majuſque ita Vati teſtimonium contigit, quam ſi ipſe ſua carmina probaviſſet.

### PLINIUS, *Epiſt. 21. lib. 3.*

Virgilii ante omnes imaginem venerabatur Silius, cujus natalem religioſius quam ſuum



ſuum celebrabat: Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire ut templum ſolebat.

### TACITUS, *Dialogo de Orat.*

Malo ſecurum & ſecretum Virgilii ſeceſſum, in quo tamen, neque apud D. Auguſtum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Teſtes Auguſti Epiſtolæ: teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro verſibus Virgilii ſurrexit univerſus, & forte præſentem ſpectantemque Virgilium veneratus eſt ſic quaſi Auguſtum.

### QUINTILIANUS, *lib. 10.*

Utar verbis iiſdem, quæ ex Afro Domitio juvenis accepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere: Secundus, inquit, eſt Virgilius: propior tamen primo quam tertio.

### IDEM, *lib. 9.*

Vetuſtatis amator unice fuit Virgilius.

### MACROBIUS, & GELLIUS,

Totis capitibus, quæ exſcribere longum eſſet.

### LAMPRIDIUS, *de Alexandro Severo.*

Virgilium, Platonem poetarum vocabat: ejuſque imaginem cum Ciceronis ſimulacro in ſecundo lalario habuit, & Achillis, & magnorum virorum.

---

# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padoa.

Concediamo licenza a Sebaſtian Coleti, che poſſi riſtampare il libro intitolato: *P. Virgilii Maronis Opera. Interpretatione, & notis illuſtravit Carolus Ruæus Soc. Jeſu ad uſum Sereniſſimi Delphini:* Editio nova auctior, & emendatior: giuſto gli eſemplari ſtampati altre volte in Venezia.

Dat. 12. Giugno 1733.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.
(
(Pietro Grimani Kav. Rif.

*Agoſtino Gadaldini Segr.*

ARGU-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ARGUMENTUM IN BUCOLICA.

BUCOLICUM *carmen idem eſt ac paſtorale, deducto nomine a paſtoribus; quorum ſunt præcipui qui curant boves, ſive bubulci, Græce* Βουκόλοι, *a* Βοῦς bos. *Quo in genere Virgilius Theocritum, Syracuſanum poetam, imitandum ſibi propoſuit.*

*Carmina ejuſmodi ſua vocavit Theocritus* Idyllia, *Virgilius* Eclogas. *Eſt autem* ἐκλογὴ Ecloga, *delectus paucorum aliquot opuſculorum e pluribus, quæ fecerit auctor, nec luce digna judicarit: vel, delectus quorundam verſuum, quos e Theocrito per imitationem expreſſerit: eſt enim* ἐκλέγειν eligere, ſecernere. *Male autem ſcribitur a quibuſdam Ægloga, quaſi ab* αἲξ capra & λόγος ſermo: *tum quia non* ἐκλογὴ, *ſed* αἰγολογία *dicenda eſſet: tum quia minima pars hujus operis ad capras pertinet; ad oves, cantus, amores, multo maxima: tum denique quia nomen Eclogæ aliis operibus tribuitur bene multis, in quibus paſtoritium nihil, immo nihil omnino præter* delectum *ſignificat. Tales habemus hodie Polybii, Diodori, Strabonis* Eclogas, *ſive excerpta e majori opere: Odas Horatii vocat Sidonius Apollinaris,* varii carminis Eclogas: *ejuſdem Horatii Satyræ quibuſdam in codicibus* Eclogæ *inſcribuntur.*

*Cœpta ſunt Bucolica anno Virgilii 29. exeunte, U. C. 713. & triennio perfecta: ut jam in Vita, moxque ſingulis in Eclogis differemus.*

P. VIR-



# P. VIRGILII MARONIS BUCOLICA.

## ECLOGA I.

## * TITYRUS.

### ARGUMENTUM.

*CÆSAR Octavianus cum Agrum Cremonenſem & Mantuanum veteranis militibus in præmium attribuiſſet, Virgilius Mantuanus inter cæteros agello ſuo ſpoliatus eſt: ſed Mæcenati commendatus per Aſinium Pollionem, qui tunc in illa regione cum aliquot legionibus verſabatur, & per Mæcenatem in Octaviani gratiam inductus, quod amiſerat, recuperavit. Hæc igitur Ecloga laudes Octaviani & Romæ, ſuam felicitatem, Mantuanorum calamitatem commemorat. Tityrus Virgilium repræſentat, Melibœus Mantuanos.*

*Scripta eſt anno Virgilii 29. Urbis conditæ 713. Coſſ. P. Servilio & Lucio Antonio, Marci fratre: quo anno facta eſt celebris agrorum diviſio, ex qua bellum Peruſinum ſtatim erupit, veteribus agrorum dominis confugientibus ad Lucium, & cum eo adverſus Triumviros conſpirantibus. Accidit autem agraria illa diviſio poſt victoriam Philippenſem Octaviani & M. Antonii de Bruto & Caſſio Julii Cæſaris percuſſoribus anno proxime præcedente relatam: non vero poſt victoriam Actiacam Octaviani de M. Antonio, ut male in Pomponii & Probi commentariis legitur. Cadit enim hæc in annum Virgilii 39. at Bucolica ante annum ejus 32. abſoluta ſunt; quippe anno 29. incepta, & triennio perfecta. Quos errores in vita Poetæ fuſius emendavimus.*

### NOTÆ.

* *TITYRUS.* ) Aptum argumentum nomen. Eſt enim Tityrus Heſychio *Satyrus*, *calamus*, *avis quædam*, Servio *aries major*, Interpreti Theocriti *otioſus*.

### MELIBOEUS, TITYRUS.

*MEL.* Tityre, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra

For-

### INTERPRETATIO.

MEL. *Tityre, tu jacens ſub umbraculo fagi opacæ modularis cantilenam paſtoralem*, cum par-*va fiſtula: nos deſerimus terminos patriæ, & agros amœnos; nos eximus e patria: tu, Tityre, otioſus ſub umbra*

*doces*

### NOTÆ.

*Melibœus* ) Boum curator, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, *quia cura eſt ipſi de bobus.*

1. *Fagi* ) Fagus, quæ & æſculus dicitur; arbor glandifera, Ital. *faggio*, ex qua olim homines victitarunt: unde dicta Græcis quidem φηγὸς *fagus*, a φάγω, ſive φάγειν, *edere*; Latinis autem æſculus pariter ab eſu. Utramque aliqui non male diſtinguunt.

2. *Avena.* ) Muſica inſtrumenta inter paſtores concinnata, primo ex avenis calamiſque triticeis inter ſe cera compactis: tum ex arundinibus & cavatis buxi fiſtulis, mox e gruum tibiis, animalium cornibus, metallis, *&c.* Unde *avena*, *ſtipula*, *calamus*, *arundo*, *fiſtula*, *buxus*, *tibia*, *cornu*, *æs*, *&c.* pro muſicis inſtrumentis uſurpantur.

A        5. *Ava-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE B

# ARGUMENTUM IN BUCOLICA.

BUCOLICUM *carmen idem eſt ac paſtorale, deducto nomine a paſtoribus; quorum ſunt præcipui qui curant boves, ſive bubulci, Græce* βουκόλοι, *a* βοῦς bos. *Quo in genere Virgilius Theocritum, Syracuſanum poetam, imitandum ſibi propoſuit.*

*Carmina ejuſmodi ſua vocavit Theocritus* Idyllia, *Virgilius* Eclogas. *Eſt autem* ἐκλογὴ Ecloga, *delectus paucorum aliquot opuſculorum e pluribus, quæ fecerit auctor, nec luce digna judicarit: vel, delectus quorundam verſuum, quos e Theocrito per imitationem expreſſerit: eſt enim* ἐκλέγειν eligere, ſecernere. *Male autem ſcribitur a quibuſdam* Ægloga, *quaſi ab* αἲξ capra & λόγος ſermo: *tum quia non* ἐκλογὴ, *ſed* αἰγολογία *dicenda eſſet: tum quia minima pars hujus operis ad capras pertinet; ad oves, cantus, amores, multo maxima: tum denique quia nomen Eclogæ aliis operibus tribuitur bene multis, in quibus paſtoritium nihil, immo nihil omnino præter* delectum *ſignificat. Tales habemus hodie Polybii, Diodori, Strabonis* Eclogas, *ſive excerpta e majori opere: Odas Horatii vocat Sidonius Apollinaris,* varii carminis Eclogas: *ejuſdem Horatii Satyræ quibuſdam in codicibus* Eclogæ *inſcribuntur.*

*Cœpta ſunt Bucolica anno Virgilii 29. exeunte, U. C. 713. & triennio perfecta: ut jam in Vita, moxque ſingulis in Eclogis diſſeremus.*

P. VIR-



# P. VIRGILII MARONIS BUCOLICA.

## ECLOGA I.

## * TITYRUS.

### ARGUMENTUM.

*CÆSAR Octavianus cum Agrum Cremonenſem & Mantuanum veteranis militibus in præmium attribuiſſet, Virgilius Mantuanus inter cæteros agello ſuo ſpoliatus eſt: ſed Mæcenati commendatus per Aſinium Pollionem, qui tunc in illa regione cum aliquot legionibus verſabatur, & per Mæcenatem in Octaviani gratiam inductus, quod amiſerat, recuperavit. Hæc igitur Ecloga laudes Octaviani & Romæ, ſuam felicitatem, Mantuanorum calamitatem commemorat. Tityrus Virgilium repræſentat, Melibæus Mantuanos.*

*Scripta eſt anno Virgilii 29. Urbis conditæ 713. Coſſ. P. Servilio & Lucio Antonio, Marci fratre: quo anno facta eſt celebris agrorum diviſio, ex qua bellum Peruſinum ſtatim erupit, veteribus agrorum dominis confugientibus ad Lucium, & cum eo adverſus Triumviros conſpirantibus. Accidit autem agraria illa diviſio poſt victoriam Philippenſem Octaviani & M. Antonii de Bruto & Caſſio Julii Cæſaris percuſſoribus anno proxime præcedente relatam: non vero poſt victoriam Actiacam Octaviani de M. Antonio, ut male in Pomponii & Probi commentariis legitur. Cadit enim hæc in annum Virgilii 39. at Bucolica ante annum ejus 32. abſoluta ſunt; quippe anno 29. incepta, & triennio perfecta. Quos errores in vita Poetæ fuſius emendavimus.*

### NOTÆ.

* *TITYRUS.* ) Aptum argumentum nomen. Eſt enim Tityrus Heſychio *Satyrus, calamus, avis quædam*, Servio *aries major*, Interpreti Theocriti *otioſus*.

### MELIBOEUS, TITYRUS.

*MEL.* Tityre, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra

For-

### INTERPRETATIO.

MEL. *Tityre, tu jacens ſub umbraculo fagi opacæ modularis cantilenam paſtoralem, cum parva fiſtula: nos deſerimus terminos patriæ, & agros amœnos; nos eximus e patria: tu, Tityre, otioſus ſub umbra doces*

### NOTÆ.

*Melibœus* ) Boum curator, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, *quia cura eſt ipſi de bobus.*

1. *Fagi* ) Fagus, quæ & æſculus dicitur; arbor glandifera, Ital. *faggio*, ex qua olim homines victitarunt: unde dicta Græcis quidem φηγὸς *fagus*, a φάγω, ſive φάγειν, *edere*; Latinis autem æſculus pariter ab eſu. Utramque aliqui non male diſtinguunt.

2. *Avena.* ) Muſica inſtrumenta inter paſtores concinnata, primo ex avenis calamiſque triticeis inter ſe cera compactis: tum ex arundinibus & cavatis buxi fiſtulis, mox e gruum tibiis, animalium cornibus, metallis, *&c.* Unde *avena, ſtipula, calamus, arundo, fiſtula, buxus, tibia, cornu, æs, &c.* pro muſicis inſtrumentis uſurpantur.



5. *Ana-*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE B

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilvas.
T. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipſum
Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.
*M.* Non equidem invideo, miror magis; undique totis
Uſque adeo turbatur agris. En ipſe capellas
Protinus æger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter denſas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! ſilice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læva fuiſſet,
De cœlo tactas memini prædicere quercus:
Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen, ille Deus qui ſit, da, Tityre, nobis.

T. Ur-

*doces arbores referre* nomen *pulchræ Amaryllidis.* T. *O Melibœe, Deus nobis dedit hanc quietem. Nam habeo ſemper illum Dei loco: ſæpe tener agnus* electus *ex ovili noſtro tinget illius aram* ſanguine. *Ille permiſit vaccas meas vagari, ut vides,* & me *ipſum canere fiſtula ruſtica quicquid vellem.* M. *Ego quidem non invideo, imo admiror,* cum *tantus ſit tumultus toto rure. Ecce ego mærens abigo præ me capellas, & hanc, o Tityre, difficile traho. Modo enim enixa geminos* fœtus, *qui* erant *ſpem gregis, proh* dolor! *deſeruit eos rigido in ſaxo, inter ſpiſſas corylos. Memini quercus afflatas fulmine ſæpe prænunciaſſe nobis hanc calamitatem, niſi animus imprudens fuiſſet: ſæpe cornix funeſta admonuit ex ilice putri. Attamen, dic nobis, Tityre, quinam ſit ille Deus.*

T. *Ego*

## N O T Æ.

5. *Amaryllida ſilvas.*) Per ſilvas, Echo intellige, quæ frequens in ſilvis. De *Amaryllide* infra, verſ. 31.

6. *Deus nobis hæc otia fecit.*) Octavianus, quem Deum per adulationem appellat. Errant quippe qui ſacrificia volunt ejus in honorem jam tum fuiſſe inſtituta: non enim coli cœpit divinis honoribus, niſi poſt ultimam de Sexto Pompejo victoriam, anno ætatis 28. ut habet diſerte Appianus l. 5. *Civ.* hoc eſt annis tribus poſt edita a Virgilio Bucolica ſimul omnia.

14. *Corylos.*) Corylus Ital. *nocciuola*. Nux avellana ſilveſtris.

16. *Si mens non læva.*) Læva, ſeu ſiniſtra pars, ambigue a Romanis accepta: ſæpe in malum omen, ut hic, & v. 18. ſæpe in bonum, ut Æn. 2. 693. *Intonuit lævum.* Perinde igitur dextra pars, aliquando boni, aliquando mali ominis fuit. Unde autem vis eidem parti tam diverſa? An quod in interpretandis oſtentis, aliquando ſitum Deorum, a quibus illa dabantur; aliquando ſitum augurum, qui illa petebant, attenderent? Dextra enim dantis, læva petentis eſt. Ita volunt aliqui, auctore Plutarcho lib. de quæſtionibus Romanis. Aliud quiddam ſuggerit Cicero de divi. l. 2. 82. Cum enim dicat Græcis quidem & barbaris dextra auſpicia, Romanis ſiniſtra viſa eſſe meliora: hinc dici poſſunt Romani ſæpe ſuo more, ſæpe Græco more in re divinatoria locuti eſſe. Unde autem utrique ſiniſtras dextraſque partes ſumerent, dicetur Ecl. 9. 15.

18. *Sæpe ſiniſtra &c.*) Non quidem *a ſiniſtra parte*: quippe ex augurum doctrina, *cornix a ſiniſtra, corvus a dextra ratum facit*; ut docet Cicero de divin. lib. 1. 85. & Plautus in Aſin. At *ſiniſtra* hic ſimpliciter *funeſtam* ſignificat, ex quacunque parte venerit. Nam ſic ait idem Cicero de divin. lib. 2. 82. *Haud ignoro, quæ mala ſint, ſiniſtra nos dicere, etiamſi dextra ſint.* Quæ vox, *mala*, quanquam ſuggeſta ſit a Lambino, ubi prius legebatur *bona*: tamen conſtat emendationis veritas ex eo, quod alioqui locus ille totus ſenſu careat, & aliis a Lambino patentiſſimis erroribus purgatus ſit. Porro funeſta hæc eſt Virgiliana cornix, 1. quia cornix omnis per ſe funeſta, 2. quia ex ilice, arbore item funeſta, 3. quia ex ilice cava & putri.

18. *Ab ilice.*) Ilex, arbor glandifera, e genere quercuum, Ital. *elce*.

19. *Da, Tityre.*) *Dare* & *accipere* pro *dicere* & *audire*. Terentius Heaut. *Nunc quamobrem has artes didicerim, paucis dabo.* Æn. 2. *Accipe nunc Danaum inſidias.* Audacius etiam ſequioris ævi ſcriptores *datur* uſurpavere pro *traditur, dicitur*. Statius 7. Theb. *Aſopum genuiſſe datur.* Claud. 3. de raptu. *Illic poſuiſſe cruentam Ægida, captivamque pater poſt prælia prædam adveхiſſe datur.* Quod contra Jul. Scaligerum defendit Barthius, ſed male: quicquid enim affert e veteribus in eam rē, probat *dari* pro *dicere* active dici, non paſſive.

23. *Sic canibus, &c.*) Senſus juxta Servium legitimus hic eſt: Putabam antea Romam ita ſimilē eſſe urbibus aliis, ut ſunt catuli canibus

ſimiles



T. Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
*M.* Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?
*T.* Libertas: quæ ſera tamen reſpexit inertem;
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit,
Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima ſeptis,

Pin-

T. *Ego demens, o Melibœe, exiſtimavi urbem, quæ vocatur* Roma, *ſimilem eſſe noſtræ Mantuæ, ad quam* nos *paſtores conſuevimus deducere agnos tenellos. Quemadmodum ſciebam catulos canibus, & hædos capellis eſſe ſimiles: quemadmodum ſolebam comparare magna parvis. Sed urbs illa tantum eminet inter cæteras, quantum cupreſſi ſolent eminere inter viburna flexilia.* M. *Et quæ tanta neceſſitas te coegit* Romam *petere?* T. *Libertas, quæ licet tarda, tamen aſpexit me deſidem, cum jam cana barba decideret ſecanti: tamen aſpexit, & venit poſt multos annos* ſervitutis: *ex quo ſecutus ſum Amaryllida, & reliqui Galateam. Scilicet, quamdiu amavi Galateam, (fatebor enim) nec ſperavi libertatem, nec curavi patrimonium: licet educerem ex ovilibus meis multas victimas, & coa-*

## N O T Æ.

ſimiles, qui ſola magnitudine differunt, in quo errabam: nunc enim probavi, eam a cæteris genere etiam & natura diſtare: nam ſedes eſt Deorum, tamque noſtris urbibus antecellit quam cupreſſi viburnis: quæ arbores duæ natura inter ſe, non ſola magnitudine differunt.

26. *Inter viburna cupreſſi.*) Viburnum, virgulti ſpecies, Ital. *viburno*. Cupreſſus, Ital. *cipreſſo*: arbor nota.

29. *Candidior poſtquam, &c.*) Grave hic diſſidium interpretum. Cauſa diſſidii, quod Virgilius, qui hic Tityrus, anno ætatis 29. quo ſcripſit hanc eclogam, canus eſſe non potuit. Quatuor modis ſolvitur hic nodus. I. Si *candidior* referatur ad *libertas*, hoc pacto: Poſtquam tondenti barba cadere cœpiſſet, id eſt, poſtquam cœpi barbam alere; tum inertem reſpexit me *libertas candidior*, id eſt, *ſpecioſa & benigna*. Ita Servius. II. Si per candidiorem barbam prima intelligatur lanugo, quæ tenerior eſt, necdum colorem induit: hoc pacto: Libertas reſpexit me, tum, cum tondenti cœpit lanugo decidere. Ita Pomponius. Male tamen uterque, quia deinde Tityro expreſſe dicitur: *Fortunate ſenex! &c.* III. Melius, junior poeta latere ſub ſenili perſona dicetur voluiſſe, ideo, quia ſervum ſe fingit eſſe, deque recepta libertate gloriatur, quam obtinere ſervi, niſi jam ſenes & multis laboribus probati, non ſolebant. Ita Cerdanus. IV. Putem ego non ubique ſervatam allegoriam, quod mox clarius patebit. *Igitur*, ut ait Probus, *eadem licentia ſenem ſe dixit, cum ſit juvenis, qua paſtorem ſe fecit, cum ſit urbanus, aut Tityrum nominat, cum ſit Virgilius.*

31. *Poſtquam nos, &c.*) Amicarum nomina: *Galatea* quidem a lacte deductum, quod Græce eſt γάλα, γάλακτος. *Amaryllis* ab incilibus, per quæ in agris aquæ derivantur, hoc enim eſt ἀμάρα; ruſticum utrumque etymon. Qui volunt his nominibus Romam ac Mantuam adumbrari, multa garriunt. Politianus quidem Romam dicit arcano nomine Amaryllida vocatam eſſe: quo id auctore? ut enim conſtet ex Plinio arcanum Romę nomen fuiſſe, quod evulgare nefas eſſet, ſane quid illud nominis fuerit, a nemine proditum eſt. Nannius vero, Fabii Pictoris auctoritate fultus, Argeum campum, qui ſeptem collibus includebatur, inundatione Tyberis inhabitabilem aliquando fuiſſe ait: factis deinde Vertumno ſacris exſiccatum: quod per incilia factum eſſe ſuſpicatur, atque inde tributum Romæ nomen *Amaryllidis*: ut & *Galateæ* nomen Mantuæ, quod illic Galatæ togati ſedes haberent, tractuſque ille *Gallia togata* vocaretur. His omiſſis nugis, ego nullam hic allegoriam agnoſco: I. Quia Poeta bis in hac ecl. Romam diſerte ac proprio nomine appellat, quam quid eſſet cauſæ, cur modo Romam, modo Amaryllida appellaret? II. Diſtinguit pariter Mantuam a Galatea, cum dicit ſe, dum ſerviret Galateæ, ſine fructu caſeos ingratæ urbi preſſiſſe. III. Si ſtet allegoria, inextricabilis eſt verſus ille: *Mirabar quid mœſta Deos, &c.* ut mox conſtabit. IV. Monet Servius in vita Virg. *Illud tenendum eſſe, in Bucolicis, neque nuſquam, neque ubique aliquid figurate dici, hoc eſt, per allegoriam.*

33. *Nec cura peculi.*) Pro *Peculii*. *Peculium*



autem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pinguis & ingratæ premeretur caſeus urbi,
Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
*M.* Mirabar, quid mœſta Deos, Amarylli, vocares,
Cui pendere ſua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipſæ te, Tityre, pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.
*T.* Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat,
Nec tam præſentes alibi cognoſcere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti:
Paſcite, ut ante, boves, pueri: ſubmittite tauros.
*M.* Fortunate ſenex! ergo tua rura manebunt:
Et tibi magna ſatis: quamvis lapis omnia nudus,

Li-

*& coagularem opimos caſeos* ad uſum *ingratæ urbis*; *nunquam referebam domum manus plenas pecuniâ.* M. *Mirabar cur triſtis invocares* Deos, *o Amarylli, cui ſervares poma pendentia ſuis quæque arboribus: Tityrus hinc aberat: ipſæ pinus, ipſi fontes, hæ ipſæ arbores te repetebant.* T. *Quid feciſſem? nec poteram* aliter *abire e ſervitute; nec Deos experiri tam propitios in alio loco*, quam Romæ. *Illic vidi juvenem illum, o Melibœe, propter quem aræ noſtræ fumant ſingulis annis per duodecim dies. Illic ipſe prior* ita *reſpondit roganti mihi: Pueri, paſcite boves, ut prius, & ſubjugate tauros* jugo. M. *O felix ſenex! itaque agri tui relinquentur tibi, iique tibi ſatis ampli: licet nuda ſaxa tegant cæteros undique, & pa-*

## N O T Æ.

antem. I. juxta Pomponium patrimonium univerſum ſignificat, a *pecu*, ſive *pecore*; unde & *pecunia* dicta: ſive quod omnia veterum bona olim in pecoribus conſiſterent, ut habent Varro & Plutarchus: ſive quod prima pecunia facta ſit ex inciſis pecudum coriis, ut volunt Caſſiod. & Suidas: ſive quod æs antiquiſſimum, cum ſignari cœpit, ovis aut bovis capite ſignatum ſit, ut refert Plinius. II. *Peculium* proprie eſt privata pecunia, quam ſervus, domini permiſſu, ſeparatim a domini rationibus comparabat, aut ad redimendam libertatem, aut alios in uſus. Atque eo quoque modo hic ſumi poteſt, ubi Tityrus ſervi perſonam induit.

36. *Gravis ære.*) Pecunia, quæ primum apud Romanos ære rudi, necdum ſignato, conſtitit.

37. *Mirabar, quid, &c.*) Hic verſus ita cruciat allegoriæ patronos, ut mendum irrepſiſſe huc velint, & reponi *Galateam* pro *Amaryllide*, quo ſibi conſtet allegoria. Fatentur quippe in Romam cadere iſta non poſſe: quia neque Melibœus, Romanarum rerum inſcius, Romę dolorem de abſente Virgilio ſeu Tityro ſcire potuit, cũ doceatur ab ipſo Tityro quid ſit Roma: *Urbem quam dicunt Romam, &c.* Neque Virgilius, poetarum modeſtiſſimus, ita de ſe ſentiebat jam tum ac ſcribebat magnifice, ut tantam de ſe fuiſſe Romę ſolicitudinem putaret. Planus abſque allegoria ſenſus eſt, ſi de amicis puellis intelligatur. Abjecit Galateam Tityrus, amat Amaryllida, proficiſcitur Romam: Amaryllis interim, quæ Mantuę relinquitur, abſentis deſiderio tabeſcit. Melibœus, qui dolorem Amaryllidis noverat, nõ item cauſam doloris, nunc demum a Tityro profectionis cauſã intelligit, eidemque abſentiam exprobrat quaſi leviter amanti: unde purgat ſe Tityrus: *Quid facerem*, inquit, quid aliud remedii malis meis eſſe poterat, quam Romam proficiſci? &c.

40. *Arbuſta.*) Non arbuſculæ ſunt & fruticeta, ut quidam putant. Nam *convalles & arboreta magna erant*, inquit Gellius l. 17. c. 2. ex Q. Claudii annalibus; additque, *arboreta ignobilius verbum eſt, arbuſta celebratius.* Igitur loca ſunt arboribus conſita fructiferis, vel non fructiferis, ut ſcite quidem Valla & Ramus colligunt ex auctoribus rei ruſticæ. Nec obeſt quod legatur Ecl. 4. 2. *Non omnes arbuſta juvant humileſque myricæ. Si canimus ſilvas, &c.* Senſus enim eſt, *Non omnibus placent myricæ, at ne ipſæ quidem arbores: ſed ſilvæ altiores, &c.*

43. *Juvenem.*) Octavianum, annos natum tunc circiter 22. *Decreverat enim Senatus*, inquit Servius, *ne quis eum puerum appellaret, ne majeſtas imperii minueretur.*

44. *Bis ſenos.*) Singulas duodecim anni menſibus Calendas aut Idus intellige cum Servio, quibus forte ſacrificia fiebant, ad conciliandos quidem Octaviano Deos; non vero tum in ipſius Octaviani honorem, ut diximus ad verſ. 6.

45. *Primus.*) Prævenit beneficio preces meas.

46. *Pueri.*) Pueri appellatio tres habet ſignificationes, ex Paulo *in Verb. ſignif.* Unam qua ſervi pueri dicuntur, alteram qua puer puellæ opponitur, tertiam qua puerilis ætas demonſtratur. Addi poteſt & quarta, quæ ad blanditias pertinet: quando patronus aut dominus ſubditos, etiam ætate grandiores,

popu-



Limoſoque palus obducat paſcua junco:
Non inſueta graves tentabunt pabula fœtas;
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate ſenex! hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper vicino ab limite ſepes,
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe levi ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab ulmo.
*T.* Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in litore piſces;

Ante,

*& palus operiat paſcua cœnoſo junco: inſolita pabula non vitiabunt gravidas pecudes, neque noxia contages vicini gregis inficiet eas. O felix ſenex! hic prope amnes cognitos, & fontes dicatos* Nymphis, *frueris umbra frigida. Ex alia parte ſepes limitis propinqui, in qua flos ſalicum carpitur ſemper a Siculis apibus, ſæpe tenui murmure* apum *te invitabit, ut ſomno indulgeas. Ex alia parte putator frondium excelſo in colle cantabit ad auras. Neque tamen interim raucæ palumbes*, quæ ſunt *tuæ deliciæ, neque turtur deſinet queri ex ulmo ſublimi.* T. *Prius igitur agiles cervi paſcent in aere, & maria deſerent in litore piſces defectos aqua:*

prius

## N O T Æ.

populariter, & amice compellat. Quarta hæc, & prima conveniunt Tityro, qui ſervum ſe fingit, & *ſenex* appellatur.

46. *Submittite tauros.*) Secuti ſumus interpretationem Servii, utpote ſimpliciorem & convenientiorem loco: ſenſus enim erit, *Paſcite & arate*, qua duplici cura res fere omnis ruſtica continetur. Alia tamen deduci poteſt, I. Cum Nannio: *ſuperinducite ad propagationem*; aliquando enim in compoſitis *ſub* uſurpatur pro *ſuper*, ut Æn. 12. 287. *corpora ſaltu ſubjiciunt in equos*: hoc eſt *ſuperjiciunt*. II. Cum Cerdano, *proferte & producite in paſcua*: eſt enim apud Lucret. l. 1. *Lætificos nequeat fœtus ſubmittere tellus*, i. e. *proferre*. III. Cum Erythræo, *ſupplete gregem*, & ſubſtituite novos tauros in locum eorum, qui belli tempore perierunt: eſt enim in Juſtin. Inſtit. l. 2. de rerum diviſ. *Si gregis uſumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius ſubmittere debet.*

48. *Quamvis lapis.*) Volunt plerique omnes deſcribi his verbis Virgiliani ſterilitatem agri, qui, ut innui putant Ecl. 9. 7. a colle lapidoſo ad fluvium uſque Mincium vicinaſque paludes pertinebat: adeoque nec erat frumento, nec paſcuis opportunus. Ego iis non aſſentior: tum quod ejus agri deſcriptio, quæ fit Ecl. 9. non ſterilitatem ſed ubertatem potius notet: tum quod hic frequens de Tityri gregibus, paſcuis, & umbraculis mentio fiat. Igitur de cæteris Mantuanorum agris locum explico. Tibi ſcilicet agri tui colendi & exercendi permittentur: quamvis reliqua omnis regio, tam culta prius, nunc belli calamitate horreſcat.

50. *Graves tentabunt pabula fœtas.*) *Fœtas*, & *graves* conjungit, ut ſignificet *prægnantes*: quia *fœtas* ſine addito de iis etiam dici poſſet, quæ jam fœtum ſive partum ediderunt. Et vero *fœta* aliquando eſt *gravida, plena*, Æn. 1. 55. *Loca fœta furentibus Auſtris.* Æn. 2. 238. *Fœta armis*, machina equi Trojani. Aliquando eſt, *jam enixa*: Æn. 8. 630. *Fœtam Mavortis in antro Procubuiſſe lupam, geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros.*

50. *Non inſueta &c.*) Quia non cogeris, ut cæteri, exul abire in novas & inſuetas regiones cum gregibus.

51. *Nec mala, &c.*) Quia ex difficultate paſtionis fames oritur in gregem, ex fame morbus, qui ſemper in grege contagioſus eſt.

52. *Flumina nota.*) Mincium, *Menzo*, de quo Ecl. 7. 13. & Padum, *il Po*, de quo Georg. 1. 482.

54. *Hinc tibi, &c.*) Senſus hujus loci ſatis intricatus his notis explanabitur. I. Sepes quædam Virgilium inter ejuſque vicinum agri limes ac terminus fuit. II. Sepes illa ſalicibus conſtabat. III. Delectantur flore ſalicum apiculæ, & levi ſuſurro ſoporem conciliant. IV. Apes Hyblææ figurate dicuntur pro apibus optimis: *Hybla* enim oppidum eſt Siciliæ & mons oppido vicinus, loca melle commendatiſſima. V. Familiaris eſt Græcis hæc loquendi forma, *florem depaſta*, ut Æn. 1. 593. *Os humeroſque Deo ſimilis, &c.* i. e. *ſecundum florem, ſecundum os & humeros.* VI. *Salicti* dicitur pro *Saliceti*: *Salicetum* locus eſt ſalicibus conſitus, ut *arbuſtum* arboribus.

58. *Palumbes.*) Columbæ ſilveſtres, Ital. *colombo ſelvaggio*. Dicitur etiam palumbus & palumba.

61. *Freta.*) *Fretum*, ſynecdoche pro mari: *fretum* enim proprie eſt anguſtum mare inter

duas

ALERE FLAMMAM VERITATIS

Ante, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.
*M.* At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.
En unquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot, mea regna, videns mirabor ariſtas?

Im-

*prius exterris Parthia potabit Ararim, aut Germania Tigrim, regionibus mutuo permutatis, quam forma illius juvenis excidat mihi ex animo.* M. *Nos vero hinc pulſi partim ibimus in Africam aridam, partim petemus Scythiam, aut celerem Oaxem Cretæ, aut Britannos omnino ſeparatos a cæteris populis. Nunquamne poſt diuturnum tempus, poſt aliquot annos, reviſam cum admiratione patriam regionem, & tectum caſæ pauperis extructum e gleba, quæ tota erat mea poſſeſſio?*

Sce-

N O T Æ.

duas terras: *fretum Siculum*, *Gaditanum*, &c. a fervendo dictum, quod in eo mare compreſſum efferveſcat, ac veluti ebulliat.

62. *Ante, pererratis, &c.*) *Parthi* oriundi e Scythis eam Aſiæ regionem occupavere, quæ ab occaſu, Media; a ſeptentrione, mari Caſpio; ab oriente, Bactriana & Ariana; a meridie, Carmaniæ deſertis terminabatur. Mox in imperium prope immenſum evaſere ſub Arſacidis regibus, regna duodeviginti complexi juxta Solinum c. 59. Romanum jugum nunquam omnino ſubiere, ſagittis formidoloſi præcipue, quas inter fugiendum in inſequentes retorquebant, mira arte verſis equis & inſtaurata pugna. *Germani*) Rheno ab occidente; Oceano & mari Balthico a ſeptentrione; Viſtula ab oriente; Danubio, a meridie olim circumſcripti: nunc terminis ab oriente paulo anguſtioribus utuntur, a meridie vero latioribus, nempe Alpibus ab Italia diviſi. *Araris*) Non Germaniæ, ſed Galliæ fluvius, *la Saone*, oritur ex Vogeſo monte, *Vauge*, & placidiſſime fluens, ad Lugdunum Rhodano rapidiſſimo amni commixtus, cum eo in mare Mediterraneum fluit: unde Claudianus, *lentus Arar, Rhodanuſque celer. Tigris*) Non eſt in Parthia proprie dicta: ſed ortus ex Armeniæ montibus, aliquanto poſt ſpatio in terras mergitur, mox erumpens auctior, per Aſſyriam ac Meſopotamiam in Euphratem influit, quocum in Perſicum ſinum defertur. *Amborum.*) Inſulſe Pomponius explicat de Ambis Arabiæ populis, qui nihil hic ad rem. Melius Ramus de utroque fluvio: ſed optime Servius de utriſque populis Parthis & Germanis. Porro quidam ſugillant Virgilium, quod videatur Tigrim in Parthia, Ararim in Germania perperam collocare. Excuſant errorem aliqui ex decoro inſcitiæ paſtoralis. Alii melius animadvertunt, hoc eſſe Virgilio familiare, non ex inſcitia, ſed potius ad majorem dignitatem, regionum limites, quantum ſine veritatis diſpendio fieri poteſt, extendere; quod ſæpius deinde videbimus: G. 1. 490. & G. 4. 287. Atqui verum eſt Ararim & Tigrim, non in Germania quidem aut Parthia proprie dicta, ſed ſaltem in ſubditis Germanorum & Parthorum imperio regionibus tunc fuiſſe. Sane Parthos longo ſpatio Tigrim eſſe prætergreſſos, patet ex clade Craſſi, qui paulo ante cæſus fuerat ab iiſdem, ad Carrhas Meſopotamiæ urbem, non procul ab Euphrate. Germani autem, ut conſtat ex Cæſare l. 1. de bello Gal. ad CXX. millia conſederant in Sequanis, quos Araris interfluit: ac licet inde pulſi ab eodem fuiſſent ultra Rhenum, id tamen de Arioviſto duntaxat ejuſque exercitu, non etiam de pacatis & inermibus familiis intelligi poteſt.

65. *Sitientes Afros.*) Africa mundi quarta pars, *ſitiens* dicta, quia zonæ torridæ magna ex parte ſubjecta: maribus undequaque alluitur tribus, Mediterraneo ad ſeptentrionem, Oceano ad occidentem & meridiem, Erythræo ad orientem: plane triangularis inſula, niſi eam continenti Aſiæ conjungeret aliquot leucarum Iſthmus inter Erythræum & Mediterraneum mare interjectus; *Stretto di Suez.*

66. *Scythiam.*) Scytharum nomine Septentrionales omnes Aſiæ populos antiqui complexi ſunt, qui vagi, ſine urbibus, tectis, & legibus, opes in armentis habebant omnes, uxores & liberos plauſtris corio tectis hinc inde circumferebant, Martem ſub ſpecie acinacis adorabant, ex Herod. l. 4. Tartari regionem illam nunc occupant, quæ monte Imao, qui Tauri pars eſt, fere dividitur duas in partes: quarum quæ ad occidentem eſt, Scythia ſive Tartaria citerior, & intra Imaum; quæ ad orientem vergit, ulterior & extra Imaum dicitur.

66. *Cretæ veniemus Oaxem.*) Extat fluvius hujus nominis non in Creta, ſed in Meſopotamia, de quo ſermonem hic eſſe contendit Servius,

vius,



Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? En quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! en queis conſevimus agros!
Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos poſthac, viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam: non, me paſcente, capellæ,
Florentem cytiſum & ſalices carpetis amaras.

T. Hic

*Sceleratus miles poſſidebit hæc arva tam culta? peregrinus has meſſes? Ecce quo* calamitatis *diſſenſio adegit cives infortunatos: ecce propter quos ſeminavimus arva. Nunc, o Melibœe, inſere pyros, digere vineas in ordinem. Ite, ite, meæ capellæ, grex olim fortunate. Non ego deinde ſtratus viridi in ſpelunca aſpiciam vos procul ſpinoſa e rupe pendere: cantilenam nullam modulabor: non tondebitis, o capellæ, cytiſum florentem & ſalices amaras, me cuſtode.*

T. Ta-

N O T Æ.

vius, cumque *rapidum Cretæ* vocari ait, quod cretam, ſeu terram albam curſu ſecum rapiat, unde ſit turbulentus. Quod vix cuiquam ſano placeat: Volunt alii Oaxem reipſa fuiſſe in Creta: quod etſi in Geographis veteribus diſerte non habeatur, tamen conjicitur ex eo, quod Apollonius Argon. 1. v. 1131. Cretam vocat *tellurem Oaxida;* tum Herodotus l. 4. *Oaxis*, urbis in Creta olim regiæ, meminit: cui quidem tributum nomen ab *Oaxe* quodam Apollinis filio refert ex Varrone Servius. Quidni fluvius ejuſdem cum urbe nominis fuiſſe ibidem dicatur? quod malim vel uno auctore Virgilio affirmare, quam ad vanum inſcitiæ paſtoralis effugium cum aliis recurrere.

67. *Diviſos orbe Britannos.*) Britannia, olim Albion, inſula Europæ maxima in Oceano, Galliæ obverſa, duas diviſa in partes, Angliam & Scotiam. *Diviſos orbe.*) Quia orbem antiqui vocabant terram continentem, quæ Oceano alluitur: unde, ut notat Vives, inſulæ Oceani extra orbem dicuntur eſſe, non item inſulæ Mediterranei maris, ut Sicilia, Cyprus, &c.

68. *En unquam.*) Servius explicat, *unquamne*, *aliquandone*; Fruterius, *an unquam*. Non ſatis diligenter: ſunt enim iſta omnia dubitantis tantum & interrogantis: Virgiliana autem vox etiam optantis, qui affectus per negationem aptius exprimitur, *nunquamne*: ut manifeſtum eſt ex Ecl. 8. 7. *Et erit unquam ille dies, mihi cum liceat, &c.*

69. *Tuguri.*) Pro tugurii, ut ſupra *peculi* pro peculii: eſtque omne ædificium ruſticæ rei cuſtodiendæ conveniens, a tegendo dictum. *Ceſpite.*) Ceſpes herba eſt cum propria terra exciſa, Ital. *ceſpuglio*. *Culmen.*) Tectum, quia apud antiquos tecta fiebant e culmis, ſeu paleis, inquit Servius.

70. *Poſt aliquot, mea regna, &c.*) Locus difficilis. I. *Ariſtæ* hic communiter pro meſſibus, & meſſes pro annis capiuntur: quo exemplo dixit Claudian. 4. Conſ. Honorii, *decimas emenſus ariſtas*. Non placet Germano & Cerdano: ſi enim inquiunt, *vix unquam & longo poſt tempore*, quomodo *poſt aliquot ariſtas*, ſive annos, quod breve tempus notat, rura ſua reviſurus eſt? II. Itaque iidem illi *poſt*, non præpoſitionem, ſed adverbium eſſe volunt: & interpretantur *deinde*, hoc ſenſu: nunquamne, ne longo quidem poſt tempore, dabitur hoc ut videam mea regna, pauculas *deinde* ariſtas, id eſt, ex florenti meſſe, qualis erat cum ibi regnarem, pauculas jam ac ſteriles ariſtas ſuperſtites? Sed hoc extortum videtur. III. Conjicerem ego cum Germano, *poſt ariſtas*, eadem forma dictum eſſe, qua Ecl. 3. 20. *poſt carecta latebas*; Ital. *dietro ad un canneto di carici*, & eſſe deſcriptionem agelli Melibœi, cujus regnum conſtiterit in pauculis aliquot jugeribus, adjacentibus pauperi caſulæ: cujus quidem tectum ita humile foret, ut vix emineret grandioribus ariſtis: adeoque inter eas, ſive poſt eas, latere dici poſſet.

71. *Novalia.*) Dicitur *hæc novalis*, & *hoc novale*: eſtque terra, vel, juxta Servium, ex qua ſilva recens eradicata eſt; vel potius in qua ſatum jam aliquid fuit, & quæ, priuſquam alia ſatione renovetur, ceſſat per annum & requieſcit: idque ſæpe fit alternis annis. Ita Georg. 1. 71. *Alternis idem tonſas ceſſare novales.*

74. *Inſere nunc.*) Apoſtrophe ironica Melibœi ad ſeipſum, qua indignatur ſe fruſtra laborem colendis hortis & viribus impendiſſe, cum in barbarorum commoda ceſſuræ ſunt. *Nunc.*) Particula ironiis & inſectationi apta. Juven. Sat. 12. 57. *I nunc, & ventis vitam committe, &c. Inſerere*, ſurculum, vel diverſi, vel ejuſdem generis, ſilveſtri arbori immittere, ut fructus mitiores ferat, Ital. *inneſtare*. Vide Georgic. 2. 73.

79. *Cytiſum.*) Genus fruticis ſive herbæ, cujus ſpecies multiplex, & deſcriptio apud diverſos diverſiſſima. Conſtat greges inde imprimis pingueſcere & augeri lac. In inſula Cythno, quæ Cycladum una eſt, primo inventus memoratur, ex eaque nomen accepiſſe.

82. Ca-

T. Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte
Fronde ſuper viridi. Sunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

*T. Tamen poteris hac nocte quieſcere hic mecum ſuper foliis virentibus. Habemus matura poma, caſtaneas molles, & multum coacti lactis: & jam ſumma pagorum tecta procul fumant, & umbræ grandiores porriguntur ex altis montibus.*

NOTÆ.

82. *Caſtaneæ molles.*) Servio, *maturæ*; Erythræo, *novæ*, *recentes*: male utrique: quo enim maturiores & recentiores, eo duriores. Igitur mollitiem, vel ad coctionem refert, qua edules fiunt, vel ad corticem: caſtanearum enim aliud genus eſt denſiore, aliud molliore cortice, ex Nicandri interp. Καστάνων τὸ μὲν ἄγριον, τὸ δὲ μαλακόν. Unde & Ecl. 7. 53. *Caſtaneæ hirſutæ*; hic, *Caſtaneæ molles*.

---

# ECLOGA II.

## * ALEXIS.

### ARGUMENTUM.

*Amabat Virgilius puerum: hunc Alexidis, ſe Corydonis nomine diſſimulat, & I. Duritiem ipſi exprobrat. II. Jactat apud eum ſuas opes, muſicæ peritiam, elegantiam formæ. III. Invitat eum in ſilvas, commendatione vitæ agreſtis. IV. Promittit munuſcula. Agnoſcit inſaniam ſuam, & ad curam rei familiaris redit. Puerum hunc innuit Apulejus Apologia 1. fuiſſe Pollionis; Martialis l. 5. Ep. 26. l. 8. Ep. 56. fuiſſe Mæcenatis: nihil prohibet quominus ita ſit. Prohibet vero blanditiarum ejuſmodi levitas, quominus eas Octaviano dictas putem, in quem ſane orbis Dominum cadere iſta non poſſunt,* delicias domini; *imo ne in Cornelium quidem Gallum, virum, ut Ecl. 10. videbitur, muneribus gravem. Quarum opinionum primam Servius, ſecundam Lud. Vives perperam tuentur. De tempore, quo ſcripta eſt, nihil conjici poteſt.*

NOTÆ.

* ALEXIS. Ab ἀλέξω, *arceo*, *opitulor*: ſeu quia puer arcebat a ſe Corydonem, ſeu quia voluptas erat ac ſolatium Domini.

FOrmoſum paſtor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec, quid ſperaret, habebat.
Tantum inter denſas, umbroſa cacumina, fagos

INTERPRETATIO.

*Paſtor Corydon amabat pulchrum Alexim*, qui erat *voluptas domini*: *nec erat ipſi ſpes ulla. Solummodo veniebat frequenter ad ſpiſſas fagos*, quarum *cacumen opacum* eſt:

illic

NOTÆ.

1. *Corydon.*) a κόρυδος vel κορυδαλλὶς, *alauda*, Ital. *Lodola uccello*.

3. De *fagis*, Ecl. 1. 1.

4. In-



Aſſidue veniebat: ibi hæc incondita ſolus
Montibus, & ſilvis ſtudio jactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil noſtri miſerere: mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos;
Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia ſerpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.
O formoſe puer, nimium ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

De-

*illic ſolus fundebat inutiliter montibus & nemoribus hæc verba incompoſita. O dure Alexi! nullo modo curas meos cantus, nullo modo miſereſcis mei: denique coges me mori. Nunc ipſa pecora fruuntur umbra & frigore; nunc lacerti ipſi virides latent in vepribus: & Theſtylis conterit herbas odoriferas, allia & ſerpyllum, meſſoribus fatigatis ob gravem æſtum. Interim, dum ſequor tua veſtigia, mecum ad ſolem ferventem raucæ cicadæ ſtrepitant per loca conſita arboribus.*

*Nonne fuiſſet melius tolerare graves iras & imperioſa faſtidia Amaryllidis? Nonne* fuiſſet melius tolerare *Menalcan? Licet ille fuſcus ſit, licet tu albus ſis. O formoſe puer, ne nimis confidas colori. Liguſtra jacent humi*, quamvis *candida*; *vaccinia colliguntur*, quamvis *nigra*.

Me

NOTÆ.

4. *Incondita.*) Incompoſita, ſine arte, ſeu quaſi naturali impetu. Quo ſenſu Donatus interjectiones, quales ſunt *Ah! o!* vocavit *inconditas*; quia natura, non hominum inſtituto proferuntur.

8. *Nunc etiam pecudes, &c.*) Commendat vim amoris ſui a labore, laborem ex comparatione alienæ quietis. Pecudes, inquit, lacertique viliſſimi fruuntur umbra; meſſores æſtu defeſſi cibo reficiunt vires: ego æſtuans & impranſus te quæro; nec ullus ardorem hunc meridianum tolerare mecum poteſt, præter cicadas, quibus undique ſtrepitant arbores.

9. *Spineta lacertos.*) Lacertus, & lacerta, Ital. *Lucertola, piccolo ſerpentello noto*.

10. *Theſtylis.*) Hic famulæ nomen, veneficæ apud Theocritum, Idyl. 2. 1. Unde inſulſe derivat Servius a Latina voce *teſta*, quia herbas ad cibum meſſorum in teſtaceis poculis tundebat.

11. *Allia ſerpyllumque.*) *Allium*, oleris & bulbi ſpecies, Ital. *aglio*. *Serpyllum*, herba odorata *ſerpens* humi ramuſculis tenuibus; Ital. *Sermollino*.

*Olentes.*) Ambiguum vocabulum, tam ad bonos, quam ad malos odores pertinens. Ad bonos quidem, qualis eſt ſerpylli; ad malos, qualis eſt alliorum. Sic ap. Hor. l. 1. Sat. 2. 27. *Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum: Nil medium*. Contra, *olidus* malam in partem ubique ſumitur.

13. *Cicadis.* Ital. *Cicala*, inſecti genus, ſtridulum potius quam canorum. *De arbuſtis*, Ecl. 1. 40.

14. 15. *Amaryllidis, &c. Menalcan.*) De nomine *Amaryllidis*, Ecl. 1. 31. *Menalcæ*, Ecl. 3. 1.

17. 18. *Ne crede colori. Alba, &c.*) Ut enim liguſtra, quamvis alba, ne humo quidem colliguntur, quia nihil habent utilitatis; vaccinia vero, quamvis nigra, in pretio ſunt, quia utilia tingendis veſtibus: ita tu, quamvis candidus, negligeris propter ſuperbiam; Menalcas, quamvis niger, propter ingenuam indolem amabitur.

18. *Liguſtra.*) Liguſtrum, Ital. *liguſtro pianta e fiore*, arbor, flores Majo menſe racematim ferens candidiſſimos.

*Vaccinia.*) Volunt aliqui baccas nigras, ſive acinos eſſe liguſtri, quaſi *baccinia*, quæ ſcriptorio atramento inſerviant. Alii mora agreſtia, quæ e rubo ſentis producta, ad tingendas ſervorum veſtes olim legebantur. Tamen conſtat, vel florem eſſe, vel plantam, ex hoc hujus Eclogæ v. 50. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.* Melius igitur cum Turnebo & Salmaſio dicemus hyacinthum eſſe, tum ob alia, tum quia Virgilius hyacinthum Theocriti per vaccinium Latine reddidit Ecl. 10. 39. *Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra*: plane ex illo Idyllii 10. Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος. Adde quod & vaccinium tingendæ ſervorum purpuræ uſui erat, ex Plinio; & hyacinthus hyſgino colori, qui purpuræ ſpecies eſt, conficiendo parabatur, item ex Plinio. Sic Salmaſ. in Solin. p. 272. & 1225. qui vaccinium ad eam hyacinthi ſpeciem refert, quæ *gladiolus* dicitur,



Ital.

T. Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte
Fronde ſuper viridi. Sunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

*T. Tamen poteris hac nocte quieſcere hic mecum ſuper foliis virentibus. Habemus matura poma, caſtaneas molles, & multum coacti lactis: & jam ſumma pagorum tecta procul fumant, & umbræ grandiores porriguntur ex altis montibus.*

N O T Æ.

82. *Caſtaneæ molles.*) Servio, *maturæ*; Erythræo, *novæ*, *recentes*: male utrique: quo enim maturiores & recentiores, eo duriores. Igitur mollitiem, vel ad coctionem refert, qua edules fiunt, vel ad corticem: caſtanearum enim aliud genus eſt denſiore, aliud molliore cortice, ex Nicandri interp. Κασάνα τὰ [illegible], τὰ δὲ μαλακά. Unde & Ecl. 7. 53. *Caſtaneæ hirſutæ*; hic, *Caſtaneæ molles*.

---

# E C L O G A II.

## * A L É X I S.

### A R G U M E N T U M.

*Amabat Virgilius puerum: hunc Alexidis, ſe Corydonis nomine diſſimulat, & I. Duritiem ipſi exprobrat. II. Jactat apud eum ſuas opes, muſicæ peritiam, elegantiam formæ. III. Invitat eum in ſilvas, commendatione vitæ agreſtis. IV. Promittit munuſcula. Agnoſcit inſaniam ſuam, & ad curam rei familiaris redit. Puerum hunc innuit Apulejus Apologia 1. fuiſſe Pollionis; Martialis l. 5. Ep. 26. l. 8. Ep. 56. fuiſſe Mæcenatis: nihil prohibet quominus ita ſit. Prohibet vero blanditiarum ejuſmodi levitas, quominus eas Octaviano dictas putem, in quem ſane orbis Dominum cadere iſta non poſſunt, delicias domini; imo ne in Cornelium quidem Gallum, virum, ut Ecl. 10. videbitur, muneribus gravem. Quarum opinionum primam Servius, ſecundam Lud. Vives perperam tuentur. De tempore, quo ſcripta eſt, nihil conjici poteſt.*

N O T Æ.

* ALEXIS. Ab ἀλέξω, *arceo*, *opitulor*: ſeu quia puer arcebat a ſe Corydonem, ſeu quia voluptas erat ac ſolatium Domini.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec, quid ſperaret, habebat.
Tantum inter denſas, umbroſa cacumina, fagos

I N T E R P R E T A T I O.

*Paſtor Corydon amabat pulchrum Alexim*, qui erat *voluptas domini*: *nec erat ipſi ſpes ulla. Solummodo veniebat frequenter ad ſpiſſas fagos*, quarum *cacumen opacum* eſt: illic

N O T Æ.

1. *Corydon.*) a κόρυδος vel κορυδαλλίς, *alauda*, Ital. *Lodola uccello*.

3. De *fagis*, Ecl. 1. 1.

4. In-



Aſſidue veniebat: ibi hæc incondita ſolus
Montibus, & ſilvis ſtudio jactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil noſtri miſerere: mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos;
Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia ſerpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.
O formoſe puer, nimium ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

De-

*illic ſolus fundebat inutiliter montibus & nemoribus hæc verba incompoſita. O dure Alexi! nullo modo curas meos cantus, nullo modo miſereſcis mei: denique coges me mori. Nunc ipſa pecora fruuntur umbra & frigore; nunc lacerti ipſi virides latent in vepribus: & Theſtylis conterit herbas odoriferas, allia & ſerpyllum, meſſoribus fatigatis ob gravem æſtum. Interim, dum ſequor tua veſtigia, mecum ad ſolem ferventem raucæ cicadæ ſtrepitant per loca conſita arboribus.*

*Nonne fuiſſet melius tolerare graves iras & imperioſa faſtidia Amaryllidis? Nonne* fuiſſet melius tolerare *Menalcan? Licet ille fuſcus ſit, licet tu albus ſis. O formoſe puer, ne nimis confidas colori. Liguſtra jacent humi*, quamvis *candida*; *vaccinia colliguntur*, quamvis *nigra*.

Me

N O T Æ.

4. *Incondita.*) Incompoſita, ſine arte, ſeu quaſi naturali impetu. Quo ſenſu Donatus interjectiones, quales ſunt *Ah! o!* vocavit *inconditas*; quia natura, non hominum inſtituto proferuntur.

8. *Nunc etiam pecudes, &c.*) Commendat vim amoris ſui a labore, laborem ex comparatione alienæ quietis. Pecudes, inquit, lacertique viliſſimi fruuntur umbra; meſſores æſtu defeſſi cibo reficiunt vires: ego æſtuans & impranſus te quæro; nec ullus ardorem hunc meridianum tolerare mecum poteſt, præter cicadas, quibus undique ſtrepitant arbores.

9. *Spineta lacertos.*) Lacertus, & lacerta, Ital. *Lucertola, piccolo ſerpentello noto.*

10. *Theſtylis.*) Hic famulæ nomen, veneficæ apud Theocritum, Idyl. 2. 1. Unde inſulſe derivat Servius a Latina voce *teſta*, quia herbas ad cibum meſſorum in teſtaceis poculis tundebat.

11. *Allia ſerpyllumque.*) *Allium*, oleris & bulbi ſpecies, Ital. *aglio*. *Serpyllum*, herba odorata *ſerpens* humi ramuſculis tenuibus; Ital. *Sermollino*.

*Olentes.*) Ambiguum vocabulum, tam ad bonos, quam ad malos odores pertinens. Ad bonos quidem, qualis eſt ſerpylli; ad malos, qualis eſt alliorum. Sic ap. Hor. l. 1. Sat. 2. 27. *Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum: Nil medium.* Contra, *olidus* malam in partem ubique ſumitur.

13. *Cicadis.* Ital. *Cicala*, inſecti genus, ſtridulum potius quam canorum. *De arbuſtis*, Ecl. 1. 40.

14. 15. *Amaryllidis, &c. Menalcan.*) De nomine *Amaryllidis*, Ecl. 1. 31. *Menalcæ*, Ecl. 3. 1.

17. 18. *Ne crede colori. Alba, &c.*) Ut enim liguſtra, quamvis alba, ne humo quidem colliguntur, quia nihil habent utilitatis; vaccinia vero, quamvis nigra, in pretio ſunt, quia utilia tingendis veſtibus: ita tu, quamvis candidus, negligeris propter ſuperbiam; Menalcas, quamvis niger, propter ingenuam indolem amabitur.

18. *Liguſtra.*) Liguſtrum, Ital. *liguſtro pianta e fiore*, arbor, flores Majo menſe racematim ferens candidiſſimos.

*Vaccinia.*) Volunt aliqui baccas nigras, ſive acinos eſſe liguſtri, quaſi *baccinia*, quæ ſcriptorio atramento inſerviant. Alii mora agreſtia, quæ e rubo ſentis producta, ad tingendas ſervorum veſtes olim legebantur. Tamen conſtat, vel florem eſſe, vel plantam, ex hoc hujus Eclogæ v. 50. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.* Melius igitur cum Turnebo & Salmaſio dicemus hyacinthum eſſe, tum ob alia, tum quia Virgilius hyacinthum Theocriti per vaccinium Latine reddidit Ecl. 10. 39. *Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra:* plane ex illo Idyllii 10. Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος. Adde quod & vaccinium tingendæ ſervorum purpuræ uſui erat, ex Plinio; & hyacinthus hyſgino colori, qui purpuræ ſpecies eſt, conficiendo parabatur, item ex Plinio. Sic Salmaſ. in Solin. p. 272. & 1225. qui vaccinium ad eam hyacinthi ſpeciem refert, quæ *gladiolus* dicitur,

B Ital.

Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim quæris, Alexi:
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æſtate novum, non frigore deſit.
Canto, quæ ſolitus, ſi quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec ſum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare: non ego Daphnim
Judice te metuam, ſi nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi ſordida rura
Atque humiles habitare caſas, & figere cervos,
Hædorumque gregem viridi compellere hibiſco!
Mecum una in ſilvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit: Pan curat oves, oviumque magiſtros.

Nec

*Me contemnis, o Alexi, nec conſideras quis ego ſim, quam multas poſſideam oves, quam multum habeam lactis candidi. Mille oves meæ vagantur in montibus Siciliæ: lac recens non deeſt mihi per æſtatem, nec per hyemem. Cano ea, quæ Amphion Thebanus ſolebat canere in Aracyntho litorali. Nec ſum tam deformis: nuper vidi me e litore, cum mare tranquillum non moveretur vento. Ego non timerem Daphnim, te ipſo arbitro, niſi aliquando forma me decipiat. Utinam velis tantummodo mecum incolere agros tibi viles, domoſque parvas: & tranſfodere cervos, & ducere gregem hædorum ad hibiſcum virentem. In ſilvis ſimul mecum imitaberis Pana cantando. Pan primus in morem induxit nectere cera multas arundines. Pan protegit oves & paſtores ovium.*

*Nec*

## N O T Æ.

Ital. *ghiado*. Ruellius tamen fretus ſimilitudine nominis, ad eam ſpeciem, quam Ital. vocant *ghiaggiuolo*. Vide Ecl. 3. 62.

*Nigra.*) Non proprie nigra, ſed ferruginea ſunt; unde Georg. 4. 183. *ferrugineos hyacinthos*. Ferrugineus autem color eſt, non rubiginoſi quidem ferri, ut quidam volunt; ſed politi ac levigati ferri, poſtquam candefactum refriguit, Ital. *brunitura*. Is autem color non admodum a violaceo diverſus eſt: videturque e rubro, nigro, ac cæruleo temperatus; unde pro tribus his coloribus paſſim uſurpatur: pro rubro quidem Æn. 11. 772. *ferrugine clarus & oſtro*; pro nigro Æn. 6. 303. de Charonte. *Et ferruginea ſubvectat corpora cymba*; pro cæruleo apud Plaut. in mil. 4. 4. 43. *palliolum habeas ferrugineum; nam is color thalaſſicus eſt*, id eſt, marinus & cæruleus. Talis eſt hyacinthi & vaccinii color.

21. *Siculis in montibus.*) Vel quia ſcena hujus Eclogæ forte in Sicilia conſtituitur, vel quia poeta imitatur Siculum Polyphemũ, qui iiſdem ferè verbis Galateam apud Theocritũ alloquitur, Idyl. 11. vel potius quia Sicilia fertiliſſimis abundat pabulis; unde olim Romani imperii horreum vocata eſt, ob vina, frumenta, & paſcua. De *Sicilia* inſula, Italiæ adjacente, *fuſe* Æn. 3. 687.

24. *Amphion Dircæus.*) Jovis filius & Antiopes, quæ Lyci Thebarum regis uxor fuerat, ab eodemque repudiata, & a Dirce, cum qua Lycus ſecundas nuptias contraxerat, carcere incluſa, inſtante partus tempore a Jove liberata eſt, & in Cytheronem montem fugiens, ibi gemellos edidit in bivio. Hos inventos paſtores educaverunt: & alterum quidem appellaverunt Zetum, a ζητεῖν *quærere*; alterum Amphionem, quod ἀμφὶ ὁδὸν *circiter viam* editus eſſet. Hi poſtea adulti matrem ulti ſunt ſuam, occiſa Dirce, quam Bacchus in fontem hujus nominis mutavit, non procul Thebis. *Amphion* citharæ ſono, quam a Mercurio dono acceperat, Thebarum muros extruxit. *Dircæus*, vel a Dirce occiſa, vel a fonte ipſo Thebano dictus.

24. *Actæo Aracyntho.*) Mons Aracynthus Vibio quidem in Attica eſt, quæ ἀκτὴ vocata eſt, unde & mons ille *Actæus*. Sed Vibio plerique omnes repugnant, & Aracynthum in Bœotia communi ferme ſuffragio collocant, prope Thebas, in mare prominentem: his adhærendum eſt. At unde hic vocatur *Actæus*? Probus ab *Actæone* Thebano deducit, qui circa hunc montem forte venabatur, cum a canibus, ob viſam in lavacro Dianam, laniatus eſt. Servius Actæum vocatum putat, quaſi *litoralem*: eſt enim ἀκτὴ *litus*. Qua voce uſus eſt Virgilius. Æn. 5. 613. *At procul in ſola ſecretæ Troades acta*.

26. *Non ego Daphnim.*) Alius paſtor, forma nobilis. Nomen a δάφνη, *Laurea*.

30. *Compellere hibiſco.*) *Hibiſcus* planta e genere malvarum ſilveſtrium, folio major &

caule



Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.
Hæc eadem ut ſciret, quid non faciebat Amyntas?
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens: Te nunc habet iſta ſecundum.
Dixit Damœtas, invidit ſtultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, ſparſis etiam nunc pellibus albo,
Bina die ſiccant ovis ubera: quos tibi ſervo.
Jampridem a me illos abducere Theſtylis orat:
Et faciet: quoniam ſordent tibi munera noſtra.
Huc ades, o formoſe puer. Tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Nais,
Pallentes violas & ſumma papavera carpens,
Narciſſum & florem jungit bene olentis anethi.

Tum

*Nec pigeat te labra atterere fiſtula. Quid non faciebat Amyntas, ut diſceret hæc eadem a me? Habeo fiſtulam conflatam e ſeptem cicutis inæqualibus, quam Damœtas quondam donavit mihi: & dixit moriens: Tu nunc iſtam ſecundus poſſides. Damœtas* hoc *dixit, Amyntas ſtolidus invidit. Inſuper duo capreoli inventi a me in valle, non ſine periculo: quorum pelles* ſunt *adhuc diſtinctæ* maculis *candidis: quotidie exhauriunt gemina ovis ubera: hos ſervo tibi. Jamdudum Theſtylis conatur precibus obtinere illos a me, & obtinebit, ſiquidem dona mea tibi vileſcunt. Huc veni, o formoſe puer. En Nymphæ offerunt tibi lilia plenis caniſtris: alba Nais tibi colligens violas pallidas & capita papaverum, addit narciſſum & florem anethi odoriferi.*

*Deinde*

## N O T Æ.

caule piloſior, Ital. *malvaviſchio*, *paſtricciano*. Hanc Scaliger in Varr. refert inter paſcua purgantia, unde greges ait ad eam plantam medicinæ cauſa compelli ſolitos, atque ita *hibiſco*, erit *ad hibiſcum*: ut *it clamor cælo*, pro *ad cælum*. Stephanus vero ait in Seminario, ita interdum hibiſcum grandeſcere, ut ex herbacea natura velut in arborem tranſeat, unde paſtores conficere baculos poſſint; & ita *compellere hibiſco*, erit *deducere baculo*. Servius *compellere* interpretatur, *a lacte depellere, & ad paſtionem herbarum cogere*, hibiſco propoſito.

31. *Pana.*) Pan ruſticæ & paſtoritiæ rei præſes Deus, quem habuerit patrem haud ſatis conſtat: Mercurium plerique dicunt. Sic appellatus a πᾶν *omne*: vel juxta Homerum in hymnis, quia Deorum omnium delectaverat mentes, cum citharam recens natus ſcite pulſaſſet: vel juxta alios, quia naturam omnem repræſentabat; cornibus, radios Solis & Lunæ cornua; rubicunda facie, ætherem; caprinis pedibus, terræ ſoliditatem; pilis hiſpidis, terræ arbores & feras, &c. Fiſtulam compegiſſe dicitur primus ex arundineis calamis, cum Syringem nympham, quam deperibat, ſociarum precibus mutatam vidiſſet in arundinem, unde fiſtula Græcis σύριγξ dicta.

35. *Amyntas.*) Ab ἀμύνω *ſuccurro*.

36. *Diſparibus, &c.*) Fiſtula continebatur olim ſeptem calamis, apud Theocritum etiam novem, Idyl. 8. ut vocum diſcrimina totidem imitaretur. Calami porro cera inter ſe conjuncti ea proportione decreſcebant, ut in ſummo, qua inflabantur, æquales eſſent; inæquales in imo, qua exibat ſpiritus. *Cicutam*). Scaliger vult hic plantam illam eſſe venenatam, cujus ſucco Athenienſes ad publicum mortis ſupplicium, caule autem cavo ad muſicam utebantur. Gall. *de la cigue*. Servius putat eſſe calamorum quorumlibet internodia, ſed ſine teſte.

39. *Damœtas.*) Dorice pro Δημοίτας, quaſi δημότης *popularis*, a δῆμος *populus*.

46. *Nymphæ.*) *Nympha*, quaſi νέα φαίνουσα *nova apparens*; & ſignificat, tum *novam nuptam*; tum fœminea illa numina, quæ juxta Pauſaniam, non immortalia quidem, ſed longiſſimi & pene innumerabilis ævi putabantur. Præerant autem aquis fluvialibus *Naiades*, ſive *Naides*, a νάειν *fluere*; marinis *Nereides*, Nerei & Doridis filiæ; montibus *Oreades*, ab ὄρος *mons*; ſilvis *Dryades*, a δρῦς arbor, *quercus*; ſingulis arboribus *Hamadriades*, ab ἅμα *ſimul*, & δρῦς *arbor*, quia cum iiſdem arboribus occidebant; hortis & lucis *Napææ*, a νάπη *ſaltus*, *viretum*; pratis *Limoniades*, a λειμὼν *pratum*; ſtagnis *Limniades*, a λίμνη *ſtagnum*.

*Calathis.*) Græcum eſt κάλαθος, Latine *caniſtrum*, *qualum*, *qualus*, *quaſillum*, *quaſillus*. Calathi forma patenti lilio ſimilis. Lilium enim ita deſcribit Plin. l. 21. c. 5. *Effigie calathi, reſupinis per ambitum labris*.

47. *Pallentes violas.*) Plin. l. 21. 6. Violas ait, alias eſſe purpureas, alias luteas, alias albas: ad albas revocantur pallentes, quas ele-

 git

Tum caſia, atque aliis intexens ſuavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna: & honos erit huic quoque pomo,
Et vos, o lauri, carpam, & te, proxima myrte,
Sic poſitæ quoniam ſuaves miſcetis odores.
Ruſticus es, Corydon, nec munera curat Alexis:
Nec ſi muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu, quid volui miſero mihi? floribus Auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis, ah, demens? habitarunt Dii quoque ſilvas,
Dardaniuſque Paris. Pallas, quas condidit, arces

Ipſa

*Deinde miſcens* cum *caſia & aliis herbis dulcibus, ornat mollia vaccinia calthis croceis. Ego vero colligam poma albentia molli lanugine, & nuces caſtaneas, quas mea Amaryllis diligebat. Adjungam pruna flava, & laus erit quoque huic fructui. Et vos decerpam, o lauri, & te, myrte, lauris vicina: quia ita junctæ emittitis gratos odores. Agreſtis es, o Corydon, & Alexis non movetur tuis donis: & ſi contendas donis, Iolas non cedet tibi. Heu miſer, quid feci? immiſi Auſtrum floribus, & apros puris fontibus, imprudens! ah, ſtulte, quem fugis? Dei ipſi incoluerunt nemora, & Paris Trojanus. Pallas incolat ipſa urbes, quas extruxit:*

*ſil-*

## N O T Æ.

git Corydon, ut amantium tinctas colore. Horat. enim l. 3. od. 10. 14. *Et tinctus viola pallor amantium.*

*Papavera.*) Papaver, Narciſſus, & Anethum, pulcherrimi pueri fuerunt, qui, juxta Servium, in flores ſuorum nominum converſi ſunt: quos dum offert Corydon, Alexim quaſi admonet, ne ipſe tale aliquid ex amore olim patiatur. De *Narciſſo* quidem nota eſt fabula. Fuit Cephiſſi Bœotiæ amnis & Liriopes nymphæ filius: quem prædixerat Tireſias tandiu victurum, quamdiu a ſui conſpectu abſtineret. Is cum Echus nymphæ amorem ſpreviſſet, ſuamque in fonte imaginem conſpexiſſet, amore ſui contabuit, & in florem cognominem eſt mutatus. De *Anethi* autem & *Papaveris* metamorphoſi nihil apud veteres legi.

49. *Tum caſia.*) Caſia multiplex. I. Frutex cinnamomo affinis, odorato cortice, *cannella*. II. Fiſtula, cujus medulla medicinalis eſt, *caſſia*. III. Herba coronaria, quam etiam Cneorum ex Hygino Plinius vocat, l. 21. c. 9. Cneorum autem album, *Lavendulam*; nigrum *Roſmarinum* eſſe putat Dalecampius. De hac tertia ſpecie ſolum hic ſermo eſt.

50. *Vaccinia caltha.*) De *Vacciniis* ſupra v. 18. *Caltha* flos lutei ſive crocei coloris, Ital. *giraſole*, quaſi *ſolſequium*, quia præſertim cum tenerior eſt, ad ſolem inflectitur.

51. *Cana legam, &c.*) Mala intelligit Cydonia ſive Cotonea, Ital. *Cotogni*, ut ex canitie & lanugine colligitur: item ex fragmento Petronii, quod ex hoc loco manifeſte expreſſum eſt.

*Sordent velleribus hirſuta Cydonia canis,*
*Sordent hirſutæ munera Caſtaneæ:*
*Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna;*
*Ruſticus hæc Corydon munera magna putet.*

52. *Caſtaneaſque nuces.*) Nux, genus eſt fructuum omnium, qui duriore corio muniti ſunt: ſpecies ſunt, avellanæ, amygdalæ, juglandes, caſtaneæ, &c.

53. *Cerea pruna.*) Cerea vel ob mollitiem ut Horat. de a. p. 163. *Cereus in vitium flecti.* Vel ob colorem croceum, ut in Priapeiis, *magiſque cera luteum nova prunum.*

*Honos erit huic pomo.*) Commendatione accipientis Alexidis: ſicut caſtaneis, ob amorem Amaryllidis.

54. *Proxima myrte.*) Myrtus perpetuo virens, Veneri ſacra, vel quia propter odorem accommoda eſt ad delicias, vel quia maris litoribus gaudet, unde & Venus orta. *Proxima* lauro, vel ſitu, vel odore, vel etiam dignitate, quia laureæ coronæ Romæ uſui fuerunt in triumpho; myrteæ in ovatione, quæ minor triumphus erat, in equo, non in curru.

56. *Ruſticus es.*) Tria amoris impedimenta: Corydon ignobilis & ruſticus, Alexis munerum negligens, rivalis Iolas muneribus potentior.

57. *Iolas.*) Forte ab interjectione *ἰὼ*, quæ modo lætitiam, modo luctum ſignat.

58. *Eheu! quid volui, &c.*) Multiplex explicatio. I. Lud. Vives: Inanem operam ſumo, fundo carmina ſurdis auribus, perinde ac ſi flores ventis rapiendos exponerem, aut puram aquam ſuibus proculcandam. II. Nannii: Res

meas



Ipſa colat: nobis placeant ante omnia ſilvæ.
Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella:
Te Corydon, o Alexi: trahit ſua quemque voluptas.
Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci,
Et ſol creſcentes decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor: quis enim modus adſit amori?
Ah, Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt;
Quin tu aliquid ſaltem potius, quorum indiget uſus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexim.

*ſilvæ autem placeant nobis præ cæteris* rebus. *Ferox leæna ſectatur lupum, lupus ipſe capellam; petulans capella ſectatur cytiſum: te Corydon* ſectatur, *o Alexi: unuſquiſque rapitur ſua voluptate. Vide, en juvenci referunt domum aratra ſublevata jugo: & ſol occidens auget creſcentes umbras: me tamen amor inflammat: nam quis* poteſt *eſſe finis in amore? Ah Corydon, Corydon, quænam inſania te occupavit! Habes in ulmo frondoſa vitem media ex parte reciſam: cur non potius conaris ſaltem texere vimine, aut junco flexili, aliquid* earum rerum, *quarum eget vita ruſtica? reperies alium Alexim, ſi hic te deſpicit.*

## N O T Æ.

meas florentes hoc amore corrupi. Quam ſententiam hic duplici proverbio, ventorum & porcorum, deinde expreſſis verbis exponit: *quæ te dementia cepit? Semiputata tibi, &c.* III. Abrami: Quænam vox excidit mihi, cum Iolam nominavi, & munerum feci mentionem? Alexis enim, ſi me audierit, Iolam ditiorem ſane mihi præponet. Perinde igitur feci, ac ſi *floribus auſtrum, &c.*

*Auſtrum.*) Auſter ſive Notus, ventus a meridie flans, magnos humores colligens, quibus infert floribus & valetudini perniciem.

60. *Dii quoque ſilvas.*) Apollo ſcilicet, cum Admeti gregem pavit, cœlo pulſus ob cædem Cyclopum, qui fulmina Jovi fabricaverant, ad occidendum Phaetonta filium Apollinis.

61. *Dardaniuſque Paris.*) Priami & Hecubæ filius: a patre expoſitus in ſilvis, quia cum Hecuba facem ardentem parere ſe ſomniaſſet, conjectores reſponderant, infantem, quem in utero geſtabat, Trojani excidii cauſam futurum. Itaque educatus inter paſtores, in agonali certamine, quod ad Trojam celebrabatur, cum Hectorem viciſſet, & ab eodem irato prope eſſet occidendus, pro ejuſdem fratre agnitus eſt. Cætera paſſim in Æn. *Dardanius.*) Id eſt, Trojanus, a Dardano Electræ Joviſque filio, uno e Trojæ conditoribus.

*Pallas, quas, &c.*) Pallas, nata e cerebro Jovis, armata & haſtam quaſſans: unde nomen habuit a *πάλλω quatio.* Artium Dea, prima ædificiorum inventrix: & apud Athenienſes conditrix habita ejus arcis, quæ Ἀκρόπολις eſt dicta, quia in ſumma urbis parte poſita erat.

64. De *Cytiſo*, Ecl. 1. 79.

66. *Aſpice, aratra, &c.*) Colligit animum Corydon, & ex occaſu ſolis, & ceſſatione operum ruſticorum, agnoſcit jacturam temporis & inſaniam amoris ſui. Mox illud quaſi exprobrando ſibi objicit, *Me tamen urit amor: quis enim modus, &c.* Tum negligentiam ſibi ſuam ponit ob oculos: *Semiputata tibi, &c.* Denique ad ſaniora conſilia præ deſperatione mentem revocat: *Quin tu aliquid, &c.*

71. *Quorum indiget uſus.*) Quæ poſtulat uſus & conſuetudo quotidiana vitæ ruſticæ: ut ſunt naſſæ, crates, calathi.

72. *Detexere.*) Non minuendi, ſed augendi verbum: eſtque *perfecte texere.* Sic Plaut. in Pſeud. 1. 4. 7. *Neque exordiri primum unde occipias habes, neque ad detexundam telam certos terminos.*

73. *Alexim.*) Ad exemplum Theocriti. εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον᾽ ἄλλαν. *Invenies Galateam forte & pulchriorem aliam:* Idyl. 11. 76.

ECLOGA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ECLOGA III.

## *PALÆMON.

### ARGUMENTUM.

*EST Amœbæa contentio inter Menalcam, & Damœtam, paſtores: ac primo continet jurgia, deinde muſicum certamen, denique judicium Palæmonis de utroque: unde a judice Palæmone nomen habet. Vives allegoricam hanc eclogam putat; & Virgilium, ſub perſona Damœtæ, poetam ex ejus obtrectatoribus aliquem, ſub perſona Menalcæ agnoſcit.*

*Amœbæum vero carmen, alternum, ſive reciprocum eſt, ἀμοιβαῖον: hujus lex eſt, ut, qui poſterior dicit, aut majora dicat, quam qui prior; aut certe paria; ſenſu, vel eodem, vel diverſo: alioqui victus habeatur.*

*Tempus editæ hujus Eclogæ erui poteſt ex his ejuſdem verſibus:* Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, muſam: Pierides vitulam lectori paſcite veſtro. Pollio & ipſe facit nova carmina, paſcite taurum, &c. *Hæc enim tauri & vitulæ mentio facit, ut credam, ſcriptum hoc opus fuiſſe tum, cum Aſinius Pollio miſſus a M. Antonio ad expeditionem Dalmaticam adverſus Parthinos, inde reverſus eſſet victor, & jam triumphi apparatus fierent. Hujus autem pompæ pars erat non ultima, deductio taurorum, aliarumque victimarum, pendentibus vittis, deauratiſque cornibus; quæ Jovi Capitolino mactandæ a triumphante offerebantur. Præſcribit igitur poeta bucolicus, ut taurus & vitula ad ſacrificia Pollionis triumphalia ſaginentur: idque præſcribit Muſis ipſis: quia Pollio non ſolum bello, ſed literis etiam & poeſi clarus fuit* Ecl. 4. in Argum. *Porro cum triumphus ille notetur in Faſtis ad 8. Kal. Nov. A. U. C. 715. ſcripta fuit hæc Ecloga circa medium Octobrem illius anni, qui fuit Virgilii 31. deſinens, aut 32. incipiens. Hæc quanquam levis conjectura, non inutilis tamen quibuſdam videbitur.*

NOTÆ.

* PALÆMON. ) A verbo παλαίειν *luctari*: pro quo Poetæ dicunt παλαιμονεῖν.

MENALCAS, DAMOETAS, PALÆMON.

*MEN.* DIC mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?
*D.* Non, verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.
*M.* Infelix o ſemper oves pecus! ipſe Neæram
Dum fovet, ac, ne me ſibi præferat illa, veretur,
Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora:

Et

INTERPRETATIO.

MEN. *O Damœta, dic mihi, cujus* eſt *grex iſte? an Melibei?* DAM. *Minime, ſed* eſt *Ægonis: Ægon mihi nuper* illum *commiſit.* M. *O oves, pecudes ſemper infauſtæ? dum* Ægon *ipſe demulcet Neæram, ac timet ne illa me anteponat ipſi, mercenarius iſte paſtor* Damœtas *exprimit lac ovibus bis* ſingulis *horis;* *& ſuc-*

NOTÆ.

*Menalcas* ) A μένος, *robur*, vel μένω, *duro, maneo*; & ἀλκή, *auxilium*. *Damœtas*. Ec. 2. 37.

1. *Cujum pecus.* ) Antiquum nomen, *cujus, cuja, cujum*. Terent. in Eun. 2. 3. 29. *Virgo cuja eſt?* Plaut. in Curcul. 2. 1. 14. *Cujam vocem audio?* Idem in Rud. 3. 4. 39. *Argentum pro iſtiſce ambabus, cujæ erant domino dedi.*

2. *Ægon.* Paſtor rivalis Menalcæ in amore Neæræ, & herus Damœtæ. *Ægon* ab αἴξ αἰγός, *capra*. *Neæra.* ) a νεαίρα *ſumen, abdomen*. *Melibœus*, v. Ecl. 1. ſub initium.

3. *Infelix o ſemper oves pecus.* ) Legunt aliqui: *ovis*. Quod Servius peſſime interpretatur: O infelix pecus, ſemper ovis, id eſt, ſemper imbecille futurum. Ramus vero ſic: O ſemper infelix pecus ovium; ita ut *ovis* in genitivo ſit ſingulari, pro plurali *ovium*. Sed ſinceriſſimi codices habent, *oves*: plano ſenſu: O oves, pecus ſemper infelix! Quare autem *infelix*? & propter paſtorem, qui, ut vacet amoribus, curam ejus abjecit; & propter cuſtodem, a quo exhauritur & expilatur.

*6. Et*



Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.
*D.* Parcius iſta viris tamen objicienda memento.
Novimus & qui te, tranſverſa tuentibus hircis,
Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.
*M.* Tum, credo, cum me arbuſtum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce novellas.
*D.* Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregiſti & calamos: quæ tu, perverſe Menalca,
Et cum vidiſti puero donata, dolebas;
Et ſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes.
*M.* Quid domini faciant, audent cum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?
Et cum clamarem; Quo nunc ſe proripit ille?
Tityre, coge pecus: tu poſt carecta latebas.
*D.* An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula, caprum?
Si neſcis, meus ille caper fuit; & mihi Damon
Ipſe fatebatur, ſed reddere poſſe negabat.
*M.* Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera

Juncta

*& ſuccus ſubripitur gregi, & lac agnis.* D. *Memineris tamen iſta cautius eſſe exprobranda viris. Scimus & qui te corruperint, hœdis oblique ſpectantibus, & quo in delubro, ſed bonæ Nymphæ riſerunt.* M. *Tunc puto,* riſerunt, *cum viderunt me amputare improba falce arbores, & novas vites Myconis.* D. *Vel potius hic prope fagos antiquas, quando rupiſti arcum & ſagittas Daphnidis: quæ tu, maligne Menalca, quando vidiſti data eſſe puero* illi, *& invidebas, & periiſſes, niſi damnum aliquod* ipſi *intuliſſes.* M. *Quid faciet herus* Ægon, *ſi quidem* ſervus *furax audet talia* mihi dicere? *Nonne ego te vidi, nequiſſime, dolo furari caprum Damonis, Lyciſca multum latrante? Et cum clamarem: Quem in locum fugit ille? Tityre, collige gregem: tu delitеſcebas poſt carecta.* D. *An ille, canendo ſuperatus, mihi non reddidiſſet caprum, quem avena mea meruerat cantilenis? ſi ignoras, caper ille erat meus, & ipſe Damon id fatebatur, ſed dicebat ſe non poſſe reddere.* M. *Tu illum* viciſti *canendo? an unquam habuiſti avenam cera compactam?*

Nonne

NOTÆ.

6. *Et ſuccus pecori, & lac.* ) Idem lac, qui matribus quidem nativus eſt ſuccus, fœtibus autem, ſive agnis alimentum. Notetur hic defectus ſynalœphæ.

7. *Parcius iſta viris, &c.* ) Scito moderatius & cautius ea eſſe exprobranda viris, & pudicis; iis præſertim, qui te mollem & corruptum ſciunt. Servius non inſulſe explicat, & interpungit aliter: *Parcius: iſta viris tamen objicienda memento. Novimus, &c.* hoc eſt: Parce quicquam mihi exprobrare: ſi tamen exprobres, memineris ea eſſe ejuſmodi, quæ viro objici poſſint: at novimus tua ſcelera viro indigna.

8. *Tranſverſa tuentibus hircis.* ) Servius *hirquis* legit, & *hirquos* explicat, angulos oculorum, in quos retorti oculi libidinem notent. Alii ſimplicius de *hircis* intelligunt, libidinoſis eo uſque animalibus, ut iis etiam dicantur invidere, quos libidini indulgentes viderint: tranſverſa autem tueri invidiæ ſignum eſt.

9. *Sacello.* ) Sacellum, locus ſacer numini, parva ædicula: ſæpe, præſertim apud ruſticos, antrum erat. *Nymphæ.* ) Vel Dryades, vel Napææ. Nemeſian. Ecl. 2. 20. *Quæ colitis ſilvas Dryades, quæque antra Napææ.*

10. *Tum credo, cum, &c.* ) Ironice loquitur, & ſcelus alienum quaſi de ſe narrat; ſed eo vultu & nutu, ut reipſa Damœtas ejus auctor eſſe intelligatur. *Arbuſtum.* ) Non arbuſcula eſt, ſed locus arboribus conſitus, præſertim hoc loco ad fulciendas vites, quæ ideo *arbuſtivæ* a Columella dicuntur. Ecl. 1. 40. *Mycon.* ) Paſtoris nomen a μυκάω *mugio*. *Daphnis*, a δάφνη *corona Laurea*.

17. *Damonis.* ) Quaſi δαήμων *peritus*.

18. *Lyciſca.* ) Canis ex lupo & cane editus, a λύκος *lupus*, & κύων *canis*.

20. *Carecta.* ) Locus ubi multæ ſunt carices. *Carex* planta eſt ex arundineo genere, Gallico nomine caret. *De Tityro* Ecl. 1. in Argum.

25. *Cantando tu illum.* ) Supple *viciſti*: reticentia ad ſubſannationem: ut iſta ad furorem & impetum, Æn. 1. 139. *Quos ego*, ſupple *ſi corripuero*.

*Aut unquam tibi, &c.* ) Negat eum habere fiſtulam illam nobilem, ſeptiforem: non negat habere ignobilem, ſimplicem, atque unius

calami,

Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?
*D.* Vis ergo inter nos, quid poſſit uterque, viciſſim
Experiamur? ego hanc vitulam ( ne forte recuſes,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus, )
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
*M.* De grege non auſim quicquam deponere tecum.
Eſt mihi namque domi pater, eſt injuſta noverca:
Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.
Verum, id quod multo tute ipſe fatebere majus,
Inſanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cœlatum divini opus Alcimedontis:

Lenta

*Nonne tu, imperite, ſolebas rauca cicuta ſpargere in plateis miſerabiles cantilenas?* D. *Viſne igitur ut privatim videamus, quid uterque* noſtrum *valeat alterno carmine? ego do pignori hanc juvencam: ne fortaſſe rejicias eam, bis mulgetur, educat lacte geminos vitulos: tu dic quo pignore contendas mecum.* M. *De grege non auſim collocare quicquam in ſponſione tecum: habeo enim domi patrem, habeo novercam difficilem: & bis quotidie recenſent uterque gregem, alteruter* vero *hædos. At, ſiquidem tibi placet ſtultum eſſe, apponam id quod tu ipſe fateberis eſſe longe pretioſius, calices e fago* confectos, *opus inciſum a præſtantiſſimo Alcimedonte:*

in

## N O T Æ.

calami, e cicuta, e ſtipula, de quo genere Ecl. 2. 36. Ait enim, *non tu in triviis, &c.*

26. *In triviis.* ) *Bivium, trivium, quadrivium*, locus, in quem duæ, tres, quatuorve concurrunt viæ. Ruſtici per trivia ululare certis diebus ſolebant, & flebile aliquid cantillare in honorem Dianæ, ſive Proſerpinæ: idque ad imitationem Cereris, eam a Plutone raptam per trivia cum clamore veſtigantis. Unde Diana dicta *Trivia*; ſive ex illis clamoribus; ſive, ut ait Varro, quod ejus ſimulacrum in triviis apud Græcos poneretur.

29. *Vitulam.* ) Proprie *juvencam*, ſiquidem jam fœtus binos enixa eſt. Sic Ecl. 6. 47. Paſiphaen *virginem* vocat, pro muliere, quæ jam viro ſit conjuncta.

*Ne forte recuſes.* ) Vel ſenſus eſt: Ne forte recuſes mecum gratis certare, vitulam in pignus depono; ut ſaltem lucri ſpe ad certamen movearis. Vel, ne forte, quia vitulã nominavi, pignus quaſi leve rejicias: binos fœtus alit, &c.

30. *Ad mulctram.* ) *Mulctram, mulctrum, mulctrale*, vas ruſticum excipiendo lacti comparatum: *Mulctra* etiam dicitur pro ipſa actione mulgendi.

34. *Biſque die, &c.* ) I. Servius ſic explicat, ut *alter* ad novercam referatur: & ſic recenſio totius pecoris videatur uni patri attribui. Male, tum quia *ambo* pecus numerant, ergo non ſolus pater: tum quia *alter* ad maſculinum genus pertinet, ergo non ad novercam. II. Cerdanus ſic: Ambo pecus numerant; *alter*, id eſt, pater, ſeorſum hædos. III. Nannius vero, quem ſequimur, ſic: Ambo pecus, id eſt, matres numerant; *alter*, id eſt alteruter, hædos, id eſt fœtus; eo quod ad majorem numerum bini cuſtodes adhibendi ſint, ad minorem unus ſufficiat.

36. *Inſanire.* ) Mecum certando, qui te multo doctior ſum.

37. *Fagina.* ) Vaſa e fago, Ital. *faggio*, juxta Plin. l. 16. 38. fuere aliquando in honore, & in uſu ſacrorum: recenſentur tamen a poetis in pauperum ſupellectili. Ovid. Faſt. 5. 522. *Terra rubens, crater; pocula, fagus erat.*

37. *Cœlatum.* ) Impreſſum, inciſum, per cavitatem exſculptum, a κοῖλον *cavum*: unde & cœli nomen per *œ* ſcribendum: ſive pro ſuperiore illa & concava mundi parte, ſive pro ſcalpro ſumatur.

*Alcimedontis.* ) Sculptoris nomen, ab ἀλκὴ *auxilium* & μέδω *rego, curo*: nomen heroi, quam ſculptori, aptius.

38. *Lenta quibus, &c.* ) Salmaſius & Cerdanus duplicem hic artem agnoſcunt, tornaturam & cœlaturam: ajunt quippe, vitem, corymbos, hominum figuras torno fieri non poſſe, quo ligna teruntur tantũ & levigãtur; ſed ſolius cœli ſive ſcalpri opus eſſe, quo ſive ligna, ſive metalla inciduntur & excavantur. Hi locum iſtum ita explicant, ut velint *quibus* eſſe ablativi caſus, *torno* dativi, hoc pacto: *in quibus lenta vitis per cœlaturam addita eſt torno, ſive materiæ jam tornatæ.* Ego I. vix putem *tornum*, pro materia tornata, Latine dici. II. Video, *toreumata*, quæ proprie in veteribus gloſſ. exponuntur, *opera torno raſa*, ſumi promiſcue a probatiſſimis ſcriptoribus pro cœlato opere: cujuſmodi ſunt calices, crateres, ſigna hominum ac ferarum exeuntia extantiaque. Sic Martialis l. 4. 39. *Stilus Phidiaci toreuma cœli.* Sic Cicero frequenter in Verr. eodem ſenſu. III. Pl. l. 34. 8. artis toreutices inventorem memorat Phidiam, conſum̃atorem Polycletum; quos ſculptores ac ſtatuarios, non ſolum tornatores fuiſſe conſtat. Unde exiſtimo, licet exacte tornus a cœlo, & ſcalpro diſtin-

gua-



Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.
In medio duo ſigna, Conon: & quis fuit alter,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?
Tempora quæ meſſor, quæ curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.
*D.* Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum eſt anſas amplexus acantho:
Orpheaque in medio poſuit, ſilvaſque ſequentes.
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.
Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quod pocula laudes.

*M.* Nun-

*in quibus vimen* hederæ *ſuperadjectum* ope *torni facilis implicat* frondibus *hederæ pallidæ corymbos* ſuos *diſperſos. In medio duæ* ſunt *effigies, Conon: & quis fuit alter, qui virga diſtinxit populis totum mundum, & tempora quæ eſſent apta meſſori, quæ curvo aratori? Neque adhuc illos* calices *attigi labiis, ſed ſervo abditos.* D. *Mihi quoque idem Alcimedon fabricavit duos calices, & circumambiit anſas acantho flexili, & locavit in medio Orpheum & arbores ſequentes. Neque adhuc illos attigi labiis, ſed ſervo abditos. Si* tamen *ad juvencam reſpicias, non eſt cur æſtimes calices.*

M. *Nul-*

## N O T Æ.

guatur, uſu tamen eſſe factum, ut promiſcue haberentur. Favet inſuper etymon, *tornus* enim a τείρω, vel τέρω, τέτορα, *tero, trivi*. Teritur autem materia non ſolum cum verſando raditur, ſed & cum repetita ſcalpri impreſſione inciditur.

38. *Torno facili.* ) I. *Facile* alii explicant, *rude*, & facili nec longiori opera elaboratum. II. Alii, *verſatile*, quemadmodum Virg. Æn. 8. 310. *Facileſque oculos fert omnia circum.* III. Alii, *facile obſequens*, & ad ligni teneritudinem referunt, quemadmodum Tibul. 1. 1. 32. *Pocula de facili compoſuitque luto.*

39. *Diffuſos hedera.* ) Multi vitem & hederam hic implexas fuiſſe volunt. Ego cum Nannio ſolam hic hederam agnoſco, vitemque accipio pro ipſo hederæ vimine, quod *viticula* vocatur a Plinio; hederam vero pro foliis, hoc ſenſu: vimen hederaceum implicat foliis pallentibus corymbos ſuos. *Hedera.* ) Ital. *ellera*, Ideo poculis inſculpta, quia Baccho ſacra.

*Corymbos.* ) Κόρυμβος Iſidoro eſt annulus in hedera, quo proxima queque comprehendit atque alligat: ſed Plinio eſt racemus hederæ in orbem circumactus. Corymbus primo appellatus eſt ſubrectio quædam & ſuggeſtus capillorum in Atticorum capite: quare derivat Voſſius a κόρη *caput*, unde & κόρυς *galea*.

40. *Conon.* ) Non dux ille celebris Athenienſium, ſed nobilis Mathematicus, patria Samius, qui in gratiam Ptolemæi Evergetæ Ægypti Regis, comam Berenices ejus conjugis inter ſydera finxit eſſe relatam: ut habet Callimachus in epigr. quod a Catullo Latine redditum extat. Æqualis & amicus fuit Archimedis: imo, ut opinatur Pomponius, etiam in Mathemat. Magiſter.

*Et quis fuit alter &c.* ) Oblitus paſtor Mathematici alterius, ſeipſum interrogat; & nõ occurrente nomine, perſonã deſcribit ab operibus, iis maxime, quæ ad agreſtem uſum pertinent: qualis eſt diviſio temporum ſationis & arationis. *Alter* autem ille, vel Aratus eſt, poeta Solenſis, qui ſcripſit Græce *Phænomena*, ſive motum ſitumque ſtellarum: quo quidem opere ſic Romani delectati ſunt, ut illud Cicero adoleſcens, Claudius item, & Germanicus Latinum reddiderint. Vel Heſiodus eſt, poeta ex Aſcra Bœotiæ oppidulo, qui inter alia ſcripſit *Opera & dies*, ſive *Georgica*. Vel denique probabilius Archimedes, Cononis vel diſcipulus, vel ſaltem amicus, celebris ante alios Mathematicus, & bellicarum machinarum inventor: qui in expugnatione Syracuſarum ab ignoto Marcelli victoris milite interfectus eſt, cum figuras in arena deſcriberet.

41. *Radio.* ) Radius hic virga eſt, ſive baculus mathematicus, quo variæ cœli terrarumque partes aſſignantur, & figuræ in arena deſcribuntur.

45. *Acantho.* ) Herba eſt acanthus longo latoque & flexuoſo folio, Ital. *Acanto, forte di fiore*: capitulis columnarum, in ordine Corinthio, adhiberi ſolita ad ornatum: unde Romanis *Marmoraria* dicta eſt, auctore Fuſchio.

46. *Orpheaque.* ) Orpheus Thrax, Apollinis & Calliopes filius: lyram a patre, aut a Mercurio acceptam ita ſuaviter impellebat, ut fluminum ſiſtere curſus, & ſilvas feraſque trahere dictus ſit. Ejus cum Eurydice amores, profectionem ad inferos, & mortem lege Georg. 4. 454.

C 49. *Nar-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN — ALERE FLAMMAM VERITATIS

*M.* Nunquam hodie effugies: veniam quocunque vocaris.
Audiat hæc tantum vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam poſthac ne quemquam voce laceſſas.
*D.* Quin age, ſi quid habes; in me mora non erit ulla:
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palæmon,
Senſibus hæc imis, res eſt non parva, reponas.
*P.* Dicite: quandoquidem in molli conſedimus herba:
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent ſilvæ, nunc formoſiſſimus annus.
Incipe, Damœta: tu deinde ſequere, Menalca.
Alternis dicetis: amant alterna Camenæ.
*D.* Ab Jove principium, Muſæ: Jovis omnia plena:
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.
*M.* Et me Phœbus amat: Phœbo ſua ſemper apud me
Mu-

M. *Nullatenus hodie evitabis* certamen: *deſcendam ad quaſcunque conditiones* me *adduxeris. Tantummodo, idem ille qui venit, ea audiat. En Palæmon. Faciam ne deinceps ullum provoces cantu.* D. *Ergo age, ſi habes aliquid; ego nullo modo morabor: neque recuſo ullum judicem. Unum precor, o Palæmon mi vicine: id penitus defige animo, res eſt non levis.* P. *Canite, ſiquidem ſedimus in tenero gramine; & nunc omnis arbor, nunc omnis campus parit: nunc nemora vireſcunt, nunc annus pulcherrimus* eſt. *Incipe, o Damœta; tu deinde ſuccedes, o Menalca: canetis viciſſim, viciſſitudo placet Muſis.* D. *A Jove ducamus initium, o Muſæ: omnia plena* ſunt *Jove: ille fœcundat terras, ille curat meos verſus.* M. *Phœbus quoque me amat: ſunt ſemper apud me dona* ſacra *Phœbo, lauri,*

NOTÆ.

49. *Nunquam hodie effugies, &c.*) Depoſuerat juvencâ, negaverat Menalcas ſe ob patris metum poſſe juvencam deponere, & pocula obtulerat: hærebat tamen in ſponſione juvécę Damœtas, *Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt, &c.* atque adeo videbatur certamen ſubterfugere, quod hac ſponſione admitti a Menalca non poterat. Ergo Menalcas, ne adverſarius effugiat, admittit juvencę conditionem, depoſito, per ſpem victoriæ, patris & novercæ metu. *Veniam quocunque vocaris.* Unde arbiter Palæmon de premio deinde judicium ferens, nullam poculorum, ſed juvencæ dumtaxat mentionem facit. *Et vitula tu dignus, & hic.*

50. *Audiat hæc tantum.*) Adſumus hic uterque, adſunt pignora, deeſt tantum judex: audiat ille qui venit. *Vel qui venit.*) Menalcas, viſo eminus paſtore, necdum inſpecto vultu, hujus ſe ſubjicit arbitrio, quicumque tandem ille ſit: ineſt quippe ea vis huic voci, *vel qui venit.* Mox agnito Palæmone, ipſum nomine compellat, & æmulum audacius alloquitur, *efficiam poſthac ne, &c.*

59. *Camenæ.*) Muſæ: prius dictæ *Carmenæ* & *Caſmenæ*, ex Varr. Radix, *carmen*, quod prius dictum eſt, *caſmen*: ſicut *arbor*, *arena*, *janitor*, prius *arbos*, *aſena*, *janitos*, ex eodem Varr. Unde errant qui ſcribunt *Camœnæ*, & deducunt a *cantu ameno*.

60. *Ab Jove principium, Muſæ.*) Ex illo Theocriti ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι, *a Jove incipiamus, & in Jovem deſinite, o Muſæ!* Idyl. 17. 1. Unde male quidam hic legunt *Muſæ* in genitivo; Quaſi eſſet, *Ab Jove principium Muſæ*, id eſt, carminis. *Jovis omnia plena.*) Tum quia Deorum ille princeps, & rerum omnium anima: tum quia Jovis nomen aeri tributum eſt undique diffuſo. Georg. 2. 325. *Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.*

*Muſæ.*) Jovis & Mnemoſynes filiæ novem, artium præſides: Calliope, Clio, Erato, Thalia, Melpomene, Terpſichore, Euterpe, Polymnia, Urania; natæ in Pieria regione Macedonię: ſedem habere dicuntur in Helicone Bœotiæ, & Parnaſſo Phocidis montibus inter ſe vicinis.

62. *Phœbus.*) Idem qui Apollo & Sol, Jovis & Latonæ filius, eodem partu cum Diana editus in inſula Delo: medicinæ repertor: divinationis, muſicæ, & poeſeos Deus. Phœbus dictus quaſi φῶς βίου, *lumen vitæ*.

62. *Sua ſemper apud me Munera.*) Sacra munera Phebo, laurus & hyacinthus: de *lauro* quidem, Ecl. 2. 54. *Hyacinthus* flos ortus e vulnere pueri cognominis, qui Zephyro & Apollini cũ placeret, & aliquando diſco luderet cum Apolline, Zephyri invidia inter ludendum periit: diſco, quem Apollo libraverat, in pueri caput maligne deflexo. Quis autem flos ille ſit, quæritur. Certe non is eſt, qui vulgo ſic nominatur, ceruleus totus, & abſque ullis literarum notis. Certiſſime is eſt, qui Græcis ξίφιον vel ξίφος dicitur, hoc eſt, *acutus*. Latinis autem, *gladiolus*, ob acutorum utrimque longorumque foliorum cum gladio ſimilitudinem: Ital. vero, *ghiagginolo ſorte d'erba*; & communi Græcis, La-



Munera ſunt, lauri, & ſuave rubens hyacinthus.
*D.* Malo me Galatea petit, laſciva puella:
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.
*M.* At mihi ſeſe offert ultro meus ignis Amyntas:
Notior ut jam ſit canibus non Delia noſtris.
*D.* Parta meæ Veneri ſunt munera: namque notavi
Ipſe locum, aeriæ quo congeſſere palumbes.
*M.* Quod potui, puero ſilveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.
*D.* O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!
Partem aliquam, venti, divum referatis ad aures.
*M.* Quid prodeſt, quod me ipſe animo non ſpernis, Amynta,
Si, dum tu ſectaris apros, ego retia ſervo?
*D.* Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola.
Cum

*lauri, & hyacinthus ſuaviter purpuraſcens.* D. *Galatea, jocoſa puella, me ferit malo, & fugit ad ſalices, & optat ſe videri* a me *priuſquam* fugiat. M. *Amyntas vero, meus amor, ſe ſponte exhibet mihi,* ita *ut jam Delia* ipſa *non ſit familiarior canibus meis.* D. *Dona* jam *parata ſunt amicæ meæ: nam obſervavi ipſe locum, in quo palumbes aeriæ nidificaverunt.* M. *Miſi Amyntæ decem mala flava, electa ex arbore ſilveſtri:* quod unum *potui* facere: *cras mittam* totidem *alia.* D. *O quoties, & quæ* verba *mihi dixit Galatea! O venti, ferte ad aures Deorum aliquam* eorum *partem.* M. *Quid prodeſt mihi, o Amynta, quod tu me non aſpernaris animo, ſi ego ſervo retia, dum tu apros inſequeris?* D. *Iola, mitte ad me Phyllida, meus eſt* dies *natalis.* Quan-

NOTÆ.

Latinis, Galliſque vocabulo, *Iris*; vel ob colorum diverſitatem, vel deformato nomine a ξίφος. Hoc multis probat Salmaſius in Solin. P. 1224. I. Ex Columella l. 9. 4. *Cœleſtis nominis Hyacinthus*, non *numinis*, ut multi habent codices: quid porro cœleſte nomen, niſi *Iris*? II. Ex Palladio, l. 1. 37. *Hyacinthus, qui Iris, vel gladiolus*, dicitur. III. Gladiolus habet in folio diſcurrentes lineas, quæ multa A, & multa I, confuſe ſaltem exprimunt: at hyacinthus, *ai ai flos habet inſcriptum.* Ovid. Met. 10. 215. IV. Gladiolus magnitudine & ſpecie accedit ad lilium: at hyacinthus, *formamque capit quam lilia, ſi non purpureus color his, argenteus eſſet in illis.* Ovid. Met. 10. 212. V. Gladiolus purpureus eſt; unde & ferrugineus, & niger, & rubens, ut explicuimus Ecl. 2. 18. Qui omnes colores tribuuntur hyacintho a poetis. Reliqua infra v. 107.

67. *Delia.*) Diana, Luna, venationis Dea, cujus in tutela canes: Latonę filia: ſoror Phębi, Delia dicta, ut ille Delius; Vel quod luce ſua omnia δῆλα, id eſt, *manifeſta* faciant, Vel ab inſula Delo: quæ cum antea lateret, aut juxta alios erraret mari, Latonæ locum ad partum quærenti, ſubito emerſit, & ſeſe obtulit: unde in præmium affixa eſt uni loco, & conſpicua deinceps ac ſtabilis facta: dicta Delos quaſi δῆλος *manifeſta*. Tamen hic *Delia* forte non Dea, ſed Menalcæ famula, ex inſula Delo: cui ſane multo quam Deæ convenit magis illa cum canibus familiaritas. De *Amynta*. Ecl. 2. 35.

68. *Meæ Veneri.*) Amatorum blanditiæ: amicas Veneres vocant. Lucret. 4. 1178. *Nec Veneres noſtras hoc fallit.* Mariti autem, uxores ſuas Junones; uxores viciſſim, maritos Joves appellant. Plaut. in Caſ. 2. 3. 14. *Ejà mea Juno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Jovi.*

69. *Aeriæ quo, &c.*) Palumbes, Ital. *colombi*: Veneri ſacræ, cujus trahendo currui adhibentur. *Aeriæ.*) vel quia aerii ſunt coloris, inquit Servius, & *liviæ* appellantur: vel potius, quia editis in arboribus nidificant. *Congeſſere.*) Accumulavere feſtucas, floccos, alia id genus, quæ Plautus in Rud. 3. 51. *nidamenta* nuncupat,

73. *Divum referatis ad aures.*) Vel quia ineſt his verbis tanta ſuavitas, ut beatiſſimos Deos beare poſſint, vel ut Dii teſtes ſint promiſſorum Galateæ.

74. *Quid prodeſt, quod &c.*) Damœtas oſtendit antea gaudium ſuum de colloquiis cum amica præſente. Nunc Menalcas majori amoris teſtimonio dolorem ſuum teſtatur, primo de amici abſentia: ſecundo de ejuſdem periculo: *ſectaris apros*: tertio de ſua ſecuritate, *ego retia ſervo.* In quo ſic hæret, ut Amyntæ amorem inutilem putet, niſi ſocietatem pariat etiam periculorum.

76. *Phyllida, &c. Iola, &c.*) Iolas paſtor, ab interjectione *iù heu*. Iolæ famula *Phyllis*, communis amica Damętæ & Menalcæ: a φύλλον *folium*.

76. *Meus eſt natalis.*) Natali in ſacrificio licebat voluptati indulgere: non item in am-
C 2 bar-

Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.
*M.* Phyllida amo ante alias: nam me diſcedere flevit:
Et, longum, formoſe, vale, vale, inquit, Iola.
*D.* Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.
*M.* Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hædis,
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.
*D.* Pollio amat noſtram, quamvis eſt ruſtica, Muſam:
Pierides, vitulam lectori paſcite veſtro.
*M.* Pollio & ipſe facit nova carmina: paſcite taurum,
Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
*D.* Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet:
Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum.
*M.* Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi:

Atque

*Quando immolabo vitulam pro terræ fructibus, tu ipſe veni.* M. *O Iola, diligo Phyllida præ aliis, me enim abeunte flevit, & diu dixit: vale, vale, o formoſe.* D. *Lupus funeſta res eſt gregibus, pluviæ ſegetibus maturis, venti arboribus: nobis ira Amaryllidis.* M. *Humor grata res eſt* teneris *ſegetibus, arbutus hædis* a lacte *depulſis, ſalix flexilis gregi prægnanti: mihi ſolus Amyntas.* D. *Pollio diligit mea carmina, licet ſint agreſtia: o Muſæ, nutrite juvencam* Pollioni, *qui vos legit.* M. *Ipſe etiam Pollio componit novos verſus: nutrite* illi *taurum, qui jam cornibus feriat, & ſpargat arenam calcibus,* D. *Quiſquis te diligit, o Pollio, perveniat* ad ea, *ad quæ lætatur te quoque perveniſſe: illi mel fluat, & vepres rigidi producant amomum.* M. *Quiſquis non odit Bavium, amet tuos verſus, o Mævi:*

*Idem-*

## N O T Æ.

barvali, quod pro terræ frugibus Cereri offerebatur; ter ducta circum agros, aut agna, aut vitula immolata. Unde puella invitatur ad natales; ſolus paſtor ad ambarvale. De ambarvali, Georg. 1. 345.

77. *Cum faciam vitula.* ) *Facere* & *operari* ſine addito, eſt *ſacra facere*, *ſacris operari*. Et *facere vitula*, eſt *ſacra facere ex vitula*.

79. *Vale, inquit, Iola.* ) Illa vox, *Iola*, non eſt Phyllidis ad Iolam, cui vale dicat; ſed Menalcæ ad Iolam. Ut enim Damœtas compellaverat prius Iolam: *O Iola, mitte mihi Phyllida*. Ita nunc Menalcas eumdem compellat: *O Iola, amo Phyllida, nam dixit mihi longum vale*.

81. *Amaryllidis iræ.* ) Cum videat Damœtas Menalcam in amore Phyllidis rivalem ſibi obſtare, imo præferri; ad alium amorem deflectit, & jam Amaryllidi dicit blanditias. De nomine *Amaryllidis*, Ecl. 1. 31.

82. *Arbutus.* ) Arbor foliis lauro affinibus, ſed raris, Ital. *corbezzolo*: in deliciis ejus umbra fuit apud antiquos. Hor. Od. l. 1. 1. 21. *Nunc viridi membra ſub arbuto ſtratus*. Fructus profert inſtar ceraſorum, aut fragorum, cum aliqua dulcedine aſperos. Vocantur a Plinio *unedones*; quod, inquit, plures edi non poſſint propter aſperitatem: a Virgilio *arbuta*. G. 1. 148. *Cum glandes, atque arbuta ſacræ Deficerent ſilvæ*. Et G. 2. 520. *Dant arbuta ſilvæ*.

83. *Mihi ſolus Amyntas.* ) Ut oſtendat Menalcas, quicquid a ſe de luctu Phyllidis, deque ſuo in eam amore dictum eſt, per jocum dictum eſſe, quo Damœtam aliqua invidia ſtimularet: nunc ultro profitetur ſe præter Amyntam, amare neminem.

85. *Pierides.* ) Muſæ novem, de quibus v. 60. Sic dictæ, vel a Pierio Theſſaliæ monte, ubi ex Jove & Mnemoſyne natæ dicuntur; vel ex victoria, in Pieri Macedonis novem filias, relata; quæ Muſas auſæ ad cantum provocare, & ab iiſdem ſuperatæ, totidem in picas ab iis mutatæ ſunt.

86. *Pollio & ipſe.* ) Quis fuerit, fuſe habetur in argum. Ecl. 4. pervenit ad ſummam oratoris, hiſtorici, & poetæ laudem; ad conſulatum anno U. C. 714. ad triumphum anno 715. E quibus laudibus Poeticam ſolam hoc loco ei tribuit aperte Virgilius: *Pollio & ipſe facit nova carmina*; cæteros honores, ut paſtoritiis modulis graviores, tantum innuit his vocibus: *veniat quo te quoque gaudet*: nempe ad conſulatum & triumphum.

89. *Mella fluant illi, &c.* ) Vota ſunt ejus in gratiam, quicunque Pollionem amaverit.

*Amomum.* ) Parvus eſt frutex, magni inter aromata nominis, ex ligno ſeſe convolvens in racemi modum; aureo colore, flore exiguo, ceu violæ albæ; ligno ſubruſo & valde odorato: in Aſſyria, Armenia, Ponto, & Media optimum. Ita fere a Dioſcoride deſcribitur. Plerique tamen ab ea deſcriptione diſſentiunt.

90. *Qui Bavium non odit, &c.* ) Bavius & Mævius, poetæ peſſimi, Virgilio pariter & Horatio infeſti. Imprecatio eſt reſpondens e

con-



Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
*D.* Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, o pueri! fugite hinc, latet anguis in herba.
*M.* Parcite oves nimium procedere: non bene ripæ
Creditur: ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.
*D.* Tityre, paſcentes a flumine reice capellas:
Ipſe, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
*M.* Cogite oves, pueri: ſi lac præceperit æſtus,
Ut nuper, fruſtra preſſabimus ubera palmis.
*D.* Eheu, quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo!
Idem amor exitium pecori eſt, pecoriſque magiſtro.
*M.* His certe neque amor cauſa eſt; vix oſſibus hærent.
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.
*D.* Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,

Tres

*idemque ſubliget jugo vulpes, & exprimat lac ex hircis.* D. *O pueri, qui colligitis flores, & fraga naſcentia humi, hinc fugite: ſerpens lethalis occultus eſt ſub gramine.* M. *O oves, abſtinete longius ire, non tuto fiditur ripæ; ipſe aries ſiccat adhuc villos.* D. *O Tityre, remove a fluvio paſcentes capellas: ego purgabo eas omnes in fonte, cum erit opportunum.* M. *O pueri, colligite oves* in ovile: *ſi vis caloris corruperit lac, ut ante paucos dies, incaſſum prememus mammas manibus.* D. *Heu! quam macilentos habeo tauros in fertili agro: idem amor perdit gregem, & dominum gregis.* M. *Non certe amor* id *importat his* ovibus meis: tamen *vix ſtant oſſibus. Neſcio quis oculus corrumpit mihi juniores agnos.* D. *Dic, qua in regione*

*cæli*

## N O T Æ.

contrario votis Damœtæ pro Pollione: ſi quis non odit Bavium, ita ſtultus fiat, ut & amet Mævium, & jugo ſupponat vulpes.

94. *Parcite oves, &c.* ) Senſus eſt juxta Servium & Farnabium: O pueri, cavete ne oves longius procedant; quod durius & abſque exemplo eſt. Noſtra interpretatio tum nititur exemplis, eſt enim apud Catul. in Argon. 146. *Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt*: tum conformis eſt Theocritæo exemplo Idyl. 5. 100. Οὐσθ' [illegible], &c. *diſcedite ab oleaſtro capellæ, hic paſcite.*

*Non bene ripæ Creditur.* ) Quia periculum eſt, ne vel oves lapſæ in profluentem rapiantur, vel ripa ipſa, fluctuum allapſu ſubtus excaſa, ruinam faciat.

96. *Reice capellas.* ) Eſt hic primo ſyncope, *rejice* in *re-ice*; tum contractio geminæ vocalis brevis in diphthongum longam; *re-ice*, in *reice*. Sic *eicit* pro *ejicit*, apud Lucret. l. 3. 891. *Nec radicitus e vita ſe tollit & eicit.*

98. *Si lac præceperit æſtus.* ) Vel exſiccaverit, vel ita corruperit, ut vaneſcat, & nimis liqueſcat.

100. *In arvo.* ) Alii legunt in *ervo*. *Ervum* autem, Ital. *rubiglia*, leguminis genus eſt, piſi affine, bobus ſaginandis utile.

101. *Pecoriſque magiſtro.* ) Damœtæ mercenario pecoris cuſtodi, qui dum amat Phyllida, Galateam, Amaryllida, videtur pecus e tam multiplici magiſtri ſollicitudine maciem contrahere.

103. *Oculus mihi faſcinat agnos.* ) *Faſcinum* ſpecies incantationis: ſic dictum, I. Vel a faſciis ſive liciis & filis, quibus ad illigandos & incantandos homines magicis in ſacris utebantur, de quo more Ecl. 8. 74. II. Vel a fando, ut vult Feſtus; quia verbis ac præſertim laudatione immodica perficiebatur: de qua ſpecie Ecl. 7. 27. III. Vel ut probat Voſſius in Etym. a βασκαίνειν *invidere*: quod eſt, quaſi φάεσι κτείνειν *oculis occidere*, quia oculorum intuitu præcipue fit faſcinatio: cum ſcilicet maligni ſpiritus, ex invido aut male affecto pectore emiſſi per oculos, aerem circumfuſum inficiunt; idemque ſic infectus aer eos inficit, in quos, vel ore, vel oculis, vel naribus commeat. Ita fere Heliod. Æthiop. l. 3. Junioribus vero, utpote tenerioris naturæ, ſæpius faſcinum adhæreſcit.

104. *Dic quibus in terris, &c.* ) Uterque, quaſi de victoria deſperans, ad ænigmata confugit.

*Apollo.* Vatum Deus, de quo ſupra v. 62. Cur ſic appelletur, docet Macrob. Satur. l. 17. I. Quia radios ἀεὶ πάλλει, id eſt, *ſemper vibrat*. II. Quia radiorum vi morbos frequenter excitat, quibus mortales ἀπόλλυσι, id eſt, *enecat*. III. Quia caloris benignitate morbos omnes ἀπελαύνει, id eſt *fugat*. IV. Quia ἀναπολεῖ, id eſt, *inter utrumque mundi polum vertitur*. V. Quia unus eſt, non multiplex: idem enim aliquando eſt atque Sol. Ab α privativo, & πολλοὶ *multi*.

105. *Tres*

Tres pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.
*M.* Dic quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.
*P.* Non noſtrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus, & hic: & quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri: ſat prata biberunt.

*cœli ſpatium apertum ſit ulnis non pluſquam tribus, & eris mihi magnus vates.* M. *Dic qua in regione oriantur flores notati regum nominibus, & poſſidebis ſolus Phyllida.* P. *Non meum eſt dirimere tantam contentionem inter vos. Tu mereris vitulam, & hic* quoque: *& quicunque aut diffidet amoribus proſperis, aut experietur triſtes. Nunc obſtruite rivos, o juvenes: prata ſatis irrigata ſunt.*

## N O T Æ.

105. *Tres pateat; &c.* ) Ænigma difficile, in quo Virgilium crucem fixiſſe Grammaticis refert Servius ex Aſconio, qui hoc ipſum e Virgilio audiſſe ſe profeſſus eſt. Servius interpretatur, I. De Cœlio quodam Mantuano: qui dilapidato patrimonio ſepulcrum ſibi dumtaxat trium ulnarum, ſeu pedum ſex, reſervaverat: idque mire placet Salmaſio in Solin. p. 1222. II. De Syene urbe in confinio Ægypti & Æthiopiæ, ſub tropico Canceri: quem locum ita recto lumine ſol irradiare putabatur, medio ſolſtitii die, ut ne altiſſimo quidem in puteo, eam in rem a philoſophis effoſſo, umbram ullam efficeret. III. Alii de Ajacis clypeo, qui cœli figuram præferebat, eratque trium ulnarum, id eſt, trium cubitorum: ſic enim aliquando ulna ſumitur, ut oſtendit Voſſius in Etym. IV. Alii de ſpecu in Sicilia, ubi rapta fertur a Plutone Proſerpina. V. Ciacconius & Cerdanus de foſſa quadam Romæ in comitio facta more Etruſcorum: quæ mundus dicebatur, & toto anno claudi ſolita, patebat certis dumtaxat diebus tribus: hi autem cœlum pro mundo accipiunt, ulnas tres pro diebus tribus. VI. Pomponius de Cœlo quodam, cujus ſtatua trium dumtaxat eſſet cubitorum. VII. Alciatus de clibano, cujus oſtium ad ulnas tres apertum ſit. VIII. Alii de quolibet puteo: in quem qui deſcenderit, ſpatium cœli tantum conſpiciat, quantum putei latitudo permiſerit. Elige.

107. *Naſcantur flores. &c.* ) Cerdanus explicat de argenteo nummo qui extat, cujus altera pars Auguſti effigiem cum his verbis: *Auguſtus Cæſar*; altera florem præfert, cum hoc elogio: *Lucius Aquilius Florus triumvir.* Sed non advertit vir doctiſſimus, Auguſti cognomen Octaviano non tributum eſſe, niſi anno U. C. 727. Virgilii 43. Octavio VII. & Agrippa III. Coſſ. ut habet Cenſorinus. Edita autem ſunt Bucolica anno Virgilii circiter 32. Igitur ad vulgarem & paſtoralem ſenſum confugio, qui eſt de hyacintho flore, in quem Hyacinthus primum, Phœbo dilectus puer; tum Ajax Græcorum poſt Achillem fortiſſimus, mutati ſunt. Videntur enim in illo ſcriptæ quodammodo literæ *αι*, quæ primæ ſunt in Ajace; &, ſi retrorſum legantur, primæ etiam aliquomodo in Hyacintho, ſi, ut vult Nannius, per *j.* non per *y.* ſcribatur, contra communem Græciæ totius fidem. Atque illa difficultas Hyacinthi nominis Ovidium movit, ut floris illius literas ad Ajacis quidem nomen referret; ad Apollinis vero gemitus, mortem Hyacinthi deplorantis. Quippe *αι* gemitus notat, unde eſt *αἰάζω gemo*. Ita Met. 10. 215. *Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit, & ai ai flos habet inſcriptum.* Tum l. 13. 397. *Litera communis mediis, pueroque, viroque inſcripta eſt foliis; hæc nominis, illa querelæ. Ajax* porro & *Hyacinthus*, non reges, ſed regum filii fuere: Ajax quidem Telamonis, Hyacinthus Amyclarum regis. Reges tamen vocat Virgilius eo more, quo Laviniam & Ariadnem reginas alibi vocavit.

109. *Et quiſquis amores, Aut, &c.* ) Non uni digni eſtis vitula pro præmio, ſed etiam quicumque vobis ſimiles ita belle expriment affectus amantum: ſive ejus qui felix in amore felicitati ſuæ diffidit, qualis Menalcas: *Dulce ſatis humor, &c. Quid prodeſt, ſi me ipſe, &c.* ſive ejus qui amaritiem in amore experitur, qualis Dametas: *Triſte lupus ſtabulis, &c. nobis Amaryllidis iræ.*

111. *Claudite jam, &c.* ) Allegoria eſt. Jam cantare deſinite: ſatis enim aures noſtræ cantu veſtro delectatæ ſunt, quemadmodum aquarum humore prata reficiuntur.





# E C L O G A IV.

## *P O L L I O.

## A R G U M E N T U M.

*CONFECTO bello Peruſino, de quo dictum eſt in argum. Ecl. 1. M. Antonius multis de cauſis infenſus Octaviano, cum ingenti exercitu venerat in Italiam. Reconciliati tamen circa Brunduſium, adminiſtris L. Cocceio communi amico; & ex parte Octaviani, Mæcenate; ex parte Antonii Aſinio Pollione, tum conſule: ambo cum ovationis honore Romam ingreſſi ſunt. Sed paucis poſt diebus, cum Sext. Pompejus, Magni filius, occupata Sicilia commeatum intercluderet, ideoque Roma fame premeretur, Octavianus & Antonius, lapidibus palam appetiti a populo, coacti ſunt pacem cum Sext. Pompejo componere. Pax compoſita ad Puteolos. Sublato igitur famis metu, cibariis in urbem confluentibus, civilibus bellis tanto poſt tempore extinctis, quædam aureæ ſpecies ætatis affulſit. Hæc autem omnia cum accidiſſent ſub extremum Pollionis conſulatum, & ipſo Pollione adminiſtro, cui tunc temporis filius natus erat: huic Pollionis filio genethliacon Virgilius cecinit; ejuſdemque, & temporum illorum in laudem detorſit, quicquid in Cumanæ Sibyllæ libris, de Chriſti ortu, ejuſque matre atque ætate legerat.*

*Scripta eſt anno Virgilii 31. ineunte: U. C. 714. exeunte: ſub ipſum pacis Puteolanæ tempus: Coſſ. Domitio Calvino, & Aſinio Pollione: paullo antequam hi conſules magiſtratum abdicarent; quod more illorum temporum fecerunt, ad paucos qui ſupererant ex illo anno dies: in gratiam L. Cornelii Balbi Gaditani, & P. Canidii, qui conſules in annum reliquum appellati ſunt.*

## N O T Æ.

* POLLIO. ) C. Aſinius Pollio, a Julio Cæſare, paulo ante cædem, Hiſpaniæ ulteriori præfectus; poſt ejus cædem amiciſſimus fuit M. Antonio, ut ipſe profitetur ſuis in Epiſtolis, quæ extant apud Ciceronem l. 10. *Famil.* In ejuſdem Antonii partes cum duabus legionibus tranſiit, paullo ante triumviratum. Triumviratu inſtituto, & triumviris urbanos magiſtratus in quinquennium aſſignantibus, ipſe in an. U. C. 714. Conſul. deſtinatus eſt, adnitente, ut credibile eſt, amico Antonio. Quo eodem tempore Feſcenninis verſibus ab Octaviano laceratus dicitur. *Macrob. Saturn.* 2. 4.

Ei tunc in Gallia Ciſalpina verſanti videtur Virgilius innotuiſſe, & per eum commendatus eſſe Mæcenati: ut aditum haberet ad Octavianum, qui agrorum dividendorum in ſuos & Antonianos milites negotium unus in ſe ſuſceperat. Orto deinde Peruſino bello, L. Antonio, Marci fratri, ſuppetias tulit Pollio contra Octavianum. *Appian.* l. 5. *Civil.* Sed victo Lucio, ipſe tum Conſul, diu retenta in poteſtate Marci Venetia, ejus in partes Domitium Ænobarbum ejuſque claſſem allexit. *Vellejus lib.* 2. Conſecuta eſt pax Puteolana: ſtatimque in Parthinos, Illyricam gentem, & Bruti olim Caſſiique ſtudioſiſſimam, auſpiciis M. Antonii, expeditionem duxit: triumphavitque anno ſequente 715. Reliquam ætatem traduxit in Italia, & licet *poſt enervatum amore Cleopatræ Antonii animum, partibus ejus nunquam ſe miſcuerit*, ad bellum tamen Actiacum proficiſci noluit cum Octaviano, *propter notiora in ſe Antonii beneficia*, ait *Vellejus l.* 2. Hiſtoriam ſcripſit bellorum civilium, item tragœdias; accuſavit juvenis Catonem, orator egregius, ſed Ciceronis eloquentiæ infeſtiſſimus, *Quintil. l.* 8. 1. *& l.* 10. 12. fortaſſe ob memoriam M. Antonii, quem ille Philippicis laceraverat. Vixit ferme ad extremum Auguſti principatum, & an. U. C. 757. obiit octogenarius, ut colligitur ex *Euſeb. Chron.*

Filium habuit nullum, *Saloninum* nomine, ſed nepotem; qui certe, cum edita eſt hæc ecloga, nondum ortus erat; quippe qui annis, poſt editam hanc eclogam, 60. juvenis obiit Tiberio *progener deſtinatus*, inquit Tacit. *annal.* 2. 75.

Filius autem Pollionis dictus eſt C. Aſinius Gallus, non *Saloninus*; diris deinde ſuppliciis a Tiberio Cæſare necatus anno U. C. 789. Ille igitur Pollionis *Saloninus*, qui a Servio dicitur *inter ipſa primordia periiſſe*, aut Servii commentum eſt, aut certe tunc, cum ſcripta eſt Ecloga, *Saloninus* dici non potuit, cum *Salonæ* a Pollione non captæ ſint niſi anno editionem eclogæ conſequente. Vide Ecl. 8. 13.

Tres pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.
*M.* Dic quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.
*P.* Non noſtrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus, & hic: & quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri: ſat prata biberunt.

*cœli ſpatium apertum ſit ulnis non pluſquam tribus, & eris mihi magnus vates.* M. *Dic qua in regione oriantur flores notati regum nominibus, & poſſidebis ſolus Phyllida.* P. *Non meum eſt dirimere tantam contentionem inter vos. Tu mereris vitulam, & hic* quoque: *& quicunque aut diffidet amoribus proſperis, aut experietur triſtes. Nunc obſtruite rivos, o juvenes: prata ſatis irrigata ſunt.*

## N O T Æ.

105\. *Tres pateat; &c.* ) Ænigma difficile, in quo Virgilium crucem fixiſſe Grammaticis refert Servius ex Aſconio, qui hoc ipſum e Virgilio audiſſe ſe profeſſus eſt. Servius interpretatur, I. De Cœlio quodam Mantuano: qui dilapidato patrimonio ſepulcrum ſibi dumtaxat trium ulnarum, ſeu pedum ſex, reſervaverat: idque mire placet Salmaſio in Solin. p. 1222. II. De Syene urbe in confinio Ægypti & Æthiopiæ, ſub tropico Cancri: quem locum ita recto lumine ſol irradiare putabatur, medio ſolſtitii die, ut ne altiſſimo quidem in puteo, eam in rem a philoſophis effoſſo, umbram ullam efficeret. III. Alii de Ajacis clypeo, qui cœli figuram præferebat, eratque trium ulnarum, id eſt, trium cubitorum: ſic enim aliquando ulna ſumitur, ut oſtendit Voſſius in Etym. IV. Alii de ſpecu in Sicilia, ubi rapta fertur a Plutone Proſerpina. V. Ciacconius & Cerdanus de foſſa quadam Romæ in comitio facta more Etruſcorum: quæ mundus dicebatur, & toto anno claudi ſolita, patebat certis dumtaxat diebus tribus: hi autem *cælum* pro mundo accipiunt, ulnas tres pro diebus tribus. VI. Pomponius de Cœlo quodam, cujus ſtatua trium dumtaxat eſſet cubitorum. VII. Alciatus de clibano, cujus oſtium ad ulnas tres apertum ſit. VIII. Alii de quolibet puteo: in quem qui deſcenderit, ſpatium cœli tantum conſpiciat, quantum putei latitudo permiſerit. Elige.

107\. *Naſcantur flores, &c.* ) Cerdanus explicat de argenteo nummo qui extat, cujus altera pars Auguſti effigiem cum his verbis: *Auguſtus Cæſar*; altera florem præfert, cum hoc elogio: *Lucius Aquilius Florus triumvir.* Sed non advertit vir doctiſſimus, Auguſti cognomen Octaviano non tributum eſſe, niſi anno U. C. 727. Virgilii 43. Octavio VII. & Agrippa III. Coſſ. ut habet Cenſorinus. Edita autem ſunt Bucolica anno Virgilii circiter 32. Igitur ad vulgarem & paſtoralem ſenſum confugio, qui eſt de hyacintho flore, in quem Hyacinthus primum, Phœbo dilectus puer; tum Ajax Græcorum poſt Achillem fortiſſimus, mutati ſunt. Videntur enim in illo ſcriptæ quodammodo literæ αι, quæ primæ ſunt in Ajace; &, ſi retrorſum legantur, primæ etiam aliquomodo in Hyacintho, ſi, ut vult Nannius, per *j.* non per *y.* ſcribatur, contra communem Græciæ totius fidem. Atque illa difficultas Hyacinthi nominis Ovidium movit, ut floris illius literas ad Ajacis quidem nomen referret; ad Apollinis vero gemitus, mortem Hyacinthi deplorantis. Quippe αι gemitus notat, unde eſt *αἰάζω gemo.* Ita Met. 10. 215. *Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit, & ai ai flos habet inſcriptum.* Tum l. 13. 397. *Litera communis mediis, pueroque, viroque inſcripta eſt foliis; hæc nominis, illa querelæ. Ajax* porro & *Hyacinthus*, non reges, ſed regum filii fuere: Ajax quidem Telamonis, Hyacinthus Amyclarum regis. Reges tamen vocat Virgilius eo more, quo Laviniam & Ariadnem reginas alibi vocavit.

109\. *Et quiſquis amores, Aut, &c.* ) Non uni digni eſtis vitula pro præmio, ſed etiam quicumque vobis ſimiles ita belle exprimenr affectus amantum: ſive ejus qui felix in amore felicitati ſuæ diffidit, qualis Menalcas: *Dulce ſatis humor, &c. Quid prodeſt, ſi me ipſe, &c.* ſive ejus qui amaritiem in amore experitur, qualis Damœtas: *Triſte lupus ſtabulis, &c. nobis Amaryllidis iræ.*

111\. *Claudite jam, &c.* ) Allegoria eſt. Jam cantare deſinite: ſatis enim aures noſtræ cantu veſtro delectatæ ſunt, quemadmodum aquarum humore prata reficiuntur.

ECLO-



# E C L O G A IV.

## *P O L L I O.

### A R G U M E N T U M.

*CONFECTO bello Peruſino, de quo dictum eſt in argum. Ecl. 1. M. Antonius multis de cauſis infenſus Octaviano, cum ingenti exercitu venerat in Italiam. Reconciliati tamen circa Brunduſium, adminiſtris L. Cocceio communi amico; & ex parte Octaviani, Mæcenate; ex parte Antonii Aſinio Pollione, tum conſule: ambo cum ovationis honore Romam ingreſſi ſunt. Sed paucis poſt diebus, cum Sext. Pompejus, Magni filius, occupata Sicilia commeatum intercluderet, ideoque Roma fame premeretur, Octavianus & Antonius, lapidibus palam appetiti a populo, coacti ſunt pacem cum Sext. Pompejo componere. Pax compoſita ad Puteolos. Sublato igitur famis metu, cibariis in urbem confluentibus, civilibus bellis tanto poſt tempore extinctis, quædam aureæ ſpecies ætatis affulſit. Hæc autem omnia cum accidiſſent ſub extremum Pollionis conſulatum, & ipſo Pollione adminiſtro, cui tunc temporis filius natus erat: huic Pollionis filio genethliacon Virgilius cecinit; ejuſdemque, & temporum illorum in laudem detorſit, quicquid in Cumanæ Sibyllæ libris, de Chriſti ortu, ejuſque matre atque ætate legerat.*

*Scripta eſt anno Virgilii 31. ineunte: U. C. 714. exeunte: ſub ipſum pacis Puteolanæ tempus: Coſſ. Domitio Calvino, & Aſinio Pollione: paullo antequam hi conſules magiſtratum abdicarent; quod more illorum temporum fecerunt, ad paucos qui ſupererant ex illo anno dies: in gratiam L. Cornelii Balbi Gaditani, & P. Canidii, qui conſules in annum reliquum appellati ſunt.*

## N O T Æ.

* POLLIO. ) C. Aſinius Pollio, a Julio Cæſare, paulo ante cædem, Hiſpaniæ ulteriori præfectus; poſt ejus cædem amiciſſimus fuit M. Antonio, ut ipſe profitetur ſuis in Epiſtolis, quæ extant apud Ciceronem l. 10. *Famil.* In ejuſdem Antonii partes cum duabus legionibus tranſiit, paullo ante triumviratum. Triumviratu inſtituto, & triumviris urbanos magiſtratus in quinquennium aſſignantibus, ipſe in an. U. C. 714. Conſul. deſtinatus eſt, adnitente, ut credibile eſt, amico Antonio. Quo eodem tempore Feſcenninis verſibus ab Octaviano laceratus dicitur. *Macrob. Saturn.* 2. 4.

Ei tunc in Gallia Ciſalpina verſanti videtur Virgilius innotuiſſe, & per eum commendatus eſſe Mæcenati: ut aditum haberet ad Octavianum, qui agrorum dividendorum in ſuos & Antonianos milites negotium unus in ſe ſuſceperat. Orto deinde Peruſino bello, L. Antonio, Marci fratri, ſuppetias tulit Pollio contra Octavianum. *Appian.* l. 5. *Civil.* Sed victo Lucio, ipſe tum Conſul, diu retenta in poteſtate Marci Venetia, ejus in partes Domitium Ænobarbum ejuſque claſſem allexit. *Vellejus lib.* 2. Confecta eſt pax Puteolana: ſtatimque in Parthinos, Illyricam gentem, & Bruti olim Caſſiique ſtudioſiſſimam, auſpiciis M. Antonii, expeditionem duxit: triumphavitque anno ſequente 715. Reliquam ætatem traduxit in Italia, & licet *poſt enervatum amore Cleopatræ Antonii animum, partibus ejus nunquam ſe miſcuerit*, ad bellum tamen Actiacum proficiſci noluit cum Octaviano, *propter notiora in ſe Antonii beneficia*, ait *Vellejus l.* 2. Hiſtoriam ſcripſit bellorum civilium, item tragœdias; accuſavit juvenis Catonem, orator egregius, ſed Ciceronis eloquentiæ infeſtiſſimus, *Quintil. l.* 8. 1. *& l.* 10. 12. fortaſſe ob memoriam M. Antonii, quem ille Philippicis laceraverat. Vixit ferme ad extremum Auguſti principatum, & an. U. C. 757. obiit octogenarius, ut colligitur ex *Euſeb. Chron.*

Filium habuit nullum, *Saloninum* nomine, ſed nepotem; qui certe, cum edita eſt hæc ecloga, nondum ortus erat; quippe qui annis, poſt editam hanc eclogam, 60. juvenis obiit Tiberio *progener deſtinatus*, inquit Tacit. *annal.* 2. 75.

Filius autem Pollionis dictus eſt C. Aſinius Gallus, non *Saloninus*; diris deinde ſuppliciis a Tiberio Cæſare necatus anno U. C. 789. Ille igitur Pollionis *Saloninus*, qui a Servio dicitur *inter ipſa primordia periiſſe*, aut Servii commentum eſt, aut certe tunc, cum ſcripta eſt Ecloga, *Saloninus* dici non potuit, cum *Salonæ* a Pollione non captæ ſint niſi anno editionem eclogæ conſequente. Vide Ecl. 8. 13.

1\. Si-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sicelides Muſæ, paullo majora canamus.
Non omnes arbuſta juvant, humileſque myricæ.
Si canimus ſilvas, ſilvæ ſint conſule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,

10 Ca-

## INTERPRETATIO.

*O Muſæ Siculæ, cantemus paullo grandiora. Arbores, & parvæ myricæ non placent omnibus. Si cantamus ſilvas, ſilvæ deceant conſulem. Nunc attigimus extremum ſæculum vaticinii Cumææ* Sibyllæ: *Magna ſeries temporum oritur de novo. Nunc Aſtræa revertitur, regnum Saturni revertitur: nunc novum genus* hominum *mittitur e ſummo cœlo. Tu tamen, o pudica Diana, adſis naſcenti puero: ſub quo ferrea ætas primum finietur, & aurea per totum orbem orietur:*

tuus

## NOTÆ.

1\. *Sicelides.* ) A Græco nomine Σικελίς; a Latino enim *Sicilia*, eſſet *Sicilides*; abſona vox propter exiguitatem literæ *i*, ſæpius repetitæ. Eas invocat Muſas, quia Theocritus Siculus, ex urbe Syracuſis, bucolicorum princeps fuit. Unde & *Syracoſium verſum* dicit pro *Bucolico* Ecl. 6. 1. & *Arethuſam* Siciliæ fontem invocat Ecl. 10. 1.

2\. *Myricæ.* ) Myrica, frutex humilis: hanc alii Tamaricen vocant, alii Bruyam ſilveſtrem, Ital. *tamerigia*. De *arbuſtis* Ecl. 1. 40.

3\. *Silvas.* ) Per *ſilvas* hic, & per *ſilveſtrem muſam* Ecl. 1. 2. bucolica ſive paſtoritia carmina intelligit. Cœlius Rhodig. auctor eſt tamen, per *ſilvas conſule dignas*, alluſum ad ſilvarum curam: quæ minima erat provinciarum illarum, quæ conſuli e magiſtratu abeunti mandabatur. Unde apud Svetonium legimus, optimates ex invidia conatos eſſe, ut ea Jul. Cæſari provincia committeretur, quaſi minimi negotii; hunc vero contra perfeciſſe, ut ſibi Gallia daretur.

4\. *Ultima.* ) Vel *poſtrema* eſt; vel *prima*, & ab ætate noſtra remotiſſima: utroque enim ſenſu dicitur *ultimum*. Hæc autem ætas, de qua hic Virgilius, *poſtrema* dici poteſt, quod eam Sibylla quaſi quinto loco conſtituerit, poſt alias quatuor per metalla deſignatas, auream, argenteam, æream, & ferream. *Prima* vero dici etiam poteſt, quod hæc eadem inſtauratio ſit primæ ætatis aureæ, & eadem veluti ætas rediviva.

*Cumæi carminis.* ) Sibyllini. *Cumæam* vero Sibyllam aliqui diſtinguunt a Cumana, ut altera Italica, altera Æolica ſit. *Cumæ* enim duæ percelebres, inter urbes alias ejuſdē nominis: alia in Æolide Aſiæ, alia in Campania Italiæ. Utrumque tamen nomen cunfundi debet. De Sibyllarum nomine, numero, auctoritate, dicemus Æn. 6. 36. De *Cumis*, Æn. 6. 2.

5\. *Magnus ab integro, &c.* ) *Sæclorum* pro *ſæculorum*. *Sæculum* vulgo centum annorum ſpatium eſt, hic *ætas* & *tempus* indefinite. *Magnus ſæculorum ordo*, & poſtea *magni menſes* explicantur a pleriſque de magno anno Platonico, qui ex Cicerone 2. de Nat. Deor. *tum efficitur, cum Solis, & Lunæ, & quinque errantium, ad eandem inter ſe comparationem confectis omnium ſpatiis, eſt facta converſio*; id eſt, reditus ad eundem ſitum, unde primo curſum inceperint. Quo tempore *quidam volunt*, inquit Clavius in c. 1. ſphæræ, *tunc omnia quæcumque in mundo ſunt, eodem ordine eſſe reditura, quo nunc cernuntur*. Addunt autem fabuloſi hujus anni auctores, hunc ſpatio contineri 49000. annorum: alii tantum 23760.: alii etiam plurium. Quicquid ſit, de hoc anno Virgilium loqui vix putem: malimque *magnum* hic, eſſe *illuſtrem*; quomodo heroes Alexander, Pompejus, *magni* dicti ſunt. Multa tamen erudite docet Joſ. Scaliger de magno anno, magniſque menſibus Chaldaicis, quæ huic loco convenire poſſunt. In Canon. Iſagog. p. 252.

6\. *Virgo.* ) Aſtræa, ſeu Juſtitia, Jovis & Themidis filia: quæ finito aureo ſæculo, quo Dii cum hominibus habitaverunt, Diis propter hominum iniquitatem abeuntibus, terram quoque reliquit, ſed omnium ultima.

*Saturnia regna.* ) Feliciſſima, aurea, qualia fuerunt Saturno imperante: ſub Jovis enim ejus filii imperio, deflexerunt omnia in pejus. Georg. 1. 125. *Saturnus*, Cœli & Veſtæ filius a Titane fratre ob regni contentionem carcere incluſus, a Jove filio liberatus: deinde ab eodem Jove, cui ſtruebat inſidias, regno pulſus, in Italiam aufugit ad Janum regem. Unde regio, in qua latuerat, *Latium* dicta. Hæc omnia fabulis poetarum corrupta ſunt.

8\. Tu



Caſta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te conſule, inibit,
Pollio, & incipient magni procedere menſes.
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Diviſque videbit
Permixtos heroas, & ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu,

Er-

*tuus* frater *Apollo jam imperat. Porro ſub tuo conſulatu, o* Pollio, *gloria illa ætatum inchoabitur, & magni menſes incipient currere. Te auctore, ſi aliquæ noſtri criminis reliquiæ ſuperſunt*, tunc *deletæ liberabunt mundum æterno metu. Ipſe* puer *particeps erit vitæ divinæ, & videbit heroas ſociatos Diis, & ipſe videbitur* ab *illis, & gubernabit mundum pacatum patris virtute. Terra autem ubique ſine cultura producet tibi parva munera, o puer,*

nempe

## NOTÆ.

8\. *Tu modo naſcenti puero.* ) Quaſi dicat: novum genus hominum orietur, dummodo Lucina faveat huic puero naſcenti: qui princeps illius novi generis, id eſt, primus eſſe debet.

10\. *Lucina.* ) Dea certe fuit partui præſidens: dicta ſic a *luce*, quam infantibus dabat. Quænam vero fuerit, ambigitur. Alii Junonem fuiſſe colligunt ex hac ſolemni parientium formula: *Juno Lucina fer opem*. Alii Dianam e plurimis poetarum locis. Alii diſtinctum ab utraque numen ex hymno in Apoll. apud Homerum, ubi Lucina dicitur a Junone impedita, quominus Latonæ, Dianæ matri parturienti, opem ferret. Virgilius adhæret ſecundæ opinioni, cum eam Apollinis ſororem hic dicat: *tuus jam regnat Apollo*: id eſt, *tuus frater*.

*Apollo.* ) Multi de Octaviano interpretantur: ut & Lucinam de Octavia ejus ſorore: quæ & multum apud fratrem poterat; & pudicitiæ laude inſignis fuit; & mortuo priore conjuge Marcello, hoc ipſo tempore vinculum fuit pacis illius, quæ hac ecloga celebratur, ab Octaviano conjux Antonio tradita. Cur autem Octavianus Apollo dicitur? An quod in cœna quadam convivis duodecim Deorum habitu diſcumbentibus, ipſe Apollinem repræſentaverit? Certe Antonius deinceps id ei quaſi impie factum objecit: videturque cœna illa cadere in hoc ipſum tempus, ut ex Svetonio colligitur. Melius tamen Virgilium hic explicandum puto de Lucina ipſa, quæ ad pueri ortum invitatur: deque ipſo Apolline, qui regnare dicitur ac triumphare, quia jam conſtat veritas vaticiniorum, quæ per Sibyllam ſuam ediderat, de reditu ætatis aureæ.

11\. *Inibit.* ) Incipiet, orietur. Sic *ineunte anno*, id eſt, *incipiente*, dicitur abſolute.

12\. *Magni Menſes.* ) Quintilis & Sextilis, ajunt Servius & Pomponius. *Magni* ideo, quia *Julius* & *Auguſtus* ex imperatorum nominibus appellati ſunt. Male. Licet enim hoc de Julio verum ſit, de Auguſto menſe tamen falſum: cui nomen illud, non ante mortuam Cleopatram, & tres Octaviani triumphos, a ſenatu tributum eſt: imo non ante an. U. C. 727. *Magni* ergo *menſes* dicendi, quomodo ſupra *magnus ordo ſæclorum*, v. 5.

13\. *Sceleris veſtigia noſtri.* ) Scelus illud, vel ſunt perjuria Trojanorum, quibus omnes poſterorum Romanorum calamitates tribuuntur. Georg. 1. 501. *Jampridem ſanguine noſtro Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ*. Vel bella civilia Cæſaris & Pompeii. Vel cædes ipſa Cæſaris, ſpectante ſenatu, patrata; cujus in pœnam atrociſſima bella Octaviani principatus initium infeſtarunt.

15\. *Ille deum vitam, &c.* ) Alludit ad auream ætatem, qua Dii cum hominibus familiariter degebant: innuitque puerum in eadem, qua pater eſt, futurum quoque gratia apud Triumviros & alios deinde reipublicæ adminiſtratores, quos per adulationem Deos vocat, ut Octavianum vocaverat, Ecl. 1. v. 6.

17\. *Pacatumque reget patriis, &c.* ) Addit eundem puerum rectorem orbis, id eſt, conſulem futurum. Sic enim loqui tunc adhuc potuit poeta, nondum ſcilicet extincta republica: imo ſpe tum vigente maxima reſtituendæ mox a Triumviris antiquæ libertatis, ut ex Appiano conſtat. *Patriis virtutibus.* ) Vel refertur ad *reget*: Reget orbem, uſu & exemplo virtutum omnium patriarum, id eſt, Romanarum. Vel refertur ad *pacatum*: Reget orbem, pacatum virtute atque induſtria Pollionis patris, qui cum Mæcenate adminiſter fuit pacis inter Octavianum & M. Antonium.

D 19. He-

Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.
At ſimul heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus:
Molli paullatim flaveſcet campus ariſta,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus uva,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.
Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo

De-

*nempe vagas hederas paſſim cum baccare & colocaſia mixta grato acantho. Ipſæ capræ reportabunt in ſtabulum mammas lacte tumentes, nec greges timebunt magnos leones: ipſæ cunæ proferent tibi jucundos flores: angues quoque morientur, & morientur plantæ venenatæ, quæ colligentem decipiunt: amomum Syriacum orietur ubique. Sed ſtatim atque poteris jam legere laudes heroum, & geſta tui patris, ac percipere quid ſit virtus; tunc agri ſenſim flaveſcent ſpicis maturis, & racemi rubentes pendebunt e rubis agreſtibus, & duræ quercus ſtillabunt mel inſtar roris. Tamen latebunt nonnullæ reliquiæ malitiæ veteris, quæ cogant adire navibus mare, & claudere urbes mœnibus, & ſulcare terram. Tunc erit alter Tiphys, & altera Argo, quæ*

## NOTÆ.

19. *Hederas paſſim cum baccare.*) *Baccar*, herba eſt radicis odoratæ, quæ vim ad faſcinationem depellendam habere putabatur. Nomine Gallico caret: quibuſdam videtur eſſe *nardus ruſtica*; quibuſdam vero, *digitalis*: Ital. *Baccaro forte di pianta*. Deſpauterio fœminini generis: at vero, ut probat exemplis veterum Voſſius, ſemper neutrius: *hoc baccar*. Hederam puero promittit, ut futuro poetæ, quemadmodum Ecl. 7. 25. *Paſtores hedera creſcentem ornate poetam*; baccar, ut puero formoſo, qui proinde faſcinationi invidentium magis obnoxius ſit, quemadmodum ibid. 27. *Baccare frontem cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

20. *Colocaſia fundet acantho.*) *Colocaſium*, ii, vel *colocaſia*, æ, faba eſt Ægyptia: cujus radix & caulis ad cibum, flos ad coronas adhibebatur. De *acantho* Ecl. 3. 45.

24. *Fallax herba veneni.*) Generatim omnem herbam intelligit latentioris veneni. De *Amomo* Ecl. 3. 89.

26. *At ſimul heroum, &c.*) Proſecutus pueritiæ ludos, nunc tria ſtudia adoleſcentiæ enumerat. I. Poeſim, *heroum laudes*. II. Hiſtoriam, *facta parentis*, quæ vide in Arg. III. Philoſophiam, *& quæ ſit poteris cognoſcere virtus*. Deinde ad virilis ætatis laudes aſcendit: *Hinc ubi jam firmata, &c.*

31. *Pauca tamen, &c.*) Gradus quoſdam ponit ætatis aureæ, ſimul cum Pueri ætate procedentis: ita ut in ipſius ortu refloreſcere natura videatur, *fundent cunabula flores*: in ejus adoleſcentia fructus ferre, *ariſtas*, *uvas*, *mella*, cum aliquibus tamen priſcæ fraudis, & ætatis ferreæ veſtigiis: firmata denique ejus in ætate, quaſi plena pace gaudere, bellis & laboribus extinctis, *omnis feret omnia tellus*. Quod exprimit abundantiam rerum omnium, qua gaudebat Roma poſt pacem Puteolanam.

32. *Thetim.*) Eſt & *Thetis*, Græce Θέτις, genitivo *Thetidis*, prima brevi. Et Τηθὺς *Tethys*, genitivo *Tethyos*, prima longa. Iſta *Tethis*, uxor Oceani, ſive Neptuni, Nympharum marinarum mater. Hæc vero *Thetis* Nerei & Doridis filia, quam cum amaret Jupiter, uxoremque ducere decreviſſet, monitus eſt a Prometheo ſic eſſe in fatis, ut qui ex ea naſceretur, patre major eſſet futurus: quo audito, Jupiter ab ejus nuptiis abſtinuit. Hanc itaque duxit Peleus, Æaci filius, ex eaque Achillem ſuſcepit.

34. *Tiphys.*) Gubernator navis quæ dicta eſt Argo. *Argo.*) navis, ſive prima juxta fabulas, ſive apparatu & mole maxima omnium, quæ prius in uſu fuerant: conſtructa ad expeditionem Colchicam, ex pinis Pelii, montis in Theſſalia: inſerto e quercubus Dodonææ ſilvæ malo, qui oracula reddebat. Nomen, vel ab Architecto, quem *Argum* nominat Valer. Flaccus. Vel ab *Argivis*, id eſt, Græcis ducibus, quos vehebat, ut ait Ennius apud Cic. 1. Tuſcul. Vel a celeritate: ἀργὸς enim *velox* eſt. Inventrix ejus Minerva.



Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipſe mari vector: nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem:
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.
Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſæcla, ſuis dixerunt, currite, fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum!
Aſpice convexo nutantem pondere mundum,

Ter-

*quæ portet electos duces: erunt quoque bella alia, & ingens Achilles rurſus ibit adverſus Trojam. Deinde poſtquam ætas jam robuſta te reddiderit virum, ipſe etiam nauta recedet e mari, nec naves e pinis* fabricatæ *transferent merces: omnis terra producet omnia: nec ager ſcindetur raſtris, nec vitis falce. Tum quoque fortis agricola auferet jugum bobus. Nec aſſueſcet lana ſimulare diverſos colores: ſed aries ipſe in paſcuis tinget vellus purpura ſuaviter rubenti, & croco luteo: Sandyx ultro induet agnos inter paſcendum. Parcæ firmo fatorum ordine unanimes dixerunt ſuis fuſis: o talia tempora, currite. Accede o ad magnos magiſtratus, mox veniet tempus* accedendi: *o dilecta proles Deorum, magne Jovis alumne! Vide mundum rotunda mole ter-vacillantem,*

## NOTÆ.

nerva. Locus fabricationis, *Pagaſæ*, promontorium & oppidum Theſſaliæ, non procul a Pelio monte. Unde *Pagaſæa navis* dicta eſt.

35. *Delectos heroas.*) *Argonautas*, nobiles Græcos, e Theſſalia præcipue: qui numero circiter quinquaginta navi Argo vecti ſunt in Colchidem, ad diripiendum vellus aureum, a Tauris ignivomis & Dracone cuſtoditum. Dux Jaſon: poſt eum notiſſimi Caſtor, Pollux, Hercules, Theſeus, Orpheus, Zetes, & Calais.

36. *Achilles.*) Thetidis & Pelei filius, de quo Æn. 1. 34. Per Achillem vero quemcunque virum fortem: per Trojam, quamcunque civitatem: per Argo, quamcunque navem: per Tiphym, quemcunque gubernatorem ſignificari, bene admonet Servius: & eſt expoſitio illius, quod ante dixerat; futura nempe bella & navigationes.

38. *Vector.*) Tam active dicitur pro eo qui vehit, quam paſſive pro eo qui vehitur.

39. *Mutabit merces.*) Ante nummos repertos commercia omnia per rerum commutationem fiebant, ut adhuc fit cum peregrinis multis gentibus.

40. *Raſtros.*) *Raſtrum*: plur. *Raſtri*, vel *raſtra*; inſtrumentum quo franguntur glebæ: a radendo dictum.

44. *Murice.*) Murex, piſcis eſt marinus e concharum genere, paullulum a purpura diverſus: caro in eſcam, ſanguis in colorem aſſumitur, ex Martiale Epig. l. 13. 87. *Croceo luto.*) Alii pro croco luteo dictum volunt: crocus autem, Ital. *Zafferano*, lutei coloris eſt, id eſt, flavi rubeſcentis. Alii lutum herbam agnoſcunt: quæ vel *glaſtum* ſit, Ital. *glaſto erba*, vel *calthæ* quædam ſpecies, Ital. *fiorrancio*.

45. *Sandyx.*) Vel color eſt compoſitus, ex æqua ſandarachæ & rubricæ commixtione ex Plin. l. 35. 6. flammæ, vel minio concolor; Ital. *forte di fiore vermiglio*. Vel frutex, aut herba, cujus dicitur a quibuſdam flos ſimilis cocco, Ital. *color roſſo*.

47. *Parcæ.*) Erebi & Noctis filiæ: ſic dictæ vel a partu quaſi *Partæ*, juxta Varronem; quia naſcentibus bonum malumque in partu conferunt. Vel per antiphraſim a parcendo, juxta alios; quia nemini parcunt. Tres finguntur, quia tria ſunt tempora: colo inſtructæ, qua vitæ humanæ ſtamina deducunt. Prima eſt *Clotho* a κλώθω *volvo*. Secunda *Lacheſis* a λαγχάνω *ſortior*. Tertia *Atropos* ab α privativo, & τρέπω *verto*, quia inflecti non poteſt.

4. *Jovis incrementum.*) Jovis filius, alumnus; ideo incrementum & augmentum, quia patres prole dicuntur augeri. Jovis autem Deorumque ſobolem vocat & alumnum eo modo, quo Homerus, heroes ſuos, διοτρεφέας & θρέμματα Διὸς, *nutritos a Jove*.

50. *Nutantem convexo, &c.*) Geſtientem & præ lætitia commoventem ſe. *Convexum*, eſt curvatura exterior cœli: *concavum*, curvatura inte-

Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum:
Aſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus &, quantum ſat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adſit:
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem:
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
Incipe, parve puer; cui non riſere parentes,

Nec

*terramque, & ſpatia maris, & altum cœlum. Vide, ut cuncta exultent ob adventum ætatis aureæ. Utinam reſtet mihi pars extrema tam prolixæ vitæ, & anima, quantum ſufficiet, ut tua geſta celebrem. Non me cantu ſuperabit aut Orpheus Thracius, aut Linus, licet huic Orpheo mater faveat Calliopea, & huic Lino pater pulcher Apollo. Si Pan ipſe contendat mecum, Arcadiæ arbitrio; ipſe Pan fatebitur ſe ſuperatum eſſe, Arcadiæ arbitrio. Incipe, parve puer, agnoſcere matrem ex ipſius riſu: decem menſes attulerunt matri diuturna tædia. Incipe, parve puer; cui parentes non arriſere,* hunc

NOTÆ.

interior: utrunque promiſcue ſumitur a poetis. Æn. 4. 451. *Tædet cœli convexa tueri*, id eſt, *concava* quæ ſola intuemur. *Convexum* dixit pondus, quia mundi pondus & gravitas rotundum illum, adeoque convexum efficit omnibus ejus partibus æqualiter ad centrū nitentibus.

56. *Linus.*) Apollinis & Terpſichores filius, paſtor idem & muſicæ peritiſſimus, Orphei & Herculis ea in arte præceptor. Hunc ab ipſo Hercule occiſum ferunt, impacta in caput cithara, quod ipſum Herculem ruſticius canentem irrideret.

57. *Orphei.*) Dativus Græcus, hic diſſyllabus, Ὀρφεῖ, εῖ, ει vel ῖ. Sic apud Catullum eſt *Pelei*, τῷ Πηλεῖ. De Orpheo Ecl. 3. 46. *Calliopea.*) Vel *Calliope*, ut *Penelopea*, vel *Penelope*. Una e novem Muſis, mater Orphei, heroici carminis præſes: a κάλλος *pulchritudo* & ὄψ, *ὀπὸς vox*.

58. *Pan etiam Arcadia &c.*) De Pane Ecl. 2. 31. *Arcadia* Peloponneſi regio intima, a mari undique remota, ubique in montes aſſurgens; unde paſtioni pecorum, quam agriculturæ aptior, ideoque Pana paſtorum Deum ſingulari cultu venerata.

61. *Longa decem.*) Vulgo menſe nono naſcuntur infantes: unde hic Vives, & Turnebus decem Lunæ menſes agnoſcunt, qui breviores. Alii menſem decimum ineuntem intelligunt, vel etiam completum: cum ad hoc uſque tempus partum differri poſſe conſtet, imo etiam ulterius. *Tulerunt.*) Penultima brevi, cum vulgo habeatur longa. Sic Æn. 2. 774. & 3. 48. *Steteruntque comæ*. Georg. 2. 129. *Miſcueruntque herbas*. Lucret. 3. 89. *Prodiderunt*. 1042. *Occiderunt*, &c.

62. *Cui, &c. Parentes, &c.*) De hac duplici voce controverſia eſt. *Cui*) Quintilianus l. 9. 3. legit, *Qui*, plurali nominativo, hoc ſenſu: *qui pueri non riſere; hunc*, id eſt, *hos*, (per enallagen, ſive commutationem numerorum) *nec Deus menſa dignatur, nec, &c.* II. Servius legit, *Cui*, dativo ſingulari; ſive, *Quoi*, quomodo veteres Latini ſcripſerunt, uſque ad ipſius Quintiliani pueritiam, ut ait ipſe l. 1. 7. Et hic erit ſenſus: *Cui puero parentes non arriſere, hunc nec Deus, &c.* Qui quidem ſenſus ut conſtet magis, hæc ſuperiora verba, *riſu cognoſcere matrem*, de riſu matris, non de pueri riſu, accipio cum Erythræo & Bembo. Solent enim parentes ante cæteros a liberis agnoſci ex blandiore riſu, & eſt in liberis omen ingenii bonæque indolis, ex illo riſu citiſſime parentes agnoſcere. Quare poeta puerum invitat, ut ex riſu cito parentes agnoſcat. *Parentes.*) Qui legunt cum Servio, *Cui*, nihil hinc habent negotii: &, *parentes*, nominativo plurali intelligunt. Qui vero cum Quintiliano legunt, *Qui*, I. vel parentes eſſe volunt in vocativo, *o parentes*: ita Politianus, Miſcell. 89. II. Vel in accuſativo: pro, *qui non riſere ad parentes*: ita Joſ. Scaliger in Catull. 62. 208. quomodo Plautus in Capt. 3. 1. 21. *Quaſi muti ſilent, neque me rident*: pro, *mihi arrident*. Servium ſequor, quia figura Quintiliani durior hoc loco videtur.

63. *Nec Deus hunc, &c.*) Certe comminatio eſt imminentis puero calamitatis, ſi matrem riſu non agnoſcat. Quæ autem ſit illa calamitas dubium eſt. I. Servius explicat de Vulcano, cui puer ſimilis ſit futurus: Vulcanus vero, cum ei naſcenti parentes, Jupiter & Juno, propter deformitatem non arriſiſſent, ab iis in Lemnum inſulam dejectus



Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

*hunc nec Deus ad menſam, nec Dea in lectum* excipere *dignata eſt*.

NOTÆ.

jectus eſt: quo ex caſu claudus factus, deinceps, nec *a Jove* ad menſam Deorum, nec a *Minerva* in maritum admiſſus eſt. Obſtat tamen Servio Homerus, qui Vulcano dat locum in cœleſti convivio, Iliad. 1. 595. II. Politianus, Miſc. 89. explicat de *Genio* & *Junone*, qui puero propitii non ſint futuri. Conſtat enim ex Seneca Ep. 110. ex Plin. l. 2. 7. veteres hominibus ſingulis Genium & Junonem, tutelares Deos, ab ipſo ortu attribuiſſe. Sed conſtat etiam apud eruditos omnes, Genium ſolis maſculis, Junonem ſolis fœminis fuiſſe attributam: atque ita uni eidemque Pollionis filio Genius & Juno non conveniunt. Minime autem conſtat id, quod hoc loco Philargyrius commentatur: nempe pueris nobilibus editis in atrio Junoni Lucinæ lectum ſterni ſolitum, & menſam Herculi, ſive juxta alios, Genio. Refert quidem Politianus duplicem Varronis locum: quorum alter docet, *initiari pueros Eduſa, Potina, & Cuba, divis edendi, potandi, & cubandi*: alter docet, *natus ſi erat ſublatus, Diis conjugalibus, Pilumno & Picumno, in ædibus lectum ſterni*. At ex iis locis nihil erui poteſt, niſi quod menſa Deabus, lectus Diis poneretur: cum Virgilius contra menſam Deo, lectum Deæ attribuat. Quare ego duplici modo nodum ſolvo. I. Per *menſam*, educationem & nutritione pueri intelligo: cui rei fatentur omnes præfuiſſe Genium; per *cubile* conjugium intelligo, cui conſtat præfuiſſe Junonem. Atque ita ſenſus erit: *Hunc puerum Genius ali non permittet, nec per cibum incrementa capere; aut ſi permiſerit, certe non permittet Juno ad felices nuptias pervenire*. II. Sic præterea commode poteſt explicari. *Si non agnoſcas matrem riſu, infelix eris, neque ad illam poteris Deorum vitam & conſortium pervenire, quod prius tibi promiſeram, verſu* 15. Illa autem Deorum vita, ſive apotheoſis, gemino capite præcipue continebatur: convictu Jovis, & Deæ alicujus conjugio. Sic apud Horatium l. 4. Od. 8. Herculis divinitas inde ſtatuitur, quod, *Jovis intereſt optatis epulis impiger Hercules*. Idemque, ut notum eſt, Heben juventutis Deam accepit in conjugem. Sic & Virgilius Georg. 1. 31. Immortalitatem, quam promittit Auguſto, ita exprimit: *Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis*. Eo itaque recident Virgilii minæ in puerum: *Non frueris Deorum vita, quia te nec Jupiter admittet ad menſam, nec Dea ulla in cubile.*

---

# ECLOGA V.

## DAPHNIS.

### ARGUMENTUM.

*PASTORES duo funebres ac divinos honores amico Daphnidi exhibent: Mopſus illius epitaphium, Menalcas apotheoſim canit. Quis autem ſit ille Daphnis, ambiguum eſt. I. Aliqui paſtorem eſſe putant Siculum, de quo Diodor. lib. 4. Mercurii filium, natum lauro in nemore, unde nomen habuerit a* δάφνη, laurea: *peritum illum quidem muſices, & Bucolici carminis apud Siculos inventorem. Qui cum amaretur a Nympha, eique datam fidem fefelliſſet ob amorem filiæ Regis, oculis in pœnam captus, carminis argumentum deinde paſtoribus fuit. Nec ſane vero abſimile Virgilium, qui toties in Bucolicis rerum Sicularum meminit, juvenis illius laudes eſſe proſecutum; exemplo Theocriti, qui videtur ejus in memoriam ſcripſiſſe Idyllium primum.* II. *Alii Pollionis filium eſſe conjiciunt: cujus genethliacon ecloga ſuperiore, hic mors immatura celebratur. At ſi inter ipſa, at volunt, obiit primordia; quomodo curru* ſubjungere tigres inſtituit, & thiaſos inducere Baccho? III. *Sentit Vives a Virgilio, quamquam inſcio & imprudente, mortuum atque redivivum Chriſtum eſſe laudatum. Sed prius magis,* quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*quam verus ille ſenſus eſt*. IV. *Pierius vult eſſe Quinctilium Cremonenſem Virgilii atque Horatii familiarem. At ejus obitus hac Ecloga poſterior eſt, annis circiter quindecim, caditque in an. U. C. 730. ut patet ex Euſeb. Chron.* V. *Alii de Quinctilio Varo interpretantur, illo, qui in Germania cæſus eſt an. U. C. 762. poſt obitum ipſius Virgilii 27. Quam ſcite, ipſi viderint.* VI. *Jul. Scaliger Poet. l. 14. ſuſpicatur Flaccum eſſe quemdam, ipſius Virgilii fratrem: idque alii probant hoc incerti Auctoris veteri diſticho:* Triſtia fata tui dum fles in Daphnide Flacci, Docte Maro, fratrem Diis immortalibus æquas. *Non putem tamen a modeſtiſſimo poeta tam ſuperbe defletum fratrem fuiſſe, obſcurum hominem ac ſemipaganum; nec fidem habeo verſiculis incertis.* VII. *Melius Joſ. Scaliger in Euſeb. Chron. p. 143. & alii de cæde & apotheoſi Julii Cæſaris rem explicant. Quam commode, conſtabit ex notis.*

*Scripta eſt, forte quibuſdam ludis, aut ſacrificiis, in honorem Julii celebratis. Quo præciſe tempore non liquet. Certe poſt ſecundam, ac tertiam Eclogam: ſiquidem extremis hujus verſibus mentio fit ſecundæ & tertiæ.*

## MENALCAS, MOPSUS.

*MEN.* CUr non, Mopſe, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus,
Hic corylis mixtas inter conſedimus ulmos?
*Mo.* Tu major: tibi me eſt æquum parere, Menalca;
Sive ſub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius ſuccedimus: aſpice ut antrum
Silveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

*Me.*

## INTERPRETATIO.

MEN. *Mopſe, ſiquidem una ſumus: periti uterque, tu fiſtula canere, ego canere verſus: cur nondum hic procubuimus inter ulmos mixtas corylis?* MOP. *Tu natu major, juſtum eſt ut tibi obediam, o Menalca: ſeu ſubimus umbracula fluctuantia ventis agitantibus, ſeu potius cavernam. Vide quomodo vitis agreſtis prætexit cavernam uvis raris.*

Me-

## NOTÆ.

4. *Tu major.*) Ambo tamen juniores. Sic enim deinde v. 19. Mopſus ad Menalcam: *ſed tu deſine plura, puer.* Et viciſſim Menalcas ad Mopſum v. 49. *Fortunate puer, tu nunc.*

5. *Zephyris.*) *Zephyrus* ventus flans ab occaſu æquinoctiali: dictus quaſi *ζωηφόρος vitam ferens*. Latinis *Favonius*. *Hic eſt genitalis mundi ſpiritus, a fovendo dictus*, inquit Plinius, lib. 16. 25. ſive ut habent quidam codices, *a favendo*.

7. *Labruſca.*) Vitis ſilveſtris: ſic dicta, vel quia circa macerias & ſepta, in terræ marginibus & labris naſcitur; vel quia a ſapore acerbo labra lædit. De *Amynta* Ecl. 2. 35. De *Phœbo* Ecl. 3. 62.

10. *Phyllidis ignes.*) *Phyllis* Lycurgi Thraciæ regis filia: quæ Demophoonta Theſei regis Athenienſis ex Phædra filium amavit, excepitque e Trojano bello redeuntem. Is cum Athenas ad componenda regni negotia reverſus, illic longiores contra fidem datam traheret moras, Phyllis ſpretam ſe rata, amoris impatientia vitam laqueo finivit, & in arborem amygdalum foliis carentem eſt converſa. Reverſus deinde Demophoon cum arborem amplexus eſſet, illa ſponſi adventum veluti ſentiens emiſit folia: unde folia quæ ante [illegible] dicebantur, ab ejus nomine dicta ſunt [illegible].

11. *Alconis.*) Alcon celebris ſagittarius Cretenſis: qui in ſerpentem Phaleri filii ſui corpori circumplicatum tam induſtrie ſagittam direxit, ut eam in ſerpente defigeret, nec filium tangeret. *Jurgia Codri.*) Codrus rex Athenienſium fuit; qui bello adverſus Laconas, ut ait Servius; aut Dorienſes, ut Juſtinus; aut Thraces, ut Plutarchus: cum ab oraculo reſponſum eſſet, eum populum victorem fore, cujus rex periiſſet; atque adeo edictum fuiſſet ab hoſtibus, ne quis regem Athenienſem læderet: ipſe ſumpto lignatoris habitu, jurgiis aliquos ex hoſtibus laceſſivit, ab iiſque occiſus eſt: hoſtes re cognita ſine prælio victi domum abierunt. *Phyllis* tamen, *Alcon*, & *Codrus*, fortaſſe hic paſtoritia nomina ſunt. Fuit & *Codrus* poeta, de quo Ecl. 7. 22.

14. *Modulans alterna notavi.* Ita ut modo canerem, modo quæ cantaveram, deſcriberem in fagi cortice. *De fago* Ecl. 1. 1.

17. *Pu-*



*Me.* Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.
*Mo.* Quid ſi idem certet Phœbum ſuperare canendo?
*Me.* Incipe, Mopſe, prior, ſi quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe: paſcentes ſervabit Tityrus hædos.
*Mo.* Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina deſcripſi, & modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.
*Me.* Lenta ſalix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis:
Judicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.
*Mo.* Sed tu deſine plura, puer: ſucceſſimus antro.
Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli teſtes & flumina Nymphis:
Cum, complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque Deos atque aſtra vocat crudelia mater.
Non ulli paſtos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum, montesque feri ſilvæque loquuntur.

Da-

Me. *Amyntas unus tecum poteſt contendere in montibus noſtris.* Mo. *Quid mirum, cum ipſe contendat vincere Phœbum cantu?* Me. *Mopſe, incipe primus, ſi habes, aut aliquos amores Phyllidis, aut laudes Alconis, aut rixas Codri. Incipe: Tityrus cuſtodiet hædos paſcentes.* Mo. *Meditabor potius illa carmina, quæ nuper ſcripſi in cortice fagi, & per vices canens inſculpſi: tu poſtea fac ut contendat Amyntas.* Me. *Quanto ſalix flexilis inferior eſt oliva, quanto parva ſaliunca rubentibus roſis; tanto tibi inferior eſt Amyntas, mea quidem ſententia.* Mo. *At tu, puer, omitte plura loqui, ingreſſi ſumus in antrum. Nymphæ lugebant Daphnim defunctum fera morte; vos, o coryli & fluvii, teſtes fuiſtis Nympharum luctus. Dum mater amplexa miſerandum cadaver filii ſui, & Deos & ſidera fera appellaret. O Daphni, nullus boves deduxit e paſtu ad fluvios frigidos, per illos dies; nulla quadrupes nec deguſtavit aquam, nec attigit herbam graminis. O Daphni, & montes inculti, & ſilvæ dicunt leones ipſos Africæ doluiſſe mortem tuam.*

*Daphnis*

## NOTÆ.

17. *Puniceis.*) *Puniceus*, ſive *phœniceus* color ſplendide rubet; *quales fructus palmæ arboris non admodum ſole incocti: unde ſpadicis & phœnicei nomen eſt*; inquit Gellius, l. 2. 26. [illegible] enim Dorice ſignificat, *avulſum e palma terminem cum fructu*: & communiter [illegible] *palma* eſt & *palmæ fructus. Saliunca.*) Ex Plinio l. 21. 7. *folioſa quidem eſt, ſed brevis, & quæ necti non poſſit: radici numeroſæ cohæret, herba verius quam flos. Veſtibus interponi eam gratiſſimum.* Alii Lavendulam eſſe putant, alii nardum Celticam.

20. *Crudeli funere Daphnim.*) Aptum mihi videtur Julio Cæſari nomen. Lauream enim ſignificat. At Cæſar, ex Svet. c. 45. *Calvitii ſui deformitatem cum iniquiſſime ferret, ex omnibus decretis ſibi a ſenatu, populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut uſurpavit libentius, quam jus laureæ coronæ perpetuo geſtandæ.* Bene item, *crudeli funere.* Quia Cæſar medio in ſenatu, tribus & viginti pugionum ictibus occiſus eſt, ducibus conjurationis Bruto & Caſſio, ejuſdem familiaribus, idibus Martiis.

23. *Mater.*) Cerdanus transfert hunc affectum ad uxorem Julii Calpurniam, quæ paullo ante diem cædis ſomniavit maritum in *gremio ſuo confodi*; ex Svet. 81. ego matrem *Romam* puto: quæ corpus ejus, medio in foro, pro roſtris, inſolito tumultu & gentium omnium comploratione combuſſit; igne ex ipſis tribunalibus ac ſubſelliis excitato: ut eſt apud Sveton. 84.

24. *Non ulli paſtos &c.*) Huc refero Svetonii verba, c. 81. de prodigiis, quæ mortem Cæſaris præceſſerunt. *Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos & ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſime pabulo abſtinere, ubertimque flere.* Equi per *Quadrupedem* hic ſignificantur, ut Æn. 11. 714. *Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.*

26. *Libavit.*) Guſtavit, attigit. Æn. 1. 740.

27. *Pœnos leones*) Punicos; id eſt Carthaginenſes, ſeu Africanos. Carthago enim urbs Africæ præcipua, cujus incolæ Pœni dicti, quaſi Phœni; quia e Phœnicia profecti, duce Eliſa, ſive Didone. Æn. 1. 348. Ferax autem leonum & monſtrorum eſt Africa. In qua Cæſar Catonem, Scipionem, & Jubam vicerat.

29. *Daph-*

Daphnis & Armenias curru ſubjungere tigres
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.
Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis;
Tu decus omne tuis: poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.
Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis,
Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo
Carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Paſtores: mandat fieri ſibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen.
Daphnis ego in ſilvis hinc uſque ad ſidera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.
*Me.* Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dul-

*Daphnis etiam induxit* morem *ſubligandi tigres Armenias ad currum, & celebrandi choreas* in honorem *Bacchi, & inducendi flexiles haſtas teneris frondibus. Ut vitis eſt ornamentum arborum, ut racemi vitium, ut tauri armentorum, ut meſſes agrorum fertilium:* ſic tu eras *ornamentum omne tuorum; ex quo mors te abſtulit, ipſa Pales atque ipſe Apollo deſeruit arva. Sæpe miſerum lolium, & infœcundæ avenæ regnant in ſulcis, quibus commiſimus magna hordea. Carduus, aut paliurus* armatus *ſpinis acutis naſcitur pro dulci viola, & narciſſo purpureo. Spargite frondes per terram, tegite fontes umbraculis, o paſtores! Daphnis jubet hæc ſibi præſtari: & ſtatuite ſepulcrum, & adjicite ſepulcro epitaphium: Ego Daphnis* hic jaceo, *celebris in ſilvis hinc uſque ad cælum: magiſter pulchri pecoris, ipſe pulchrior.* Me. *Tales mihi ſunt verſus tui, o divine poeta, qualis res* eſt *fatigatis ſomnus in herba, & qualis res* eſt *æſtuantibus*
*ſeda-*

N O T Æ.

29. *Daphnis & Armenias, &c.*) *Hoc aperte ad Cæſarem pertinet, quem conſtat primum ſacra Liberi patris tranſtuliſſe Romam, & Liberalia inſtituiſſe*, inquit Servius. Quo tamen id auctore dicat, ignoratur: immo ſacra Liberi multo ante nota fuiſſe Romæ manifeſtum eſt. Niſi forte dicatur magnificentius ea deinceps a Julio celebrata; eo quod periculoſiſſimo certamine Pompeii filios ad Mundam viciſſet, ipſo Liberalium die, ἐν Διονυσίοις, inquit Plutarchus in Cæſare: quo eodem die, ante quadriennium, Pompeius ad bellum exiiſſe quoque dicebatur. Præcipua autem Bacchi inſignia fuere, *Tigres*: quibus currui ſubligatis circumvehi ſolitus eſt. *Thyrſus*, haſta erat, veſtita pampinis & hedera, armata cuſpide in coni formam deſinente: Bacchi geſtamen & comitum ejus fœminarum, quas *Bacchas* vocabant. Thyrſus quippe dicitur, quicquid ita ſurgit, ut in gracilitatem tenuetur: quemadmodum caulis medius fruticum & plantarum. *Thiaſus* eſt chorus, ſive ſacra ſodalitas canentium, ſaltantium, convivantium: non ſemper ad Bacchum, ſed ad alia etiam divina pertinens. Diciturque a θεῖος ἀείδειν, divina canere. De *Baccho* infra v. 69.

29. *Curru ſubjungere tigres.*) *Curru* pro *currui*. Veteres enim in nominibus quartæ, genitivum extulere per *uis*, *curruis*: & dativum per *ui*, *currui*. Unde poſtea ſicut genitivum contraxere in *us*, *curruis*, *currus*; ita aliquando contraxere dativum in *u*, *currui*, *curru*. Hoc innuit Gellius l. 4. 16. qui multa congerit exempla Virgilii & aliorum. Sic Æn. 1. 261. *parce metu*. 6. 465. *teque aſpectu ne ſubtrahe*. 9. 605. *venatu invigilant pueri*. *Tigres.*) Bene *Armenias*. Tigris enim vox eſt Armena, ex Varr. aut Medica, ex Plinio: quæ celeritatem ſignificat. Unde apud eos, feram illam, ſagittam, & flumen celere ſignificat.

35. *Ipſa Pales, &c.*) Pales Dea paſtorum & pabuli: quam tamen Varro vult eſſe maſculini generis. *Apollo.*) Hic Apollo Nomius intelligitur: ſic dictus a νομή, *paſcuum*; quia greges olim Admeti regis pavit. Georg. 3. 2.

36. *Grandia hordea.*) Speciem pro genere, hordeum pro quolibet frumento.

37. *Infelix lolium, &c.*) Lolium, Ital. *loglio*: Græcis ζιζάνιον. *Avena.* Duplex: altera ſativa, & ad equinum pabulum utilis; altera plane inanis ac ſterilis, de qua hic ſermo. In hanc ultimam, & in lolium dicuntur frumenta degenerare.

38. *Purpureo narciſſo.*) Duplex narciſſi ſpecies præcipua, ex Dioſcoride, l. 4. 161. *Flos albus*, inquit, *intus croceus*, λευκὸν, *in quibuſdam purpureus*, πορφυροειδές.

39. *Carduus &, &c.*) Carduus agreſtis, Ital. *Cardone*. *Paliurus.*) Herba, vel



Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.
Nec calamis ſolum æquiparas, ſed voce magiſtrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunque modo tibi noſtra viciſſim
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad aſtra:
Daphnin ad aſtra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
*Mo.* An quicquam nobis tali ſit munere majus?
Et puer ipſe fuit cantari dignus, & iſta
Jampridem Stimicon laudavit carmina nobis.
*Me.* Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes & ſidera Daphnis.
Ergo alacris ſilvas & cætera rura voluptas,
Panaque, paſtoreſque tenet, Dryadaſque puellas.
Nec lupus inſidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipſi lætitia voces ad ſidera jactant
Intonſi montes: ipſæ jam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus, Deus ille, Menalca.
Sis

*ſedare ſitim ſcaturiente rivo dulcis aquæ. Nec tantum æquas magiſtrum fiſtula, ſed etiam voce. Felix juvenis, tu modo eris primus poſt eum. Nos tamen viciſſim tibi qualicunque modo canemus hæc noſtra, & Daphnim tuum tollemus in cælum: Daphnim tollemus in cælum, Daphnis nos etiam dilexit.* Mo. *An ulla res mihi ſit pretioſior, quam hoc munus? & puer ipſe meruit celebrari, & jamdudum Stimicon laudavit mihi tuos iſtos verſus.* Me. *Daphnis ſplendens miratur portas cæli a ſe non ante viſas, & deſpicit ſub pedibus nubila & aſtra. Ergo læta voluptas occupat nemora, campoſque omnes, & Pana, & paſtores, & Dryadas virgines. Neque lupus ſtruit inſidias gregi, neque ullæ plagæ moliuntur fraudem cervis. Daphnis bonus diligit pacem. Ipſi montes inculti emittunt clamores ad aſtra* præ *gaudio, ipſæ rupes* modulantur *verſus, ipſæ arbores modulantur* hoc: *Deus, o Menalca, Deus ille* eſt.
*Uti-*

N O T Æ.

vel juxta alios frutex aſperrimus: quidam ſpinam albam putant.

49. *Alter ab illo.*) Secundus; non dignitate quidem, quia doctrina par utrique eſſe dicitur, *Nec calamis ſolum æquiparas, ſed voce magiſtrum*: ſed ordine tantum temporis: Ita ut alter alteri ſit ſimilis, ſed magiſter primus & antiquior, Mopſus vero ſecundus & junior. *Magiſter* autem ille Mopſi, videtur ipſe fuiſſe Daphnis.

52. *Amavit nos quoque Daphnis.*) At, inquiunt, Menalcas Virgilius eſt, ſiquidem deinde dicit de ſua fiſtula: *Hæc nos, Formoſum Corydon ardebat Alexim; Hæc eadem docuit, &c.* Virgilium autem non amavit J. Cæſar, quippe ignotum adhuc tunc temporis: atque adeo Daphnis non eſt J. Cæſar. Sed nihil obſtat, quo minus dicamus amatos a Cæſare Mantuanos, & cæteros Galliæ Ciſalpinæ populos; utpote ex ea provincia, quam Cæſar tantopere expetiiſſet. Virgilius autem Mantuanus fuit.

54. *Et puer ipſe.*) Negat Servius poſſe id convenire J. Cæſari, qui non puer, ſed annos natus 56. interfectus eſt. Ego exiſtimo Cæſarem conſulto hic vocari puerum, quia relatus fuerat inter cœleſtes Deos: Dii vero cenſebantur vigorem ſemper habere juvenilem; nec aliam ob cauſam *Heben*, ſive *Juventam* Dii ad pocula miniſtranda adhibebant. Contra *Senectus* inter inferna numina numerabatur. Æn. 6. 275. *Primiſque in faucibus Orci, &c. pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.* Sic Ovid. Met. l. 4. 17. De Baccho canit: *Tibi enim inconſumpta juventa: Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto Conſpiceris cælo.*

56. *Candidus.* Color Diis ſuperis addictus, ut niger inferis & mortuis. Tibul. l. 3. 6. 1. *Candide liber, ades.* Ovid. Triſt. 5. 514. ad Natalem Deum; *Candidus huc venias.* Adde quod heroas in lacteo circulo crederent habitare, ex Cicer. in Somnio Scip. qui circulus non male cœli veſtibulum & limen vocari poteſt. *Limen.*) Eſt tranſverſum in janua lignum inferius vel ſuperius. Sic dicitur vel a *limes*, quia terminatur hic domus; vel a *limus*, id eſt *obliquus & tranſverſus*, ut vult Feſtus.

*Olympi.*) Montes duodecim hoc nomine inſigniti ſunt. Præcipuus in ea parte Theſſaliæ, quæ ad Macedoniam vergit: cujus vertex ita editus, ut nubes penetrare, & ad cœlum uſque pertinere dicatur, imo & pro cœlo ſumatur a poetis. Dictus quaſi ὁλόλαμπος, *totus lucidus*, quia nubes excedit & ſole ſemper illuſtratur. De *Dryadibus*, E. 2. 46. De *Pane*, E. 2. 31.

64. *Deus, Deus ille &c.*) Conſtat honores Divinos J. Cæſari a Triumviris decretos eſſe, paullo poſt Triumviratum conſtitutum, anno U. C. 712. Lepido II. & Munatio Planco
Coſſ.

Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.
Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,
Crateraſque duos ſtatuam tibi pinguis olivi:
Et multo imprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in umbra
Vina novum fundam calathis Arviſia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.
Hæc tibi ſemper erunt, & cum ſolennia vota
Reddemus Nymphis, & cum luſtrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi ſic vota quotannis

80 Agri-

*Utinam ſis commodus, & propitius tuis! ecce quatuor aras, ecce duas tibi, & duo altaria Phœbo* erecta. *Singulis annis offeram tibi duo vaſa recenti lacte undantia, & duo vaſa pinguis olei: Præſertimque lætificans epulas copioſo vino; ad ignem, ſi* fuerit *hyems; ſub umbraculis, ſi* fuerit *æſtas: effundam e calicibus vina Chia*, quæ ſunt *novum nectar. Damœtas, & Ægon Cretenſis mihi canent: Alpheſibœus exprimet choreas Satyrorum. Hæc in honorem tuum ſemper fient, & cum ſolvemus Nymphis vota annua, & cum circuibimus campos* cum hoſtia. *Quamdiu aper amabit culmina montium, quamdiu piſcis amnes, & quamdiu apes alentur thymo, quamdiu cicadæ rore: ſemper gloria, & nomen tuum, & laudes durabunt. Agreſtes ſingulis annis ſic tibi vota facient, quemadmodum Baccho & Cereri.*

Tu

## N O T Æ.

Ceſſ. Hi autem honores præcipue fuerunt: ut ædes ei in foro, ubi crematum ejus cadaver fuerat, conſtrueretur: ut ſimulacrum ejus ludis Circenſibus una cum ſimulacro Veneris circumferretur: ut, ſi qua victoria nunciaretur, ei ſeorſum quaſi victori ſacrificaretur: ut qui in ejus ædem confugiſſet, ab injuria tutus eſſet. Et ab eo tempore Octavianus ſe *Divi* filium appellavit.

65. *Felixque tuis.* ) *Felix* dicitur, tam is qui habet felicitatem, quam is qui facit alios felices. Æn. 1. 334.

68. *Crateraſque* ) *Crater* Græca vox; κρατὴρ a κεράννυμι *miſceo*; illud autem a κέρας cornu: quod veteres cavis cornibus, aut effictis in figuram cornuum poculis biberent, in iiſque vinum aqua miſcerent.

69. *Baccho.* ) Vino, cujus inventor Bacchus a poetis dicitur; Jovis ex Semele filius διμήτωρ *bimater* dictus, quia ex utero matris fulminatæ translatus in Jovis femur, inde maturo partus tempore iterum prodiit. Orbem terrarum peragravit, Indos domuit, primus omnium triumphavit invectus elephanto: turba ſtipatus temulentarum & vociferantium fœminarum, quas ab eo *Bacchas* dixere. Supra v. 29.

71. *Arviſia nectar.* ) Ab Arvíſio promontorio Chii inſulæ, in mari Ægæo, ubi vinum exquiſitiſſimum. *Nectar.* ) Potus Deorum, ut *ambroſia* cibus: ſæpe tamen promiſcue ſumuntur: utrumque immortalitatem ſignificat. *Nectar* enim a νη privativa particula, & κτείνω *occido*; *ambroſia*, ab α privativo, & βροτὸς *mortalis*. Utrumque miniſtrarunt Diis Hebe, ſive Juventa, & Ganymedes. *Calathis.* ) Poculis ad ſpeciem calathorum formatis. Ecl. 2. 46 Et Martialis Apophor. 107. de calathis ait: *Nos Satyri, nos Bacchus amat*; unde patet calathum poculum quoque eſſe, non tantum caniſtrum.

72. *Damœtas, &c.* ) Ecl. 3. 1. *Ægon.* ) ab αἲξ *capra*: dictus *Lyctius*, a Lycto Cretæ inſulæ civitate.

73. *Alpheſibœus.* ) Ab ἀλφεῖν *invenio*, & βοῦς *bos*. Hoc loco nomen paſtoris proprium eſt: ſed apud Homerum Il. 18. 593. epithetum eſt puellarum, quæ propter formam reperiebant multos juvenes, a quibus boves accipiebant munerum loco; quia opes omnes illis temporibus in gregibus ſitæ erant. De *Satyris* Ecl. 6. in Arg.

74. *Et cum ſolennia vota.* ) Sacra Nymphis fieri ſolita; vel in agris, ut Turnebo placet; vel etiam in domibus, ut Victorio. *Solennia* ſunt quæ *ſolum in anno* fiunt, id eſt, ſemel ſingulis annis.

75. *Et cum luſtrabimus agros.* ) Sacrificium innuit dictum *Ambarvale*. De quo Georg. 1. 345.

79. *Cererique.* ) Ceres Saturni & Opis filia, mater Proſerpinæ, quam a Plutone raptam fertur laborioſiſſime toto orbe quæſiviſſe: frugum, & cultus terræ, magna ex parte repertrix.

80. *Damna-*



Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
*Mo.* Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis ſibilus Auſtri,
Nec percuſſa juvant fluctu tam litora, nec quæ
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.
*Me.* Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Hæc nos, Formoſum Corydon ardebat Alexim:
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?
*Mo.* At tu ſume pedum, quod, me cum ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes (& erat tum dignus amari)
Formoſum paribus nodis atque ære, Menalca.

*Tu quoque adiges eos ad vota ſolvenda.* Mo. *Qualia tibi, qualia munera reponam pro tali cantu? Neque enim ſuſurrus Auſtri ingruentis, nec ripæ undis verberatæ ſic me delectant, neque fluvii qui inter lapidoſas valles volvuntur.* Me. *Prius tibi dabo hanc tenuem fiſtulam: qua ego didici* canere: *Formoſum Corydon amabat Alexim; eademque didici, Cujum pecus? an Melibœi?* Mo. *Tu vero, Menalca, accipe pedum inſigne nodis æqualiter* diſtantibus, *& ære: quod Antigenes non obtinuit, licet a me ſæpe peteret; & tunc tamen merebatur amari.*

## N O T Æ.

80. *Damnabis tu quoque votis.* ) Qui vota ſuſcipit, poſtulat aliquid a Deo, eidemque aliquid promittit. Si Deus promiſſa annuat, tum vovens quaſi damnatur, & judicio tenetur promiſſa exſolvere. Unde Deus dicitur *damnare votis*, vel *voti*, cum poſtulata annuit, & ſic adigit voventem ad exſolvenda promiſſa. Livius, dec. 3. l. 7. *Deos, Deaſque precabantur, ut illis fauſtum iter felixque pugna eſſet, & damnarentur ipſi votorum, quæ pro iis ſuſcepiſſent.* Æn. 5. 237. eodem ſenſu dicitur, *voti reus*.

82. *Venientis ſibilus Auſtri.* ) Venientis, id eſt, naſcentis: tunc enim potius eſt aura, quam ventus. Sic Æn. 5. 344. *gratior & pulchro veniens in corpore virtus*: id eſt, *naſcens & creſcens*. De Auſtro, Eclog. 2. 58.

86. *Hæc nos, Formoſum, &c.* Hac eadem fiſtula cecinimus Eclogam 2. quæ incipit: *Formoſum paſtor Corydon, &c.* Item Eclogam 3. quæ incipit: *Dic mihi, Damœta: cujum pecus? an Melibœi?*

88. *Pedum.* ) Virgam paſtoralem incurvam: *formoſum ære*, quo ſuppactum eſt, & *nodis paribus*, id eſt, nodis qui æquali intervallo a ſe invicem diſtant.

---

# E C L O G A VI.

## *S I L E N U S.

### A R G U M E N T U M.

*SILENUS pueros Chromin & Mnaſilum docet primam rerum originem, juxta doctrinam Epicuri; additque varias fabulas. Per Silenum, Syronem Epicureum Philoſophum; per Chromin & Mnaſilum, Virgilium & Varum, Syronis ea in Philoſophia diſcipulos, intelligunt Interpretes. Certe Romæ tunc temporis vigebat hæc ſecta plurimum. Et Virgilium quidem oſtendit hæc Ecloga diſciplinæ huic aliquando adhæſiſſe. Nam conſequentibus annis videtur ad Pythagoram aut Platonem deflexiſſe, cujus Philoſophiam ſequitur, Æn.* 6. 724. Varum *aut illum, de quo hic ſermo, ab Epicuri diſciplina, etiam in moribus, non abhorruiſſe conjicio ex Ode Horatii* 18. *lib.* 1. *quæ ad eum ſcripta eſt, & plane Epicurum ſapit. De* Syrone *utriuſque præceptore habemus apud Ciceronem, & quod ipſius Ciceronis amicus fuerit,* Epiſt. famil. *l.* 6. 11. *& quod vir optimus, doctiſſimuſque Epicureus,* De finib. *l.* 2. 119. *Quo eodem ex opere facile colligitur, cum in Italia floruiſſe ultima Ciceronis ætate: qua ætate Virgilius, tum juvenis, operam ei dare potuit.*

*Ex hoc primo Eclogæ verſu,* Prima Syracoſio, &c. *ſunt qui probent, hanc inter cæteras ordine temporis primam eſſe, eamque a* Cicerone *fuiſſe auditam in theatro, cum a Cytheri-*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.
Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,
Craterasque duos ſtatuam tibi pinguis olivi:
Et multo imprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in umbra
Vina novum fundam calathis Arviſia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.
Hæc tibi ſemper erunt, & cum ſolennia vota
Reddemus Nymphis, & cum luſtrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi ſic vota quotannis

80 Agri-

*Utinam ſis commodus, & propitius tuis! ecce quatuor aras, ecce duas tibi, & duo altaria Phœbo erecta. Singulis annis offeram tibi duo vaſa recenti lacte undantia, & duo vaſa pinguis olei: Præſertimque lætificans epulas copioſo vino; ad ignem, ſi fuerit hyems; ſub umbraculis, ſi fuerit æſtas: effundam e calicibus vina Chia, quæ ſunt novum nectar. Damœtas, & Ægon Cretenſis mihi canent: Alpheſibœus exprimet choreas Satyrorum. Hæc in honorem tuum ſemper fient, & cum ſolvemus Nymphis vota annua, & cum circuibimus campos cum hoſtia. Quamdiu aper amabit culmina montium, quamdiu piſcis amnes, & quamdiu apes alentur thymo, quamdiu cicadæ rore: ſemper gloria, & nomen tuum, & laudes durabunt. Agreſtes ſingulis annis ſic tibi vota facient, quemadmodum Baccho & Cereri.*

Tu

## N O T Æ.

Coſt. Hi autem honores præcipue fuerunt: ut ædes ei in foro, ubi crematum ejus cadaver fuerat, conſtrueretur: ut ſimulacrum ejus ludis Circenſibus una cum ſimulacro Veneris circumferretur: ut, ſi qua victoria nunciaretur, ei ſeorſum quaſi victori ſacrificaretur: ut qui in ejus ædem confugiſſet, ab injuria tutus eſſet. Et ab eo tempore Octavianus ſe *Divi* filium appellavit.

65. *Felixque tuis.* ) *Felix* dicitur, tam is qui habet felicitatem, quam is qui facit alios felices. Æn. 1. 334.

68. *Craterasque* ) *Crater* Græca vox; κρατὴρ a κεράννυμι *miſceo*; illud autem a κέρας cornu: quod veteres cavis cornibus, aut effictis in figuram cornuum poculis biberent, in iiſque vinum aqua miſcerent.

69. *Baccho.* ) Vino, cujus inventor Bacchus a poetis dicitur; Jovis ex Semele filius διμήτωρ *bimater* dictus, quia ex utero matris fulminatæ translatus in Jovis femur, inde maturo partus tempore iterum prodiit. Orbem terrarum peragravit, Indos domuit, primus omnium triumphavit invectus elephanto: turba ſtipatus temulentarum & vociferantium fœminarum, quas ab eo *Bacchas* dixere. Supra v. 29.

71. *Arviſia nectar.* ) Ab Arviſio promontorio Chii inſulæ, in mari Ægæo, ubi vinum exquiſitiſſimum. *Nectar.* ) Potus Deorum, ut *ambroſia* cibus: ſæpe tamen promiſcue ſumuntur: utrumque in mortalitatem ſignificat. *Nectar* enim a νι privativa particula, & κτείνω *occido*; *ambroſia*, ab α privativo, & βροτὸς *mortalis*. Utrumque miniſtrarunt Diis Hebe, ſive Juventa, & Ganymedes. *Calathis.* ) Poculis ad ſpeciem calathorum formatis. Ecl. 2. 46 Et Martialis Apophor. 107. de calathis ait: *Nos Satyri, nos Bacchus amat*; unde patet calathum poculum quoque eſſe, non tantum caniſtrum.

72. *Damœtas, &c.* ) Ecl. 3. 1. *Ægon.* ) ab αἲξ *capra*: dictus *Lyctius*, a Lycto Cretæ inſulæ civitate.

73. *Alpheſibœus.* ) Ab ἀλφεῖν *invenio*, & βοῦς. Hoc loco nomen paſtoris proprium eſt: ſed apud Homerum Il. 18. 593. epithetum eſt puellarum, quæ propter formam reperiebant multos juvenes, a quibus boves accipiebant munerum loco; quia opes omnes illis temporibus in gregibus ſitæ erant. De *Satyris* Ecl. 6. in Arg.

74. *Et cum ſolennia vota.* ) Sacra Nymphis fieri ſolita; vel in agris, ut Turnebo placet; vel etiam in domibus, ut Victorio. *Solennia* ſunt quæ *ſolum in anno* fiunt, id eſt, ſemel ſingulis annis.

75. *Et cum luſtrabimus agros.* ) Sacrificium innuit dictum *Ambarvale*. De quo Georg. 1. 345.

79. *Cererique.* ) Ceres Saturni & Opis filia, mater Proſerpinæ, quam a Plutone raptam fertur laborioſiſſime toto orbe quæſiviſſe: frugum, & cultus terræ, magna ex parte repertrix.

80. *Damna-*



Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
*Mo.* Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis ſibilus Auſtri,
Nec percuſſa juvant fluctu tam litora, nec quæ
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.
*Me.* Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Hæc nos, Formoſum Corydon ardebat Alexim:
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?
*Mo.* At tu ſume pedum, quod, me cum ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes ( & erat tum dignus amari )
Formoſum paribus nodis atque ære, Menalca.

*Tu quoque adiges eos ad vota ſolvenda.* Mo. *Qualia tibi, qualia munera reponam pro tali cantu? Neque enim ſuſurrus Auſtri ingruentis, nec ripæ undis verberatæ ſic me delectant, neque fluvii qui inter lapidoſas valles volvuntur.* Me. *Prius tibi dabo hanc tenuem fiſtulam: qua ego didici* canere: *Formoſum Corydon amabat Alexim; eademque didici, Cujum pecus? an Melibœi?* Mo. *Tu vero, Menalca, accipe pedum inſigne nodis æqualiter* diſtantibus, *& ære: quod Antigenes non obtinuit, licet a me ſæpe peteret; & tunc tamen merebatur amari.*

## N O T Æ.

80. *Damnabis tu quoque votis.* ) Qui vota ſuſcipit, poſtulat aliquid a Deo, eidemque aliquid promittit. Si Deus promiſſa annuat, tum vovens quaſi damnatur, & judicio tenetur promiſſa exſolvere. Unde Deus dicitur *damnare votis*, vel *voti*, cum poſtulata annuit, & ſic adigit voventem ad exſolvenda promiſſa. Livius, dec. 3. l. 7. *Deos, Deaſque precabantur, ut illis fauſtum iter felixque pugna eſſet, & damnarentur ipſi votorum, quæ pro iis ſuſcepiſſent.* Æn. 5. 237. eodem ſenſu dicitur, *voti reus*.

82. *Venientis ſibilus Auſtri.* ) Venientis, id eſt, naſcentis: tunc enim potius eſt aura, quam ventus. Sic Æn. 5. 344. *gratior & pulchro veniens in corpore virtus*: id eſt, *naſcens & creſcens*. De Auſtro, Eclog. 2. 58.

86. *Hæc nos, Formoſum, &c.* Hac eadem fiſtula cecinimus Eclogam 2. quæ incipit: *Formoſum paſtor Corydon, &c.* Item Eclogam 3. quæ incipit: *Dic mihi, Damœta: cujum pecus? an Melibœi?*

88. *Pedum.* ) Virgam paſtoralem incurvam: *formoſum ære*, quo ſuppactum eſt, & *nodis paribus*, id eſt, nodis qui æquali intervallo a ſe invicem diſtant.

---

# E C L O G A VI.

## *S I L E N U S.

### A R G U M E N T U M.

*SILENUS pueros Chromin & Mnaſilum docet primam rerum originem, juxta doctrinam Epicuri; additque varias fabulas. Per Silenum, Syronem Epicureum Philoſophum; per Chromin & Mnaſilum, Virgilium & Varum, Syronis ea in Philoſophia diſcipulos, intelligunt Interpretes. Certe Romæ tunc temporis vigebat hæc ſecta plurimum. Et* Virgilium *quidem oſtendit hæc Ecloga diſciplinæ huic aliquando adhæſiſſe. Nam conſequentibus annis videtur ad Pythagoram aut Platonem deflexiſſe, cujus Philoſophiam ſequitur, Æn. 6. 724.* Varum *aut illum, de quo hic ſermo, ab Epicuri diſciplina, etiam in moribus, non abhorruiſſe conjicio ex Ode Horatii 18. lib. 1. quæ ad eum ſcripta eſt, & plane Epicurum ſapit. De* Syrone *utriuſque præceptore habemus apud Ciceronem, & quod ipſius Ciceronis amicus fuerit,* Epiſt. famil. *l. 6. 11. & quod vir optimus, doctiſſimuſque Epicureus,* De finib. *l. 2. 119. Quo eodem ex opere facile colligitur, cum in Italia floruiſſe ultima Ciceronis ætate: qua ætate Virgilius, tum juvenis, operam ei dare potuit.*

*Ex hoc primo Eclogæ verſu,* Prima Syracoſio, &c. *ſunt qui probent, hanc inter cæteras ordine temporis primam eſſe, eamque a* Cicerone *fuiſſe auditam in theatro, cum a Cytheri-*



de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*de ſive Lycoride mima cantaretur; unde ad ſuam & Virgilii laudem Cicero exclamavit:* Magnæ ſpes altera Romæ. *Sed hæc Donati ſomnia ſunt, qualia multa ſomniavit. Videtur quippe Poeta profiteri Ecl. 1. veniſſe ſe primo Romam, ut agros recuperaret ſuos: at Cicero annis ante Diviſionem agrorum ferme duobus obiit, nempe ſub initium Triumviralis proſcriptionis anno U. C. 711. cum agri diviſi non ſint niſi anno U. C. 713. ineunte. Immo probo ego ex iiſdem verſibus, hanc non eſſe primam:* Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu: *igitur non jam primum, ſed antea etiam luſerat; idque unum ſignificat, ſe primum omnium inter Latinos bucolicum ſcribendi genus e Græcia ſeu Sicilia tranſtuliſſe. Quo autem ordine ac tempore hæc ſcripta ſit, incertum eſt.*

## N O T Æ.

* *SILENUS.* ) Senex, Bacchi nutritius & pædagogus: ſemper aſino vehi, ſemper ebrius deſcribi ſolitus: cornuto capite, ſimis naribus: magnæ tamen ſolertiæ; unde dicitur multa ſapienter diſſeruiſſe regi Midæ: memoraturque rex Antigonus vertiſſe ſibi laudi, quod ab hoſtibus propter deformitatem quaſi Silenus rideretur, ut eſt apud Senec. De Ira l. 3. 22. Nomen a [illegible], *ſcommata jacere*, *cavillari*, ex Æliano, l. 3. Var. Hiſtor. c. 50. Sileni autem dicuntur omnes Satyri ſeniores ex Pauſania in Attic. Quamquam aliqui pingunt Silenum pedibus humanis, Satyros caprinis.

*Satyri* autem e Bacchi comitibus etiam fuerunt, ſalacitate inſignes. Plutarchus in Sylla refert, unum ex illo genere ad Syllam eſſe adductum. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, unum quoque a S. Antonio viſum eſſe teſtatur: itemque alium ab omni Alexandrino populo, Conſtantini temporibus. Alii tamen hos inter ſpectra aut naturæ monſtra referunt, totumque id genus revocant ad fabulas. Nomen deducit Ælianus a [illegible], quod eſt, *os habere in modum rictus canini conformatum*: Caſaubonus a Dorica voce [illegible], *jocari*: aliunde alii.

*Panes* his non abſimiles, quorum primus *Pan*, Mercurii filius; a πᾶν, *omne*: de quo multa Ecl. 2. 31.

*Fauni*, a *fando* dicti: quia ſilveſtribus in locis affari homines & alloqui putabantur: quod ajunt in prælio Romanos inter & Etruſcos de reſtituendis in regnum Tarquiniis accidiſſe: voce e ſilvis erumpente, quæ Romanos bono eſſe animo juberet.

*Silvanus* & *Silvani*, a *ſilvis* dicti Ecl. 10. 24.

Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu
Noſtra, nec erubuit ſilvas habitare Thalia.
Cum canerem reges & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: Paſtorem, Tityre, pingues
Paſcere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque ſuper tibi erunt qui dicere laudes,
Vare,

## I N T E R P R E T A T I O.

*Muſa mea, prima* omnium, *dignata eſt canere Sicula carmina: nec eam puduit incolere nemora. Cum canerem reges & bella, Apollo mihi vellicavit aurem, & me* ſic *admonuit: Tityre, decet paſtorem paſcere pingues oves, & componere tenues verſus. Ego nunc, o Vare, exercebo* ſeu-

## N O T Æ.

1. *Prima Syracoſio.* ) Primus e Latinis non ſum dedignatus ſcribere carmina bucolica ad imitationem Theocriti Syracuſani. *Syracoſio*: ut brevis eſſet ſyllaba tertia, quæ alioqui longa eſt in *Syracuſio*, Συρακοσίῳ. *Syracuſæ*, urbs Siciliæ tunc ampliſſima: urbes olim quatuor, ex Cicerone; quinque ex Strabone, ambitu ſuo complectens. Nunc *Saragoſa*.

2. *Thalia.* ) Una e novem Muſis, comœdiæ & ludicrorum præſes: a θάλλω, *vireſco*, *floreo*, *exhilaror*.

3. *Cum canerem reges.* ) Dicitur Virgilius res Albanas primo tractandas ſuſcepiſſe, ſed abjeciſſe deinde opus, & ad bucolica ſtudium convertiſſe. *Cynthius.* ) Et Cynthia, nomina Apollinis & Dianæ; quia nati ambo in inſula maris Ægæi *Delo*, ubi mons eſt *Cynthus*.

4. *Aurem vellit.* ) Proverbialiter dictum, pro admonuit; ſive quia, ut vult Eraſmus, in jus ituri vellicabant aurem illius, quem eſſe teſtem volebant: unde Horat. Sat. l. 1. 9. 76. *Licet anteſtari? Ego vero Oppono auriculam. Rapit in jus.* Vel quia, ut vult Servius, auris memoriæ conſecrata eſt; quemadmodum frons Genio, & digiti Minervæ. *Tityrum* hic ſe appellat Virgilius, ut Ecl. 1. 1.

5. *Deductum Carmen*, ) id eſt, tenue; a lana,



Vare, tuas cupiant, & triſtia condere bella)
Agreſtem tenui meditabor arundine Muſam.
Non injuſſa cano: ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis
Captus amore leget; te noſtræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla eſt,
Quam ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis & Mnaſilus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem,
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant:
Et

*fragili fiſtula ruſticam muſam: ſiquidem multi ſuppetent tibi, qui optabunt celebrare laudes tuas, & ſcribere funeſta bella. Canto ea, quæ a* Phœbo *juſſus ſum* cantare. *Si tamen aliquis, ſi aliquis hæc etiam legat, horum amore percitus; te noſtræ myricæ, te omnis ſilva reſonabit, o Vare: nullaque pagina magis placet Apollini, quam quæ ſibi præfixit Vari nomen. Pergite, o Muſæ. Chromis & Mnaſilus pueri viderunt Silenum in taverna proſtratum ſomno; venis tumentibus heſterno vino, ut mos eſt. Erant procul humi coronæ, tantum lapſæ e capite:*
*Et*

## N O T Æ.

na, quæ ad majorem tenuitatem nendo deducitur. Horat. Epiſt. l. 2. 1. 225. *Tenui deducta poemata filo.* Tibul. l. 1. 3. 86. *Deducat plena ſtamina longa colo.*

7. *Vare, &c.* ) De illo magna lis apud interpretes. Alii enim laudes illas attribuunt *P. Alpheno Varo*; alii *P. Quintilio Varo*; alii *Quintilio Cremonenſi*, quem item *Varum* vocant. Conſtat hos tres Virgilii æquales fuiſſe. Et *Alphenus* quidem *Varus*, Servii Sulpicii juriſconſulti diſcipulus, juriſconſultus ipſe fuit celebris: qui ex arte ſutoria, aut, ut volunt alii, tonſoria, ad conſulatum adrepſit, an. U. C. 755. Digeſtorum libros ſcripſit quadraginta. Laudatus a Gellio propter ſtudium antiquitatis, lib. 6. 5. Ab Horatio memoratur propter vafritiem, Sat. lib. 1. 3. Ab interpretibus Horatii, Cremonenſis dictus. Tamen huic non puto dicatam eſſe hanc Eclogam; tum quia nulla laude bellica, ſed una forenſi claruit: tum quia, cum ſutor dicatur fuiſſe, nec ad conſulatum niſi diu poſt obitum Virgilii pervenerit; non videtur ejus fortuna tum, cum Eclogæ ſcriberentur, ſatis Virgilii fortunæ præſtitiſſe, ut hic illi tam effuſis laudibus adularetur. *Quintilius* vero *Cremonenſis*, de quo ſic Euſebii Chron. ad annum primum Olymp. 189. qui reſpondet anno U. C. 730. *Quintilius Cremonenſis, Virgilii & Horatii familiaris, moritur*; idem ille eſt, quem Servius Virgilii cognatum appellat; & cujus in morte Horatius Virgilium conſolatur, Od. l. 1. 24. Sed huic a nemine, præterquam a Grammaticulis *Vari* cognomen tribuitur. Omnino igitur laudes iſtæ ad *P. Quintilium Varum* referendæ ſunt: qui magnis muneribus ſub Auguſti imperio perfunctus eſt. Conſul an. U. 741. Syriæ deinde præſes per annos octo. Denique miſſus in Germaniam cum tribus legionibus; quas ingenti clade amiſit, inſidiis ab Arminio circumventus, an. U. C. 762. tanto ſuo dolore, ut ſibi conſciverit mortem: tanto Auguſti luctu, ut caput illidens parieti exclamaret, *Vare, legiones redde.*

7. *Et triſtia bella.* ) Miror hic Nannium & alios, qui bella intelligunt Germanica, Varo tam funeſta: illa enim anno, poſt obitum Virgilii ſeptimo circiter & vigeſimo, geſta ſunt. Bella igitur ſignificantur alia, quibus Varus per triumvirales tumultus interfuerat: *triſtia*, non illi, ſed ejus hoſtibus, & patriæ generatim.

9. *Si quis tamen &c.* ) Quamquam Apollo me deterruerit a tuis factis heroico verſu deſcribendis: ſi quis tamen hæc legat bucolica, is nomen tuum noſtris in ſilvis, ſeu bucolicis, undique ſparſum reperiet: quod quidem ideo undique ſparſi, quia ſcio, ſcripta Phœbo placere magis nulla, quam quæ nomen tuum præferunt. Et vero etiam nona Ecloga mentionem Vari crebram facit. De *Myricis*, Ecl. 4. 2. De *Pieridibus*, Ecl. 3. 85.

13. *Chromis & Mnaſilus.* ) Juniores Satyri. *Chromis* a χρόμος, *hinnitus*, *audacia*.

*Mnaſilus* ) a μνάω, *meminiſſe facio*: & σίλλος, *ſcomma*.

15. *Iaccho.* ) Bacchi nomen, ab ἰαχή, *clamor*: ob vociferantes in ejus comitatu ebrias mulieres.

16. *Serta procul tantum, &c.* ) Sic explicat Turnebus hanc vocem, *tantum*: ſerta procul jacebant, tantum delapſa e capite, non rupta, non calcata. Sic Cerdanus: Jacebat, dormiebat, vinum inhalabat, omnes habebat ebrietatis notas; hæc una tantum nota deerat, quod ſerta non gereret in capite. Hic enim erat ebriorum mos. *Capiam coronam mihi in caput, aſſimilabo me eſſe ebrium*, Plaut. in Amphit. 3. 4. 16. *Capiti.* ) pro capite. Sic G. 1. 267. *Nunc torrete igni fruges.*

17. *Can-*

Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.
Aggreſſi ( nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambo
Luſerat ) injiciunt ipſis ex vincula ſertis.
Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Ægle,
Ægle Naiadum pulcherrima; jamque videnti
Sanguineis frontem moris & tempora pingit.
Ille dolum ridens: Quo vincula nectitis? inquit:
Solvite me, pueri: ſatis eſt potuiſſe videri.
Carmina, quæ vultis, cognoſcite: carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit: ſimul incipit ipſe.
Tum vero in numerum Faunoſque feraſque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnaſſia rupes,
Nec tantum Rhodope mirantur & Iſmarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta

Semi-

*Et grande poculum ſuſpenſum erat per anſam attritam. Hunc invadentes, injiciunt vincula* confecta *ex ipſis coronis: ſæpe enim* ille *ſenex utrumque deceperat ſpe verſuum. Ægle adjungit ſe ſociam, & accedit pavidis: Ægle formoſiſſima Najadum. Et* ipſi, *jam oculos aperienti, linit frontem, & tempora moris rubris. Ille ridens fraudem: Cur, ait, implicatis* mihi *vincula? expedite me* ex iis, *o pueri: ſufficit quod potuerim deprehendi* a vobis. *Audite verſus quos petitis: vobis verſus; huic Ægle aliud præmium erit: ſimul ipſe incipit. Tunc vero aſpiceres Faunos & feras ſaltare ad cantum, tunc duras quercus cacuminibus nutare. Nec mons Parnaſſus adeo lætatur Apolline, nec* Rhodope *& Iſmarus adeo mirantur Orpheum. Cantabat enim quomodo*

*ſemina*

## N O T Æ.

17. *Cantharus.*) Vas vinarium, in formam Scarabæi, qui κάνθαρος dicitur. Baccho ſacer eſt: unde notatus ſuperbia C. Marius, quod poſt victoriam Cimbricam cantharis potare Liberi patris exemplo auſus fuerit, ex Plin. l. 33. 11.

18. *Ambo.*) *Ambos* Latina forma; *ambo* Græca, ἄμφω. Sic *duos* & *duo*, δύο. Ecl. 5. 68. *Crateraſque duos ſtatuam.* Æn. 11. 285. *Si duo præterea tales Idæa tuliſſet Terra viros.*

21. *Ægle Naiadum pulcherrima.*) Ab αἴγλη, *ſplendor.* Nymphæ nomen, Neæræ & Solis filiæ. De *Naiadibus* Ecl. 2. 46. Dicuntur *Na-i-ades*, quadriſyllaba voce, ut hic; vel *Naiades*, aut *Naides*, triſyllaba voce, ut Ecl. 10. 10. *Naiades indigno cum Gallus amore periret.*

22. *Sanguineis frontem moris.*) *Morum*, fructus arboris *mori*: Ital. *Moro frutto noto.* Vocat *ſanguinea*, quod candida cum eſſent prius, e ſanguine Pyrami & Thysbes ruborem induerint. Ovid. Met. 4. 54.

24. *Satis eſt potuiſſe videri.*) Supple, ad impetrandum quod vultis: *quia*, inquit Servius, *ſemidei, cum volunt tantum, videntur*: atque adeo, ſi videri volunt, ſignum eſt eos velle videntibus poſtulata concedere. Vel ſenſus eſt: Solvite me, ſatis enim ludi eſt, quod is viſus ſim vobis, qui ligari poſſem.

27. *In numerum Ludere.*) Saltare ita, ut motuum ratio & menſura cantuum rationi & menſuræ reſpondeat. De Faunis, in notis ad argumentum hujus Eclog.

29. *Parnaſſia rupes.*) Mons in Phocide, Cithæroni & Heliconi vicinus; gemino vertice: quorum alter *Niſa* vocatur, Baccho ſacer; alter *Cirrha*, Phœbo Muſiſque dicatus.

30. *Rhodope.*) Mons Thraciæ, nivibus ſemper horrens, ad Euxinum mare protenſus, ex quo Hebrus profluit. *Iſmarus.*) Plur. *Iſmara*: mons alter, in maritima regione Thraciæ, non procul ab oſtiis Hebri. Hæc loca peragravit Orpheus vates, de quo G. 4. 454. De *Orpheo*, ib.

31. *Namque canebat uti &c.*) Origo Mundi, juxta opinionem Epicuri Philoſophi Athenienſis, ex Oppido Gargetto: qui natus anno ante Chriſtum circiter 341. regnante in Macedonia Philippo, Alexandri patre, ex calculo ſenex obiit. Cujus Philoſophiam de rerum natura verſibus perſecutus eſt Lucretius. Statuebat igitur duo rerum principia, *plenum* & *inane*: quia quicquid eſt, vel continetur, & eſt *plenum*; vel continet, & eſt *inane*. *Inane* vocabat, ſpatium uſquequaque diffuſum, carens corporibus; *plenum* appellabat, atomos, ſive minuta corpuſcula, toto inani volitantia, quæ hic a Virgilio *ſemina* vocantur: quorum ex fortuito concurſu coaluerint illa quatuor, quæ dicimus elementa, ignis, aqua, terra, & aer. Aerem hic *animam* vocat, poſt Lucretium l. 6. 577. *Ventus ubi, atque animæ ſubito vis maxima quædam.* Quia *animabilis & ſpirabilis eſt*, ex Cicer. de Deor. Nat. l. 2. 91. Ex his porro elementis, inter ſe ordinatis ac temperatis, cœlum, ſol, animalia, cæteraque deinde formata ſunt.

35. So-



Semina terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paullatim ſumere formas.
Jamque novum ut terræ ſtupeant luceſcere ſolem,
Altius atque cadant ſubmotis nubibus imbres:
Incipiant ſilvæ cum primum ſurgere, cumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucaſeaſque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent: ut litus, Hyla, Hyla, omne ſonaret.
Et fortunatam, ſi nunquam armenta fuiſſent,
Paſiphaen nivei ſolatur amore juvenci.

Ah,

*ſemina terrarum, & aeris, & maris, & ſimul puri ignis, congregata fuerint in immenſo vacuo: ut ex his primis omnia principia, & ipſa moles recentis mundi coaluerit. Deinde quomodo terra cœperit ſolidari, & aquas diſpellere a ſe in mare, & accipere ſenſim ſpecies rerum. Poſtea quomodo terra miraretur ſolem recentem emicare,* & quomodo *pluviæ deciderent e nimbis alte remotis* a terra: *cum nemora tunc inciperent creſcere, & cum animalia* adhuc *rara vagarentur per montes* nondum *cognitos. Deinde narrat ſaxa projecta a Pyrrha, tempora Saturni, & aves Caucaſi, & ignem ſubreptum a Prometheo. Addit his* rebus, *quem ad fontem Argonautæ alte vocaſſent Hylan amiſſum: quomodo ripa omnis referret: Hyla, Hyla. Et ob amorem tauri condolet Paſiphae, felici, ſi nunquam tauri fuiſſent.*

*Ah,*

## N O T Æ.

35. *Solum.*) Primo dicitur de planta pedis. Sic Lucr. l. 1. 924. *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo.* Hinc *ſolea* dicta, quæ partem illam pedis obtegit. Hinc & *ſolum* pro terra vulgo ſumitur, ex Varr. l. 4. de L. L. quia *ſolo*, id eſt, planta pedis teritur. Neque pro terra tantum, ſed pro unaquaque re, quæ alteri ſupponitur, eamque ſuſtentat. Pro mari, Æn. 5. 198. *Vaſtis tremit ictibus ærea puppis, ſubtrahiturque ſolum.* Pro cœlo etiam. Ovid. Met. 1. 73. *Aſtra tenent cæleſte ſolum.* Frequentius tamen pro terra, tam in ſingulari, quam in plurali numero. G. 1. 80. *Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola.*

*Diſcludere Nerea ponto.*) *Pontus* hic uſurpatur, non pro aquis, ſed pro loco, ſive cavitatibus terrarum, in quibus aquę ſegregatæ ſunt. *Nereides* vero ſumitur pro aquis ipſis. Is juxta Orpheum, Deorum antiquiſſimus eſt: juxta alios, Oceani & Tethyos filius. Idem ex Doride, ſorore & uxore ſua, maximam Nympharum marinarum turbam ſuſcepit, quæ *Nereides* dictæ. *Nerea*, accuſativus Græcus.

41. *Lapides Pyrrhæ &c.*) Pyrrha Deucalionis uxor fuit, quo apud Theſſalos regnante, contigit diluvium: ex quo ſervati duntaxat hi duo, & navicula delati in Parnaſſum, qui montium omnium unus aquis ſubmerſus non fuerat. Ibi Themidis oraculum conſuluerunt de reparatione generis humani: acceptoque reſponſo, ut magnæ matris oſſa poſt tergum projicerent, lectos e terra omniparente lapides projecere: quorum qui ſunt a Deucalione projecti, in mares; qui a Pyrrha, in fœminas continuo mutati ſunt. Ov. Met. 1. 318. De *Saturni regno*, Ecl. 4. 6.

42. *Caucaſeaſque, &c.*) Prometheus, Japeti filius ex Aſia conjuge, Deucalionis pater: cum ignem e cœlo furatus eſſet, admota ſolis currui face e ferulis confecta, eoque igne, vel hominem a ſe e luto formatum animaſſet; vel, ut narrant alii, plurimas artes ad uſum hominum reperiſſet, a Mercurio juſſu Jovis in Caucaſi ſcopulo ligatus eſt: vulture, aut aquila jecori ejus aſſidue pertundendo adhibita. *Caucaſus*, Aſiæ mons notiſſimus, inter mare Euxinum & Caſpium.

43. *Hylan nautæ quo fonte, &c.*) Hylas puer, deliciæ Herculis, ejuſque comes in Argonautica expeditione. Is cum e navi deſcendiſſet ad aquationem, in ripam fontis incumbens urnæ pondere demerſus eſt: a Nymphis, ut fabulantur, raptus; ab Hercule & Argonautis diu fruſtra inclamatus. Unde in ejus memoriam ſolemnes eo in loco inſtitutæ ſunt inclamationes, & curſitationes populi, ex Solino c. 42.

*Quo fonte.*) Quis enim fuerit ambigitur. Solinus *Hylam* fontem & lacum aſſignat, qui Pruſiadem Bithyniæ urbem alluit. Alii Aſcanium ejuſdem regionis fluvium, &c.

44. *Hyla, Hyla, omne.*) Græci vocalem longam ante aliam vocalem raro elidunt, & ſæpe corripiunt. Ita hoc loco Virgilius.

46. *Paſiphaen.*) Filia Solis fuit: nomen a

patre

Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implerunt falſis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt
Concubitus, quamvis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe in levi quæſiſſet cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras!
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas:
Aut aliquam in magno ſequitur grege. Claudite, Nymphæ,
Dictææ Nymphæ, nemorum jam claudite ſaltus:
Si qua forte ferant oculis ſeſe obvia noſtris
Errabunda bovis veſtigia. Forſitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta ſecutum,
Perducant aliquæ ſtabula ad Gortynia vaccæ.

Tum

*Ah, mulier miſera, quæ inſania te occupavit? Filiæ Prœti repleverunt campos falſis mugitibus: nulla tamen* earum *quæſivit tam infames amplexus pecudum; licet metueret ſuo collo jugum aratri, & ſæpe exploraret cornua in fronte poſita. Ah, mulier miſera, tu jam vagaris per montes! taurus* vero *reclinans candidum latus in teneris hyacinthis, ſub umbroſa ilice reguſtat herbas pallidas, vel conſectatur aliquam* vaccam *in numeroſo armento. O Nymphæ, Cretenſes Nymphæ! claudite jam, claudite ſaltus ſilvarum:* ut videamus, *an fortaſſe alicubi vaga veſtigia tauri ſe noſtris oculis offerant obviam. Forſitan aliquæ vaccæ allicient illum ad ſtabula Gortynia, aut ſectantem greges, aut cupidum viridis herbæ.*

Deinde

## N O T Æ.

patre deductum, qui *πᾶσιν* *omnibus lucet*: uxor Minois regis Cretæ: quæ tauri amore capta, & Dædali artificis ope vaccæ ligneæ incluſa, Minotaurum e tauro peperit, ſemihominem & ſemibovem. Reliqua Æn. 6. 26. *Virginem* vocat, etſi jam Phædræ, Ariadnes, & Androgei matrem: Plauti, Terentii, & Euripidis exemplo; qui ſic appellant corruptam etiam quamlibet fœminam, modo junior ſit.

48. *Prœtides.*) Filiæ Prœti regis Argivorum, & Antiæ, vel SthenobϾ. Hæ cum ſe Junoni forma æquipararent, ab illa in eam rabiem actæ ſunt, ut vaccas ſe putarent: poſtea ſanatæ ſunt a Melampo. *Falſos* mugitus vocat, quia re ipſa non erant vaccæ, ſed vano errore deceptæ ſæpe frontem tentabant, explorabantque num cornutæ eſſent.

54. *Ruminat.*) *Rumen* eſt pars eminens gutturis, cujus in cavitatem demiſſi cibi, a quibuſdam animalibus revocantur, & regustantur; quod *ruminare* dictum eſt.

*Pallentes herbas.*) Quia calore ſtomachi viriditatem amiſerunt, cum remanduntur. De *hyacinthis*, Ecl. 3. 63. De *Ilice*, Ecl. 1. 18.

55. *Claudite, Nymphæ, &c.*) Verba ſunt, vel Paſiphaes, quam Silenus loquentem inducit ad Nymphas: vel ipſius Sileni Paſiphaen ſolantis, & Nymphas precantis, ut ei in inveniendo tauro operam ferant.

56. *Claudite.*) Retibus, ſive indagine; quomodo feræ clauduntur in venatione, ne aufugiant.

*Saltus.*) A ſaliendo: pars eſt ſilvarum, vel in qua ſpiſſæ arbores exſiliunt & adſurgunt altius, ut Iſidoro placet; vel potius, ut Varroni, pars vacua & expedita ab arboribus, ubi pecudes libere paſcant & exſiliant. Ita G. 3. 143. *Saltibus in vacuis paſcant.* *Dictææ.*) a Dicte, qui mons eſt in Creta celebris, cujus in antro apes Jovem infantem aluere. G. 4. 152.

58. *Forſitan illum, &c.*) Fortaſſe, niſi clauditis ſilvas, effugiet *ſtabula ad Gortynia.* *Gortyna*, vel *Cortyna*, oppidum Cretæ mediterraneum, lætioribus pabulis inſigne, ubi propterea Solis armenta fuerunt.

61. *Heſperidum miratam mala puellam.*) Atalanta eſt, filia Schœnei regis in Scyro, maris Ægæi inſula, quæ cum procis curſu contendebat ea lege, ut victori nuberet, victum occideret. Victa tandem eſt ab Hippomene, Martis, vel Neptuni nepote: dum aureis malis, quæ ab illo projecta inter currendum fuerant, colligendis occuparetur. Mala Hippomeni dederat Venus, ex horto Heſperidum. *Heſperides* fuere tres, Ægle, Arethuſa, & Heſperthuſa: filiæ Heſperi, qui frater Atlantis fuit. Hæ ad Lixum, Mauritaniæ oppidum, hortos incolebant aureis arboribus pretioſos, & a pervigili dracone cuſtoditos: quem Hercules occidit, fructuſque deprædatus eſt.

62. *Phaetontiadas.*) Sorores Phaetontis filiæ Solis, a quo dictæ quoque ſunt *Heliades*, Phaetuſa, Lampetie, & Lampetuſa: quæ nimio luctu ob fratrem dejectum e curru Solis in Eridanum, mutatæ ſunt, vel in alnos, ut hic narrat Virgilius; vel in populos,

ut



Tum canit Heſperidum miratam mala puellam:
Tum Phaetontiadas muſco circumdat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permeſſi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una ſororum;
Utque viro Phœbi chorus adſurrexerit omnis:
Ut Linus hæc illi divino carmine paſtor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Muſæ,
Aſcræo quos ante ſeni: quibus ille ſolebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus jactet Apollo.
Quid loquar? aut Scyllam Niſi, quam fama ſecuta eſt,

Can-

*Deinde cantat virginem admiratam poma Heſperidum. Deinde cingit ſorores Phaetontis muſco corticis amaræ, & attollit e terra excelſas alnos. Deinde cantat quemadmodum una e Muſis deduxerit in colles Bœotiæ* Cornelium *Gallum, deambulantem circa fluenta Permeſſi, & quemadmodum totus chorus Apollinis adſurrexerit* huic *viro. Quemadmodum Linus paſtor, coronatus floribus & acri apio, hæc illi dixerit divinis verſibus: En ſume, Muſæ dant tibi hanc fiſtulam, quam prius* dederant *Aſcræo ſeni; qua ille canendo ſolebat evocare duras ornos e montibus: hæc fiſtula celebretur a te origo Grynææ ſilvæ; ut nulla ſit ſilva, qua magis Apollo glorietur. Quid dicam,* ut memoraverit, *aut Scyllam Niſi* filiam, *quam rumor tulit,*

cin-

## N O T Æ.

ut Æn. 10. 190. Ovidius vero M. 2. 365. ait ex earum ramis electrum, ſive ſuccinum, in Eridanum lacrymarum inſtar ſtillare. *Muſcus*, eſt quicquid extimo arborum cortici quaſi lanuginoſum & villoſum adhæret. *Cortex* maſculini & fœminini generis.

64. *Permeſſi ad flumina Gallum.*) *Permeſſus*, fluvius Bœotiæ, ex Helicone profluens. *Gallum.*) De eo, Ecl. 10. in Argumento.

65. *Aonas in montes.*) Heliconem & Cithæronem, montes Bœotiæ; quæ primo Aonia dicta eſt, ab Aone Neptuni filio, qui montanis ejus regionis gentibus imperavit: deinde Bœotia, a bove, cujus ductu Cadmus pervenit ad eum locum, ubi Thebas condidit. Ovid. Metam. 3. 14. Hinc Muſæ *Aonides* appellatæ, quia ſacer eſt ipſis Helicon.

66. *Phœbi chorus.*) Muſæ novem, vel poetæ. *Adſurrexerit.*) Surrexerit e ſedibus, honoris cauſa. *Linus*, Apollinis & Terpſichores filius, Ecl. 4. 56.

68. *Apio.*) *Apium*, Ital. *Appio forte d'erba*: herba coronaria, qua & ſepulcra ſpargi ſolebant ex Suida; & victores Iſthmicis Nemeæiſque ludis, itemque epulantes, coronari, ex Horatio Od. l. 2. 7. 23. *Quis udo deproperare apio coronas, curatve Myrto? Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Ergo ad luctus & delicias idonea.

70. *Aſcræo quos ante ſeni.*) Heſiodo, cujus patria *Aſcra*, vicus Bœotiæ, in dextro Heliconis latere ſitus: qui ut ipſe de ſe fabulatur initio Theogoniæ, cum agnos in Helicone paſceret, accepit a Muſis non calamos quidem, ſed lauri virentis ramum. Strabo Cumam Æolicam illi patriam aſſignat, unde cum Dio patre commigravit Aſcram. Hunc alii Homero antiquiorem, alii æqualem, nonnulli juniorem putant. Lis adhuc pendet.

71. *Ornos.*) *Ornus* Fraxinus ſilveſtris & montana: Ital. *orno*.

72. *Grynæi nemoris.*) *Grynium*, juxta Strabonem, oppidum fuit Æolidis: ubi templum Apollinis candido e lapide, & lucus eidem ſacer fuit: locus oraculis inſignis. *Gallus* autem, de quo fuſe dicemus Ecl. 10. fertur reddidiſſe Latinis verſibus quædam ex Euphorione Poeta Chalcidenſi: Suidas vero, inter illius Euphorionis opera, memorat *Mopſopia*, ſive *Confuſa*: in quibus varias hiſtorias, imprimiſque multa de oraculis, narrabat. Quo in opere probabile eſt originem Grynæi oraculi fuiſſe deſcriptam, eamque partem a Gallo Latine redditam eſſe.

74. *Quid loquar? aut Scyllam, &c.*) Duplex vulgo *Scylla* diſtinguitur: altera *Niſi* Megarenſium regis filia, quæ patrem, exſecto fatali ejus capillo, prodidit hoſti Minoi, cujus amore flagrabat: & in avem Cirim eſt converſa. *Ciris* quibuſdam eſt Ital. *Garza forte d'uccello*; quibuſdam, Ital. *Tromlone forte d'uccello*; quibuſdam, Ital. *Lodola*. Altera *Phorci* filia, quæ cum amaretur a Glauco, per Circes invidiam mutata eſt inferiori parte corporis in caninos rictus, fonte

 quo

Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto,
Ah! timidos nautas canibus laceraſſe marinis?
Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?
Quo curſu deſerta petiverit, & quibus ante
Infelix ſua tecta ſupervolitaverit alis?
Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, juſſitque ediſcere lauros,
Ille canit: pulſæ referunt ad ſidera valles.
Cogere donec oves ſtabulis, numerumque referre
Juſſit, & invito proceſſit Veſper Olympo.

*cinctam latrantibus monſtris circa alba crura, diſturbaſſe naves Ulyſſeas, & in profundo mari laniaſſe, heu! nautas pavidos canibus marinis? Aut ut memoraverit corpus Terei converſum* in upupam; *quos cibos, quæ munera Philomela illi præparaverit: qua celeritate abierit in deſerta; & quibus pennis miſer volaverit ſuper domum* prius *ſuam. Silenus cantat omnes fabulas, quas felix Eurotas olim audiit, Phœbo canente, & juſſit ut lauri diſcerent: valles repercuſſæ referunt cantus ad cœlum, quouſque Heſperus apparuit, cœlo invito, & cogit* paſtores *colligere oves in ſtabulis, & recenſere numerum* earum.

N O T Æ.

quo lavari ſolebat, veneficiis infecto: cujus deformitatis horrore Siculum in fretum ſe præcipitem dedit, ibique in ſcopulum eſt converſa; non longe a celebri voragine, cui *Charybdis* nomen eſt: de qua Æn. 3. 420. Hoc loco valida tempeſtate jactatæ ſunt naves Ulyſſis, regis Ithacæ & Dulichii, inſularum in Jonio mari. Igitur plerique Virgilium accuſant, quod utramque fabulam confuderit, tribueritque *Scyllæ Niſi*, quæ ad *Scyllam Phorci* pertinent. Iidemque non male verſum emendant ex fide MSS. leguntque: *Quid loquar, an Scyllam Niſi, aut quam fama, &c.* Vel: *Quid loquar, aut Scyllam Niſi, aut, &c.* Cerdanus tamen vulgarem lectionem tuetur exemplo Ovidii, Amorum l. 3. 12. 21. qui *Scyllæ Niſi* canes quoque attribuit: *Per nos, Scylla, patri canos furata capillos, Pube premit rabidos inguinibuſque canes.* Item Propert. l. 4. 4. v. 37. *Quid mirum in patrios Scyllam ſæviſſe capillos, Candidaque in ſævos inguina verſa canes?*

78. *Terei, &c.*) Philomela & Progne filiæ fuerunt Pandionis, Athenienſium regis. Tereus rex Thraciæ Prognem uxorem duxit, ex eaque ſuſcepit Itym filium. Poſtea Philomelæ ſtuprum intulit, eique linguam abſcidit, ne ſcelus evulgaret: quo tamen in tela deſcripto, utraque ſoror Itym jugulavit, & Tereo dedit epulandum: prolato deinde ſub finem epularum capite pueri, cum Tereus ſtricto enſe in ultionem raperetur, ipſe in upupam avem mutatus eſt, Ital. *bubbola uccel.* Philomela in luſciniam, Ital. *Roſignuolo*; Progne in hirundinem, Ital. *rondine*; Itys in phaſianum, Ital. *fagiano*.

82. *Omnia quæ, &c.*) Quas omnes fabulas audiit Eurotas fluvius ab Apolline; cum Apollo ejus in ripis verſaretur, ob amorem Hyacinthi, Laconis pueri.

83. *Eurotas.*) Laconiæ fluvius nobilis, ortus in Arcadia, lauris frequentibus inumbratus. Nunc *Baſilipotamo*.

86. *Invito proceſſit Veſper Olympo.*) *Veſper*, ſive *Venus* e ſeptem planetis unus, Solem fere comitatur. Et mane quidem dicitur *Lucifer*; Græce ἑωσφόρος, qua etiam voce Latine uſus eſt Martialis Epig. l. 8. 22. 1. *Phoſphore redde diem.* Dicitur & *Eous*, id eſt, matutinus, Georg. 1. 288. *Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.* Sero cum apparet, vocatur *Veſper*, *Heſperus*, apud Plautum *Veſperugo*. Hinc unico equo vehi putabant, ut Solem quadrigis, & Lunam bigis: ſed equo mane albo, ſero fuſco: unde, quia ex equo in equum deſiliebat, equos ei dicebant *deſultorios*, ex Iſidoro & Caſſiodoro. Stellam hanc alii Venerem ipſam dixere, alii Auroræ filium, alii fratrem aut filium Atlantis, Heſperum nomine: qui cum altiſſimum conſcendiſſet montem, ut inde ſidera melius contemplaretur, in cœlum raptus creditur, & in Stellam mutatus.

*Invito Olympo.*) Quia cantus ſuavitate quaſi captus ægre ferebat noctem cum Veſpero procedere, quæ cantum abrumperet. De *Olympo*, Ecl. 5. 56.

ECLO-



# ECLOGA VII.

## *MELIBOEUS,

## ARGUMENTUM.

*NARRAT Melibœus paſtor contentionem amœbeam, ſive alternam, Thyrſidis & Corydonis; ſe coram & Daphnide judicibus, qui Corydoni palmam addicunt. In Corydone poſſumus agnoſcere Cornelium Gallum, aut Aſinium Pollionem, utrumque poeſeos laude florentem: in Thyrſide poetam aliquem ex eorum æmulis: in Daphnide, communem eorum amicum, apud quem illi contenderent: in Melibœo, Virgilium, qui dum amicos conſulit, de recuperandis agris & pecoribus ſollicitus, aſſumitur ab iis in judicem, jubeturque de re ſua ſecurus eſſe. Certe ſub his paſtoribus non infimæ ſortis homines latere vel ex eo poteſt conjici, quod aureas marmoreaſque Diis voveant ſtatuas. Virgilium vero nihil prohibet hic* Melibœum *vocari, qui non unam in Eclogis perſonam, ſed multiplicem induit.* Tityrum *enim ſe, in prima Ecloga;* Corydonem, *in ſecunda;* Menalcam, *in nona nuncupat. De ſcriptionis tempore nihil certum. Affinis eſt Idyllio Theocriti Octavo.*

N O T Æ.

* *MELIBOEUS.*) A cura boum dictus: μέλει *curæ eſt*, βοῦς *bos*. *Corydon* a κορυδὸς, *alauda*, Ital. *Allodoletta*. *Daphnis* a δάφνη *laurea*. *Thyrſis*, a θύρσος, haſta pāpinis veſtita in Bacchi ſacris.

MELIBOEUS, CORYDON, THYRSIS.

MEL. Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon & Thyrſis in unum:
Thyrſis oves, Corydon diſtentas lacte capellas.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo:
Et cantare pares, & reſpondere parati.
Hic mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipſe caper deerraverat: atque ego Daphnim

Aſpi-

INTERPRETATIO.

MEL. *Forte Daphnis recubuerat ſub ilice ſuſurrante, & Corydon, atque Thyrſis conjunxerant ſimul greges; Thyrſis oves, Corydon capellas tumentes lacte. Uterque in flore ætatis, uterque ex Arcadia; & pares cantu, & parati ad certandum. Circa hunc locum aberraverat a me hircus ipſe dux gregis, dum munio teneras myrtos contra frigus. Ego vero ſtatim Daphnim video.*

N O T Æ.

1. *Ilice.*) Arbore glandifera, Ital. *Leccio albero*. Eclog. 1. 18. *Arguta*, ſeu ſtridula; vel ob avium in ea ſedentium concentus; vel ob ventorum inter folia ſuſurrum.

4. *Arcades.*) Vel ex Arcadia oriundi, vel Arcadibus arte canendi ſimiles. Scena enim hujus Eclogæ, non in Arcadia, ſed in Gallia Ciſalpina ſtatuitur, ad Mincii ripas, non procul a Mantua. De *Arcadibus*, Ecl. 4. 58. *Myrtis*, Ecl. 2. 54.

7. *Vir gregis ipſe.*) Caper pro hirco dictus; & *vir* per translationem: nam *vir* proprie hominum eſt. Sic G. 3. 125. de tauro: *Quem legere ducem, & pecori dixere maritum.* Horat. Od. l. 2. 17. 7. de capellis & hirco: *Olentis uxores mariti.* Auctor hujus licentiæ

 Theo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aſpicio: ille ubi me contra videt: Ocyus, inquit,
Huc ades, o Melibœe; caper tibi ſalvus & hædi;
Et, ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub umbra.
Huc ipſi potum venient per prata juvenci:
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque ſacra reſonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulſos a lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrſide, magnum.
Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo.
Alternis igitur contendere verſibus ambo
Cœpere: alternos Muſæ meminiſſe volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrſis.

C. Nym-

*video. Daphnis ubi me videt e regione, dixit: Veni huc cito, o Melibœe: hircus & hædi tui ſunt in tuto: & ſi potes aliquantulum morari, quieſce ſub hac umbra. Juvenci tui venient ipſi huc per prata ad potandum: hic Mincius virens tegit ripas tenera arundine, & apes ſuſurrant e quercu ſacra. Quid egiſſem? Namque non habebam Alcippen, nec Phyllida, quæ domi ſepararet* a matribus *agnos abductos ab ubere.* Præterea *magna erat contentio Corydonis cum Thyrſide. Attamen poſtpoſui mea negotia cantui illorum. Itaque cœpit uterque certare verſibus alternis: Muſæ enim volebant per vices ut cantarent. Hos Corydon, illos Thyrſis dicebat,* ſua quiſque *vice.*

C. *Nym-*

## N O T Æ.

Theocritus, Idyl. 8. 49. Ὦ τράγε τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ: *O hirce albarum caprarum vir.*

13. *Mincius.*) Fluvius Galliæ Ciſalpinæ leniſſime fluens, *Menzo*: e Benaco lacu emiſſus, Mantuam alluens, indeque influens in Padum.

*Eque ſacra, &c. quercu.*) Sacra apud Græcos, qui eam dicabant Jovi, & ſingulis addicebant Dryadas & Hamadryadas: quæ cum illis viverent & occiderent: ab ἅμα *ſimul*, & δρῦς *quercus*. Apud Romanos item, qui Nymphas ſive *Viras querquetulanas* colebant, præſides illius querceti, quod Romæ intra portam fuit, appellatam ideo *querquetulanam*: ex Feſto. Apud Gallos etiam, quorum ſacerdotes Druidæ, inde quoque appellati, ſacra nulla faciebant ſine querneo viſco, Ital. *Viſco di quercia*: ex Plinio l. 16. 44.

*Examina.*) Apum coloniæ, ad novas ſedes quærendas emiſſæ: dictæ ſic, vel ab *exeundo*, quia ab alvearibus exeunt; vel melius, ut probat Voſſius in Etym. quaſi ἐξάμμα *ſimul ligata*. *Apes* enim dictæ ſunt ab antiquo verbo, *apo*: hoc autem deductum ab ἅπτω *ligo*: quia ſæpe apes colligatæ in cumulum videntur. G. 4. 257. *Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.* Et adhuc Latine aptum dicitur, quicquid ligatum & conjunctum eſt. G. 3. 168. *Ipſis e torquibus aptos junge pares, &c.*

14. *Alcippen, nec Phyllida, &c.*) Famularum Melibœi nomina. *Alcippe*, ab ἀλκὴ *ſubſidium*, & ἵππος *equus*; quaſi, curans equos. *Phyllis*, a φύλλον *folium*.

16. *Et certamen erat Corydon, &c.*) Antiptoſin hic Ramus agnoſcit, caſum pro caſu, *Corydon*, pro *Corydoni*. Erat Corydoni magnum certamen cum Thyrſide. Alii *certamen* accipiunt, quaſi *certator*: qua figura dicitur Æn. 5. 339. *Nunc tertia palma Diores*: id eſt, *tertius victor*. De *Muſis*. Ecl. 3. 60.

21. *Nymphæ, &c. Libethrides.*) Primum hoc amœbæum continet vota pro poeſi; petitque Corydon a Muſis, ut ſibi dent vim condendi carmina, qualem Codro conceſſerant: alioquin ſe artem depoſiturum. *Nymphæ*) Muſæ. *Libethrides.*) Præſides Libethrii fontis: quem Solinus, c. 8. in Magneſia locat, vocatque *præſidium poetarum*; ceteri in Bœotia, ad Heliconem, auctore Pauſania in Bœot. qui addit, ſigna ibidem eſſe Nympharum, & Muſarum.

22. *Codro.*) Codrus Poeta fuit Virgilii temporum æqualis: ut probat Servius ex elegiis Valgii, quæ perierunt.

24. *Hic arguta ſacra, &c.*) Mos fuit emeritorum aliqua in arte, ut artis inſtrumenta Diis ejus præſidibus ſuſpenderent. Sic Vejanius gladiator apud Hor. Ep. 1. 1. 4. *Vejanius armis Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro.* *Sacra pinu.*) Sacra magnæ Deorum matri Cybele, propter amicum Atyn in pinum commutatum.

25. *Paſtores hedera.*) Hedera, non tantum lauro, coronantur Poetæ. Vel quia, ſicut lauri, ſic hederæ ſemper virent: ideoque carminibus portendunt æternitatem. Vel quia Poetæ Baccho etiam ſacri ſunt, propter fu-

rorem



C. Nymphæ, noſter amor, Libethrides: aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite: (proxima Phœbi
Verſibus ille facit:) aut, ſi non poſſumus omnes,
Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.
T. Paſtores, hedera creſcentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro.
Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
C. Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo ſtabis ſuras evincta cothurno.
T. Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis

Expe-

*C. Nymphæ Bœotiæ, noſtræ deliciæ: vel inſpirate mihi carmina, qualia* inſpiratis *meo Codro: ille componit proxima carminibus Apollinis: vel, ſi non omnes poſſumus* id aſſequi, *hoc loco canora mea tibia ſuſpendetur e ſacra pinu.* T. *Paſtores Arcadiæ, coronate hedera me poetam creſcentem, ut Codro rumpantur viſcera* præ *invidia: aut ſi laudaverit me ultra quam volo, coronate mihi frontem baccare; ne lingua maligna faſcinet poetam creſcentem.* C. *O Diana, puer Mycon* offert *tibi hoc caput piloſi apri, & arborea cornua cervi longævi. Si hoc ſit* mihi *ſtabile, ſtatueris integra e polito marmore, ligata calceamento purpureo* circa *tibias.* T. *O Priape, ſatis eſt te ſingulis annis expectare* a me *vas lactis, & has placentas:*

tu

## N O T Æ.

rorem, quo interdum Bacchantium inſtar corripiuntur. Unde e duobus Parnaſſi jugis, alterum dictum *Cirrha*, ſacrum eſt Apollini; alterum dictum *Niſa*, ſacrum Baccho.

27. *Laudarit, baccare frontem, &c.*) Erat in laude immodica ſpecies quædam faſcinationis: quia *Nemeſis* Dea, ſcelerum ultrix, & bonorum remuneratrix, inde iram concipere putabatur; & ab eo, qui ſic laudatus fuerat, pœnas repetere. Ait & Plinius l. 7. 2. *eſſe in Africa familias quaſdam effaſcinantium, quorum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes.* Ad avertendum igitur faſcinum, vel baccaris corona quaſi amuleto utebantur: vel laudi præmittebant voculam, *præfiſcini*, ſive *præfiſcine*, hoc eſt, *ſine faſcino*: ut innuerent ſe laudare ſincere, non animo faſcinandi. Ita Plaut. Aſin. 2. 4. 84. *Præfiſcine hoc nunc dixerim: nemo etiam me accuſavit merito meo: neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam, cui credi recte æque putent.* Senſus igitur Eclogæ eſt: Coronate me, aut lauro, ut invidia rumpatur Codrus; aut baccare, ne me faſcinet maligna, id eſt, immodica laudatione. De *baccare*, Eclog. 4. 19. De *faſcino*, Eclog. 3. 103.

29. *Setoſi caput hoc apri, &c.*) Secundum amœbæum habet vota pro venatione, reque ruſtica. Ac primo Corydon offert Dianæ, per Myconem amicum, caput apri, & cervi cornua; vel arbori, vel fani valvis, aut parietibus affigenda; tum ſtatuam integram promittit e marmore. Thyrſis primo jocoſe agit cum Priapo ludicro numine: mox ei, vincendi ſtudio & inani jactantia, marmoream, aureamque ſtatuam vovet. De *Delia*, Eclog. 3. 67. De *Mycone*, Eclog. 3. 10.

31. *Si proprium hoc fuerit.*) Si hoc mihi proprium, & quaſi meum ac perpetuum addicas. Sic enim Æn. 1. 76. *Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.* Et Æn. 3. 85. *Da propriam Thymbræe domum.* Item Æn. 6. 871. *propria hæc ſi dona fuiſſent.* Quid autem eſt illud, *hoc*? Ut talia carmina faciam, qualia Codrus, inquit Servius. Male: quid enim Diana, aper, & cornua ad poeſim? Melius: ut quod in apri hujus & cervi venatione mihi contigit, hoc mihi ſit proprium; nempe feliciter venari.

32. *Puniceo.* Hujus quoque ſive rubri coloris marmor eſt, *porphyrites*: in Ægypto frequens ex Plin. l. 36. 7. *Suras.*) Sura pars eſt tibiæ maxime carnoſa & mollis, quæ ſolis ineſt hominibus. *Cothurno.*) Cothurnus eſt calceamenti genus utrique aptum pedi, & utrique ſexui. Non multum differre videtur ab ocreis, ſi quidem alte ſuras includit. Æn. 1. 341. *Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.* Fuit in uſu, tam in venatione, ut hinc patet, quam in theatro, quo primum a Sophocle inductus eſt. Sed tragicus a venatorio in eo differt, quod tragicus ſpiſſiori ſubere ſuppactus eſſet, ad augendam dicentis ſtaturam; ut innuit Juvenal. Sat. 6. 504. *Breviorque videtur virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis.*

33. *Sinum lactis.*) *Sinum, ſini*, vas eſt a *ſinu* dictum, *quod majorem cavationem, quam pocula habeat*, inquit Varro. Sed cum prima ſyllaba in *ſino* ſit longa, in *ſinu* brevis: videtur Voſſio deducendum a δινέω, *verſo, cir-*

*cum-*

Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.
C. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, hedera formoſior alba:
Cum primum paſti repetent præſepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
T. Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco, projecta vilior alga;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno eſt.
Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.
C. Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solſtitium pecori defendite: jam venit æſtas
Tor-

*tu es cuſtos horti pauperis. Nunc te poſuimus e marmore, juxta præſentem* facultatem. *Sed ſi fœtus reparaverint gregem, tu eris ex auro.* C. *Galatea, Nerei filia, gratior mihi quam thymus Hyblæ, candidior quam cycni, pulchrior quam alba hedera: ſtatim atque ſaturati tauri redibunt in ſtabula: accede, ſi habes aliquam curam tui Corydonis.* T. *Ego vero appaream tibi aſperior quam herba Sardonica, ſpinoſior quam ruſcus, abjectior quam alga* ad litus *ejecta: ſi hæc dies non mihi jam videtur prolixior, quam annus integer. Abite in ſtabulum, o boves jam ſaturati: abite, ſi vobis eſt aliquis pudor.* C. *Fontes muſcoſi, & gramen dulce ad ſomnum, & virens arbutus, quæ vos inumbrat raris foliis, protegite pecus contra calorem ſolſtitialem: æſtas nunc imminet* cali-

NOTÆ.

*cumago:* quia in eo butyrum verſando conficiebatur. *Liba.*) *Libum*, placentæ genus, ex farina, melle, & oleo: ſic dictum, quia pars ejus in ignem ſacrificiorum injecta Diis libabatur: *Libare* autem pro ſacrificare ſæpe ſumitur, etſi proprie de liquidis tantum debeat dici, quæ paullatim effunduntur: λείβω enim eſt *ſtillo*. *Priape.*) Priapus Veneris & Bacchi filius, Lampſaci, quæ urbs eſt ad Helleſpontum, natus & imprimis cultus: cuſtos hortorum, quorum in limine ſtatuam ei rudem & quaſi informem ponebant.

36. *Si fœturæ gregem ſuppleverit.*) Si damnum, quo grex meus affectus eſt, fœtus novi reparaverint. *Fœtura* enim ſunt agni novi. *Supplere*, eſt, quod deeſt ſufficere: talia ſunt in exercitu *ſupplementa*, novi milites.

37. *Nerine Galatea.*) Tertium amœbæum continet amicæ deſideria. Corydon invitat eam tribus molliſſimis blanditiis, ut ſub noctem ad ſe veniat. Thyrſis tria imprecatur ſibi, quo teſtetur diem ſibi anno eſſe longiorem; & juvencos incuſat ſuos, quaſi diutius paſcendo producerent diem, & noctem removerent. *Nerine*, id eſt, Nerei filia & Doridis. Nympha fuit a Polyphemo amata, qui cum Acim, Siculum paſtorem, Fauni filium, ſibi ab ea præferri intelligeret, eum rupe impacta interfecit. Galatea mortuum paſtorem miſerata, mutavit in fluvium cognominem, qui in Ætna monte ortus in mare Siculum defertur. Corydon Galateam ſuam ruſticulam, *Nerinem Galateam* hic vocat; quaſi Nymphæ illi forma ſupparem.

*Thymo mihi dulcior, &c.*) Dulcior odore, non guſtu. *Hybla* mons in Sicilia, thymo abundans, atque apibus.

41. *Sardois herbis.*) Sic dictis, quia naſcuntur in Sardinia inſula, & mandentium ora ſic contrahunt, ut ii quaſi ridentes earum veneno emoriantur. Unde proverbium: *Sardonicus riſus*. *Ruſcus*, Virgultum acutis foliis & pungentibus, Ital. *Agrifoglio ſorte d'erbe*. *Alga*, herba vilis, foliis lactucæ ſimilis, in mari naſcens, unde ad litus ejectatur.

45. *Muſcoſi fontes.*) Quartum amœbæum continet commendationem agrorum & tectorum: agrorum quidem a fontibus, gramine, & umbra; tectorum autem, a foco & igne. De *muſco*, Eclog. 6. 62.

*Somno mollior.*) Mollis & commoda ad ſomnum. Sic dixit Propert. l. 3. 15. 29. *Et durum Zetum, & lacrymis Amphiona mollem*, id eſt, mollem ad lacrymas.

47. *Solſtitium pecori defendite.*) *Solſtitium* duplex eſt, unum æſtivum, in 1. gradu Cancri, de quo hic agitur; tunc æſtas eſt ſumma, dieſque nobis longiſſimus: brumale alterum, in 1. gradu Capricorni; & tunc hyems ſumma dieſque breviſſimus. Solſtitia dicta non quod ibi Sol ſtet immotus, ſed quod ulterius non progrediatur, & iter ſuum incipiat relegere: unde quia eundo & redeundo his eidem viæ videtur inſiſtere, ideo nobis quaſi immotus apparet. *Solſtitium* tamen, & *ſolſtitia*, præter Columellam veteres omnes de æſtivo tantum intelligunt, ut hic



Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.
T. Hic focus, & tædæ pingues: hic plurimus ignis
Semper, & aſſidua poſtes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
C. Stant & juniperi, & caſtaneæ hirſutæ:
Strata jacent paſſim ſua quæque ſub arbore poma.
Omnia nunc rident: at ſi formoſus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina ſicca.
T. Aret ager, vitio moriens ſitit aeris herba:
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu noſtræ nemus omne virebit:
Jupiter & læto deſcendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
For-

*calidiſſima, nunc gemmæ tument in fœcundo palmite.* T. *Hic ſemper eſt focus, & tædæ pingues, & multus ignis, & limina perpetuo fumo nigrantia: hic non magis timemus frigus Boreæ, quam lupus* timet *multitudinem* ovium, *aut fluvii rapidi* timent *ripas*. C. *Hic ſunt juniperi, & caſtaneæ hirſutæ: Jacent hinc inde ſub arbore ſui quique fructus: nunc omnia pulchra ſunt: ſed ſi pulcher Alexis diſcedat ex his collibus, videbis fluvios ipſos arentes.* T. *Campi areſcunt, gramina pereunt exuſta cœli æſtu nimio. Bacchus abſtulit montibus pampinos umbriferos: ſed omnis ſilva revireſcet ad adventum noſtræ Phyllidis, & multus aer ſolvetur in pluviam fertilem.* C. *Populus acceptiſſima eſt Herculi, vinea Baccho,* myr-

NOTÆ.

hic Virgilius; hyemale vero *brumam* vocant. Ita Cerdanus in G. 1. 100. Dicitur porro, Defendere aliquem ab aliqua re, ſupra v. 6. *teneras defendo a frigore myrtos*; & defendere aliquam rem alicui, ut hic, & apud Horat. Od. l. 1. 17. 3. *Igneam defendit æſtatem capellis.*

48. *In palmite gemmæ.*) Palmes proprie de vitibus dicitur, id quod in arboribus *ſurculus*: nempe lignum illud, quod ex ipſa ſtirpe quotannis emergit, gemmaſque producit; quæ deinde abeunt in virgulas: virgulæ autem veluti palmæ digitos exhibent. *Gemmæ*. Nodi ſunt palmitum, qui corticem rumpunt, & in pampinos aut racemos evadunt. Dicuntur quoque *oculi*, ob figuram.

49. *Hic focus & tædæ.*) *Focus* locus eſt continens & *fovens* ignem. *Tædæ* ligna quælibet, materies ignis. Proprie tamen *tæda* arbor eſt, a *picea* non admodum diverſa, ignem facile concipiens propter pinguedinem: in ſacrificiis pro face adhiberi ſolita: unde ſæpe apud poetas *tædæ* pro facibus.

51. *Boreæ.*) Ventus eſt flans a ſeptentrione, frigidus & ſiccus: a βοάω *clamo*, & ῥέω *decurro*; quia flat cum ſonitu. Vocatur & *Aquilo*, a vehementiori flatu & volatu: quaſi *Aquila*, inquit Feſtus. Strymonis Macedoniæ fluvii filius, Orithyiam Erechthei Athenarum regis filiam rapuit, ex qua ſuſcepit Calaim & Zetem, quibus deinde ex patria origine alæ ſuccreverunt.

53. *Stant & juniperi.*) Quinto amœbæo deſcribuntur effectus varii præſentiæ & abſentiæ amici & amicæ. *Stant hirſutæ*, nempe nucibus, quæ cum hirſutis echinis incluſæ ſint, arborem ipſam, ſi multæ ſint, amœna quadam hirſutie ſpectabilem reddunt. Ita Æn. 6. 300. *ſtant lumina flamma*. *Juniperus.*) Arbor foliis, ſpinarum in modum, anguſtis & acutis: baccis parvis rotundis, & odoratis, Ital. *Giuniperi*. De *caſtaneis*, Ecl. 1. 82. Verſus gravitate inſignis, propter ſpondæum quinti pedis, & hiatum geminum ſyllabæ longæ, abſque ſynalœpha, more Græco.

54. *Sua quæque ſub arbore poma.*) Multiplex eſt interpretatio. I. *Quæque poma jacent, ſua ſub arbore*. At tum *ſua* vel contrahitur unam in ſyllabam, ut in *ſuavis*, *aureus*; vel *ſa*, non *ſua* dictum eſt, more veterum, qui *ſas*, *ſa*, *ſum* dixere: imprimis Ennius, cujus in fragmentis exſtat: *Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit*. II. *Quaque ſub arbore, ſua jacent poma*. At tum legitur *quaque* non *quæque*, ut ad arborem referatur: ſed ſine veterum librorum auctoritate. III. Abſque his tricis, quidni dicas: *Sub arboribus jacent ſua quæque poma*.

58. *Liber.*) Bacchus, de quo Ecl. 5. 30. ſic dictus; vel quia Bœotiam, in qua natus erat, liberam fecit, ut ait Plutarch. Vel quia vinum liberat animum curis, aut loquendi libertatem inducit.

60. *Jupiter & læto, &c.*) Jovem veteres aerem dixere: eundemque Veſtæ, ſive Terræ conjugem, quam imbre fœcundat. G. 2. 325.

61. *Populus Alcidæ.*) Sextum & ultimum amœbæum laudes proſequitur amici & amicæ,

Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
T. Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis?
Sæpius at ſi me, Lycida formoſe, reviſas,
Fraxinus in ſilvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Hæc memini, & victum fruſtra contendere Thyrſin.
Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

*myrtus pulchræ Veneri, Apollini ſua laurus. Phyllis amat corylos: quamdiu Phillis amabit illas, nec myrtus, nec laurus Apollinis ſuperabit corylos. T. Fraxinus formoſiſſima eſt in nemoribus, pinus in hortis, populus in fluminibus, abies in montibus excelſis: ſed ſi me ſæpe inviſes, o pulcher Lycida, fraxinus in nemoribus, pinus in hortis, cedet tibi. M. Recordor illorum carminum, & quod Thyrſis ſuperatus fruſtra pugnaverit. Ab illo tempore Corydon, habetur a nobis vere Corydon.*

## N O T Æ.

cæ, eaſque laudes a variis arboribus petit. *Populus*, Ital. *Pioppo*, ſacra Herculi, quia is populo coronatus adiit inferos: unde pars ea foliorum, quæ capiti appreſſa erat, ex capitis ſudore palluit; quæ pars ad auras obverſa erat, loci fuligine nigram quamdam viriditatem contraxit. De *populo*, G. 2. 13. De *Alcide*, Æn. 5. 414. *Vitis*.) Baccho ſacra, quia vini inventor apud profanos auctores habetur. De *Iaccho*, Bacchi nomine, Eclog. 6. 15.

62. *Myrtus*.) Veneri ſacra, vel propter odoris delicias, vel quia frequens in litore maris, cujus e ſpuma Venus orta fingitur, Ecl. 2. 54. *Laurea*.) Sacra Phœbo, propter Daphnen in laurum mutatam. Sumitur ſæpius pro corona e lauro: hic tamen pro ipſa arbore: ut & apud Hor. Od. l. 2. 15. 9. *Tum ſpiſſa ramis laurea*. De *lauro*, Ecl. 2. 54. De *corylis*, Ecl. 1. 14.

65. *Fraxinus*, &c.) Ital. *Fraſſino*. *Abies*, Ital. *Abete, ſorte di legni*, &c.

69. *Et victum fruſtra*, &c.) Victoria penes Corydonem. Quia Corydon in primo amœbæo orditur a pietate in Deos: Thyrſis a rabie, quia inimicum inceſſit. In ſecundo Corydon invocat Dianam caſtum numen: Thyrſis Priapum, obſcœnum Deum. In tertio Corydon blandiſſima vota facit: Thyrſis dira imprecatur ſibi. In reliquis Corydon læta, Thyrſis triſtia ut plurimum canit.

70. *Ex illo*, &c.) I. Servius vult hic ſenſum abruptum eſſe, ex decoro paſtoralis ruſticitatis: & ſic ſupplet: Ex illo tempore Corydon eſt nobis; habetur a nobis, victor nobilis ſupra omnes. Sed hoc durum. II. Nannius unus omnium legit, non quidem *nobis*, ſed *noblis*, ſeu *nobilis* per contractionem: ſed hoc durius & abſque auctoritate. III. Simplicius: ex illo tempore Corydon habetur a nobis vere Corydon; id eſt, vere dignus ea fama, qua floret apud omnes.

ECLOGA



# E C L O G A VIII.

# * P H A R M A C E U T R I A.

## A R G U M E N T U M.

*DUÆ ſunt hujus Eclogæ partes. Prima e tertio, ſecunda e ſecundo Theocriti Idyllio fere deprompta. In prima juvenis, Niſæ puellæ procus, Mopſum rivalem ſibi prælatum dolet. In ſecunda venefica Daphnim, a ſe averſum, incantationibus magicis ad ſe, ſuumque amorem pellicit. Primam canit Damon, ſecundam Alpheſibœus: neuter in ſua; ſed hic in veneficæ, ille in proci perſona. Utrumque paſtorem inducit Virgilius. Tum opus dicat Aſinio Pollioni; non, ut multi putant, Octaviano Cæſari; quemadmodum notæ docebunt.*

*Scripta eſt anno U. C. 715. Virgilii 31. L. Marcio Cenſorino, & C. Calviſio Sabino Coſſ. cum Pollio, ſubactis Parthinis, & perluſtratis oræ Illyricæ populis, per Venetiam & Timavi fluvii oſtia, Romam ad triumphum rediret.*

## N O T Æ.

* *PHARMACEUTRIA.*) Id eſt *venefica*: φαρμακεὺς, *veneficus*, & φαρμακεύτρια, *venefica*. φάρμακον enim ambigua vox eſt: & modo remedium, modo venenum ſignificat: unde Titulus autem ad ſecundam tantum Eclogæ partem attinet, quæ canitur ab Alpheſibœo.

## D A M O N, A L P H E S I B O E U S.

PAſtorum Muſam, Damonis & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata juvenca
Certantes, quorum ſtupefactæ carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus:
Damonis Muſam dicemus & Alpheſibœi.
Tu mihi, ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi,

Sive

## I N T E R P R E T A T I O.

*Narrabimus carmen paſtorum, Damonis & Alpheſibœi, quos canentes admiratæ ſunt vaccæ oblitæ pabuli: quorum ad cantum obſtupuere lynces, & fluvii turbati cohibuerunt ſuos curſus. Tu mihi fave, o Pollio! ſive jam tranſcendis rupes Timavi,*

*ſive*

## N O T Æ.

*DAMON.*) Eclog. 3. 17. *ALPHESIBOEUS*. Ecl. 3. 73.

3. *Lynces*.) *Lynx*, animal acutiſſimi viſus e luporum cervariorum genere, maculoſa & varia pelle.

4. *Requierunt*, &c.) Vel neutrum eſt, hoc ſenſu: Flumina mutata ſecundum ſuos curſus, id eſt, mutato curſu deflectentia ab alveo, ut ad paſtores currerent; quieverunt & ſteterunt, poſtquam ad eos pervenere. Vel activum eſt hoc ſenſu: flumina ſteterunt curſum; *mutata*, id eſt, *turbata*: undis quæ affluebant, in eas quæ jam ſteterant, incurrentibus. Sic Propert. l. 2. 18. 25. *Alcmenæ geminas requieverat Arctos*. Et Seneca in Hercule Oetæo 1586. *Quam tuas laudes populi quieſcant*.

6. *Tu mihi, ſeu*, &c.) Pollionem hic appellat, non Octavianum: bellum enim Illyricum & Dalmaticum ab Octaviano Cæſare non geſtum eſt, niſi poſt devictum occiſumque Sextum Pompeium. Pollionis autem expeditio in Parthinos, Illyrici populos, omnino in hoc ipſum tempus cadit: ut conſtat ex faſtis Capitol. & animadverſionibus Joſ. Scaligeri ad Euſeb. Errat tamen in eo Scaliger, quod per *ſaxa Timavi*, res intelli-

G telli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
T. Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis?
Sæpius at ſi me, Lycida formoſe, reviſas,
Fraxinus in ſilvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Hæc memini, & victum fruſtra contendere Thyrſin.
Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

*myrtus pulchræ Veneri, Apollini ſua laurus. Phyllis amat corylos: quamdiu Phillis amabit illas, nec myrtus, nec laurus Apollinis ſuperabit corylos. T. Fraxinus formoſiſſima eſt in nemoribus, pinus in hortis, populus in fluminibus, abies in montibus excelſis: ſed ſi me ſæpe inviſeſ, o pulcher Lycida, fraxinus in nemoribus, pinus in hortis, cedet tibi. M. Recordor illorum carminum, & quod Thyrſis ſuperatus fruſtra pugnaverit. Ab illo tempore Corydon, habetur a nobis vere Corydon.*

N O T Æ.

cæ, eaſque laudes a variis arboribus petit. *Populus*, Ital. *Pioppo*, ſacra Herculi, quia is populo coronatus adiit inferos: unde pars ea foliorum, quæ capiti appreſſa erat, ex capitis ſudore palluit; quæ pars ad auras obverſa erat, loci fuligine nigram quamdam viriditatem contraxit. De *populo*, G. 2. 13. De *Alcide*, Æn. 5. 414. *Vitis*.) Baccho ſacra, quia vini inventor apud profanos auctores habetur. De *Iaccho*, Bacchi nomine, Eclog. 6. 15.

62. *Myrtus*.) Veneri ſacra, vel propter odoris delicias, vel quia frequens in litore maris, cujus e ſpuma Venus orta fingitur, Ecl. 2. 54. *Laurea*.) Sacra Phœbo, propter Daphnen in laurum mutatam. Sumitur ſæpius pro corona e lauro: hic tamen pro ipſa arbore: ut & apud Hor. Od. l. 2. 15. 9. *Tum ſpiſſa ramis laurea*. De *lauro*, Ecl. 2. 54. De *corylis*, Ecl. 1. 14.

65. *Fraxinus*, &c.) Ital. *Fraſſino*. *Abies*, Ital. *Abete, ſorte di legni*, &c.

69. *Et victum fruſtra*, &c.) Victoria penes Corydonem. Quia Corydon in primo amœbæo orditur a pietate in Deos: Thyrſis a rabie, quia inimicum inceſſit. In ſecundo Corydon invocat Dianam caſtum numen: Thyrſis Priapum, obſcœnum Deum. In tertio Corydon blandiſſima vota facit: Thyrſis dira imprecatur ſibi. In reliquis Corydon læta, Thyrſis triſtia ut plurimum canit.

70. *Ex illo*, &c.) I. Servius vult hic ſenſum abruptum eſſe, ex decoro paſtoralis ruſticitatis: & ſic ſupplet: Ex illo tempore Corydon eſt nobis; habetur a nobis, victor nobilis ſupra omnes. Sed hoc durum. II. Nannius unus omnium legit, non quidem *nobis*, ſed *noblis*, ſeu *nobilis* per contractionem: ſed hoc durius & abſque auctoritate. III. Simplicius: ex illo tempore Corydon habetur a nobis vere Corydon; id eſt, vere dignus ea fama, qua floret apud omnes.





# E C L O G A VIII.

## * P H A R M A C E U T R I A.

### A R G U M E N T U M.

*DUÆ ſunt hujus Eclogæ partes. Prima e tertio, ſecunda e ſecundo Theocriti Idyllio fere deprompta. In prima juvenis, Niſæ puellæ procus, Mopſum rivalem ſibi prælatum dolet. In ſecunda venefica Daphnim, a ſe averſum, incantationibus magicis ad ſe, ſuumque amorem pellicit. Primam canit Damon, ſecundam Alpheſibœus: neuter in ſua; ſed hic in veneficæ, ille in proci perſona. Utrumque paſtorem inducit Virgilius. Tum opus dicat Aſinio Pollioni; non, ut multi putant, Octaviano Cæſari; quemadmodum notæ docebunt.*

*Scripta eſt anno U. C. 715. Virgilii 31. L. Marcio Cenſorino, & C. Calviſio Sabino Coſſ. cum Pollio, ſubactis Parthinis, & perluſtratis oræ Illyricæ populis, per Venetiam & Timavi fluvii oſtia, Romam ad triumphum rediret.*

N O T Æ.

* *PHARMACEUTRIA*.) Id eſt *venefica*: φαρμακεὺς, *veneficus*, & φαρμακεύτρια, *venefica*. φάρμακον enim ambigua vox eſt: & modo remedium, modo venenum ſignificat: unde Titulus autem ad ſecundam tantum Eclogæ partem attinet, quæ canitur ab Alpheſibœo.

D A M O N, A L P H E S I B O E U S.

PAſtorum Muſam, Damonis & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata juvenca
Certantes, quorum ſtupefactæ carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus:
Damonis Muſam dicemus & Alpheſibœi.
Tu mihi, ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi,

Sive

I N T E R P R E T A T I O.

*Narrabimus carmen paſtorum, Damonis & Alpheſibœi, quos canentes admiratæ ſunt vaccæ oblitæ pabuli: quorum ad cantum obſtupuere lynces, & fluvii turbati cohibuerunt ſuos curſus.* Tu mihi fave, o Pollio! *ſive jam tranſcendis rupes Timavi,*

*ſive*

N O T Æ.

*DAMON*.) Eclog. 3. 17. *ALPHESIBOEUS*. Ecl. 3. 73.

3. *Lynces*.) *Lynx*, animal acutiſſimi viſus e luporum cervariorum genere, maculoſa & varia pelle.

4. *Requierunt*, &c.) Vel neutrum eſt, hoc ſenſu: Flumina mutata ſecundum ſuos curſus, id eſt, mutato curſu deflectentia ab alveo, ut ad paſtores currerent; quieverunt & ſteterunt, poſtquam ad eos pervenere. Vel activum eſt hoc ſenſu: flumina ſteterunt curſum; *mutata*, id eſt, *turbata*: undis quæ affluebant, in eas quæ jam ſteterant, incurrentibus. Sic Propert. l. 2. 28. 25. *Alcmenæ geminas requieverat Arctos*. Et Seneca in Hercule Oetæo 1586. *Quam tuas laudes populi quieſcant*.

6. *Tu mihi, ſeu*, &c.) Pollionem hic appellat, non Octavianum: bellum enim Illyricum & Dalmaticum ab Octaviano Cæſare non geſtum eſt, niſi poſt devictum occiſumque Sextum Pompeium. Pollionis autem expeditio in Parthinos, Illyrici populos, omnino in hoc ipſum tempus cadit: ut conſtat ex faſtis Capitol. & animadverſionibus Joſ. Scaligeri ad Euſeb. Errat tamen in eo Scaliger, quod per *ſaxa Timavi*, res in-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sive oram Illyrici legis æquoris: en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi deſinet: accipe juſſis
Carmina cœpta tuis, atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis deceſſerat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt:
Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.
*D.* Naſcere, præque diem veniens age, Lucifer, almum:
Con-

*ſive veheris circum litus maris Illyrici. Nunquamne aderit illud tempus, quo permittetur mihi narrare tua geſta? Nonne aderit* illud tempus, *cum potero laudare per totum orbem tuas tragœdias; quæ ſolæ digna ſunt cothurno Sophoclis? A te incœpi; in te finiam: accipe verſus inchoatos ex mandato tuo: & permitte* ut *hæc hedera repat circum caput tuum, inter lauros triumphales. Vix frigidæ tenebræ noctis abierant ex aere, cum ros in molli gramine jucundiſſimus eſt pecudibus.* Tunc *Damon innitens oleæ teretì, ſic orſus eſt.* D. *Orere, Lucifer, & prævius adveho lucem:*
dum

## N O T Æ.

telligat ab eodem Pollione geſtas circa Altinum, urbem in Venetia: quibus de rebus ita Velleius l. 2. poſtquam Lucii Antonii Peruſinam deditionem deſcripſit. *Pollio Aſinius cum ſeptem legionibus, diu retenta in poteſtate Antonii Venetia, magnis ſpecioſiſque rebus circa Altinum aliaſque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium & propriæ claſſis factum ducem, conſiliis ſuis illectum ac fide data, junxit Antonio.* Unde manifeſtum eſt res illas a Pollione, contra Octavianum, & pro M. Antonio Lucii fratre, geſtas eſſe: neque Virgilius adeo expers fuit bonæ mentis, ut in ipſis Octaviani oculis Pollionem laudaret ob ea ipſa, quæ adverſus ipſum præclare geſſerat. Igitur melius hæc intelligo de reditu Pollionis e Dalmatia Romam: non recto quidem itinere, ſed oram Illyricam, & ipſa Venetiæ litora luſtrando.

6. *Timavi, &c.*) *Timavus*, Fluvius Carnorum, qui populi ſunt in Foro-julienſi ditione, *nel Friuli, Provincia del Veneziano.* Latiſſimus, ſed breviſſimus ejus decurſus: quippe novem fontibus e monte erumpens, ad fanum Diomedis, nunc *S. Giovanni*, non longo poſt ſpatio in mare Hadriaticum devolvitur. Ad ejus oſtia inſulæ parvæ quædam ſunt, inſignes calidis fontibus, qui maris æſtu increſcunt. Has forte inſulas vocat hic Poeta, *ſaxa Timavi.*

7. *Illyrici.*) *Illyricum*, regio ampliſſima, in longitudinem obverſa Italiæ, a qua per mare Hadriaticum dividitur: univerſim hodie dicta *Eſclavonie.* Vulgo duas in partes apud veteres diviſa, *Liburniam*, quæ ad occaſum; & *Dalmatiam*, quæ ad ortum eſt. *En erit.* Ecl. 1. 68.

10. *Sophocleo, &c.*) Scripſit quidem Auguſtus tragœdiam *Ajacem*; ſed poſterioribus, ut veriſimile eſt, pacatiſque temporibus. Adde quod in lucem non edidit; ac ne perfecit quidem, ſed delevit: unde dicere ſolitus erat, Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe, ut eſt apud Svetonium. At ex Horatio Od. l. 2. 1 conſtat Pollionem, triumphi ſui tempore, tragœdiarum ſcriptorem fuiſſe nobilem. *Paullum ſeveræ Muſa tragœdiæ deſit theatris, &c.* Per *cothurnum*, altiorem calceum, tragœdia ipſa intelligitur: ut per *ſoccum*, calceum humilem, comœdia, verſuſque humiles. Horat. de Art. Poet. 90. *Indignatur item privatis, ac prope ſocco Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.* *Sophocles* Athenienſis, tragicæ poeſeos princeps, exhibuit fabulas 123., in quibus ter & vicies victoriam retulit; quarum poſtrema cum ei præter ſpem contigiſſet, repentino gaudio expiravit. Cothurnum primus induxit in Theatrum. De *Cothurno*, Eclog. 7. 32.

11. *A te principium; tibi deſinet, &c.*) Videri poteſt hoc ad Auguſtum ſpectare: cujus in honorem primam Eclogam, & ultimum opus *Æneida* conſcripſit. Melius tamen ad Pollionem, cujus gratia recuperavit agros, indeque ſcribendi occaſionem arripuit. Quod ſi *non deſinit* in ejus laudibus, ut promiſerat, memineris multa poetas promittere, quæ non exſolvunt.

13. *Hederam, &c.*) Permitte ut cingam tibi caput hac hedera poetica; dum te milites tui triumphantem coronant lauro victrici, id eſt, ut te laudem poetam poeta; dum te victorem laudant ii, qui tecum victores ſunt. Olim corona poetarum ex hedera; triumphantium e lauro: quamquam deinde poetis etiam e lauro data eſt. Vide Eclg. 7. 25.

Vi-



Conjugis indigno Niſæ deceptus amore
Dum queror, & Divos (quamquam nil teſtibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Mænalus argutumque nemus pinoſque loquentes
Semper habet: ſemper paſtorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non paſſus inertes.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Mopſo Niſa datur: quid non ſperemus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopſe, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge,

*dum conqueror, deluſus inſano amore Niſæ ſponſæ, & moriens appello Deos in ultima hora vitæ: quamvis nihil mihi profuit atteſtari eos. Incipe mecum, o mea fiſtula,* paſtorales *cantus Mænali. Mænalus habet ſemper ſilvam canoram, & pinus reſonantes; ſemper ille* mons *audit amores paſtorum, & Pana, qui primus non reliquit arundines inutiles. Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus Niſa datur Mopſo.* Nos *amatores quid non poſſumus exſpectare? Jam gryphes copulabuntur equis, & futuris temporibus pavidi damæ venient potum cum canibus. Mopſe, præcide novas tædas, ſponſa deducitur ad te.*

*Abjice*

## N O T Æ.

*Victrices lauros.*) Triumphum intelligit Pollionis de Parthinis, anno U. C. 715. 8. Kal. Novemb., de quo in argumento Ecl. 4. dictum eſt. *Parthini* autem, ſive *Parthinei*, qui fuerint ambigitur. Hos in Macedonia Plinius, in Epiro Strabo collocat: in Illyrico cæteri, eaque Illyrici parte, quæ Dalmatia proprie dicitur. Rurſus qua in parte Dalmatiæ, dubitatur. Ur ſenim eorum præcipua ſtatuitur a Cæſare in eâ Dalmatiæ ora, quæ Dyrrhachio & Macedoniæ confinis eſt. Alii Dionem ſecuti *Epidaurum* eſſe volunt, *Raguſa*, in media fere Dalmatia. Alii *Salonas* eſſe putent in eo Dalmatiæ litore, quod a Macedonia remotiſſimum eſt: idque auctore Servio, qui de Salonis urbe Dalmatiæ triumphaſſe Pollionem ante conſulatum refert. Hinc factum eſt, ut Joſephus ipſe Scaliger in Euſebium p. 162. duplicem ejus triumphum perperam diſtinxerit, primum de Salonis Dalmatiæ, ante conſulatum, alterum de Parthinis Macedoniæ, poſt conſulatum: ſed contra faſtorum fidem, contra fidem hiſtoriæ: quæ res ab eo geſtas uſque ad conſulatum, immo itinera ejus omnia fere deſcribit, abſque ulla prioris illius in Dalmatas expeditionis mentione. Dicendum igitur, unica expeditione Pollionem Illyricum perluſtraſſe; eamque victoriam & *Dalmaticam* fuiſſe dictam, quia Dalmatia præcipua pars Illyrici; & *Parthinicam*, quia Parthini tum in Dalmatia forte plurimum poterant; & *Salonianam*, quia Parthinorum ditio ad hanc uſque urbem pertinere etiam potuit.

16. *Incumbens tereti olivæ.* Dicitur *teres* quicquid rotundum & oblongum eſt, ut columna, truncus arboris, baculus. *Incumbens*, vel innitens baculo ex oliva; vel trunco arboris ipſius defenſus.

18. *Conjugis, &c.*) Non quæ erat, ſed quæ fore ſperabatur conjux. Sic Æn. 4. 536. *Quos ego jam toties ſum dedignata maritos*, id eſt, *procos*, qui Didonis conjugium ambiebant.

19. *Nil teſtibus illis, &c.*) Nihil mihi profuit, quod Niſa ſuam mihi fidem dederit, ejuſque teſtes appellaverit Deos.

21. *Incipe Mænalios, &c.*) Verſus *intercalaris*, qui ſæpius aliis interponitur. *Mænalios.*) Quales a paſtoribus cani ſolent in Mænalo, monte Arcadiæ, qui Pani ſacer; in plurali numero *Mænala. Argutum.*) Ecl. 7. 1. *Pana.*) Ecl. 2. 31.

27. *Gryphes.*) Vel *gryphi*, toto corpore leones, alis & roſtro aquilæ, equis vehementer infeſti, Apollini ſacri, inquit Servius. Plinius tamen fabuloſa monſtra putat, ut & *Pegaſos*, l. 10. 49.

28. *Damæ.*) E genere caprarum ſilveſtrium. Ital. *Damma.* Virgilio, maſculini; cæteris, fœminini generis.

29. *Mopſe, novas, &c.*) Rivali ſuo, Niſæ marito, invide gratulatur: eumque hortatur, cum amara indignatione, ut ritus omnes exſequatur nuptiarum, cum nox immineat. I. Enim, præviis facibus quinque, ducebatur uxor ſub noctem in mariti domum: faces e ſpina, vel corylo, vel pinu, incidebantur in ſumma parte minutas in virgulas, ſpicarum inſtar & ariſtarum, quo facilius ignem conciperent: unde G. 1. 292. *Ferroque faces inſpicat acuto.* II. Maritus nuces ſpargebat pueris, vel ut oſtenderet ſe pueritiam relinquere: *nuces enim relinquere*, adagium eſt, hoc ipſum ſignificans. Vel ob alia myſteria, quæ apud Roſinum videre eſt.



30. *Heſpe-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sparge, marite, nuces: tibi deſerit Heſperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
O digno conjuncta viro! dum deſpicis omnes,
Dumque tibi eſt odio mea fiſtula, dumque capellæ,
Hirſutumque ſupercilium, prolixaque barba:
Nec curare Deum credis mortalia quemquam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Sepibus in noſtris parvam te roſcida mala,
( Dux ego veſter eram ) vidi cum matre legentem;
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus:
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Nunc ſcio quid ſit amor: duris in cotibus illum
Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis noſtri puerum, nec ſanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Sævus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus; crudelis tu quoque, mater:

Cru-

*Abjice nuces, o ſponſe! Heſperus pro te relinquit Oetam. Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus. O ſociata digno marito! Dum contemnis reliquos, dumque odio habes meam fiſtulam, & capellas, & ſupercilia* mea *piloſa, & barbam longam: & putas nullum Deum providere mortalibus* rebus. *Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus. In ſeptis* horti *noſtri vidi te* adhuc *parvam, colligentem cum matre poma perfuſa rore:* ego vos ducebam illuc. *Tunc ordiebar annum duodecimum. Tunc poteram ab humo attingere tenues ramos. Statim ac te vidi, quomodo perii! quomodo noxius error me rapuit* mihi! *Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus. Jam cognoſco quid ſit amor. Iſmarus, aut Rhodope, aut Garamantes ultimi, producunt in rigidis rupibus illum puerum,* qui *non eſt noſtræ naturæ & originis. Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus. Durus amor ſuaſit matri fœdare manus cruore liberorum. Tu etiam immitis* fuiſti, *o mater.*

Ma-

## N O T Æ.

30. *Heſperus Oetam.* ) *Oeta*, Theſſaliæ mons, in ſinum Malliacum deſinens, altiſſimus: ita ut Attici & Bœotii, qui hunc habebant ad Occidentem, ex eo ſtellas cadere dicerent: quemadmodum ex *Ida*, Phrygiæ monte item altiſſimo, quem habebant ad Orientem, oriri eaſdem fabulabantur. Qui loquendi mos ad aliarum etiam regionum poetas tranſiit, etſi alio ſitu poſitos. Noctem igitur jam procedere ſignificat. *De Heſpero*, Ecl. 6. 86.

34. *Hirſutumque, &c.* ) Hoc addidit, vel ut robur commendet ſuum, cujus indicium eſt pilorum denſitas: Ita Polyphemus apud Theocrit. Idyl. 3. & apud Ovid. M. 13. Vel potius ut ſuum exaggeret de amiſſa Niſa dolorem, quo factum eſt ut capillitium incultum ſubmiſerit.

38. *Cum matre.* ) Vel *tua*, vel *mea*. Melius *tua*. Tamen apud Theocr. eſt *mea*. Idyl. 11. 26. Ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρί. *Veniſti mea cum matre.* Diſcrimen eſt quod apud Theocritum puer matrem ducat in montes: apud Virgilium vero in hortum, & domeſticas ſepes; quem in locum duce puero egebat ſua mater.

39. *Alter ab undecimo.* ) An duodecimus eſt, an decimus tertius? Certe *alter* de duobus tantum dicitur. Unde concludit Servius hic annū decimum tertium ſignari: *ut*, inquit, *unus ab undecimo, ſit duodecimus; alter decimus tertius.* Ego annum intelligi duodecimum puto; ita ut undecimus unum aliquid cum aliis ſuperioribus componat; *alter* vero huic adjectus ſit poſt illum primus, adeoque de numeris veluti duobus dicatur. Sic Ecl. 5. 49. *Alter ab illo*, eſt omnium judicio *primus poſt illum*, adeoque ſecundus, non tertius.

41. *Ut vidi, ut perii, &c.* ) Omnino e Theocrito, Idyl. 3. 42. ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ᾽ ἔρωτα. *Ut vidit, ut periit, ut in profundum ſaltavit amorem!*

44. *Iſmarus, aut Rhodope.* ) Eclog. 6. 30. *Garamantes.* ) Interioris Libyæ populi, ſine legibus & matrimoniis. Regio nunc dicitur *Guangara.*

47. *Matrem.* ) Medeam, Æetæ Colchorum regis filiam: quæ cum Jaſoni Argonautarum duci artem dediſſet expugnandi aurei velleris, & cum eo e paternis regnis aufugiſſet, repudiata deinde ab eodem, ob amorem Creuſæ Corinthiorum regis filiæ; Creuſam cum Creonte patre magicis ignibus abſumpſit; filios ipſa ſuos, ex Jaſone ſuſceptos, in oculis patris jugulavit: tumque alatis ſerpentibus



Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque, mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Nunc & oves ultro fugiat lupus, aurea duræ
Mala ferant quercus, narciſſo floreat alnus,
Pinguia corticibus ſudent electra myricæ:
Certent & cycnis ululæ: ſit Tityrus Orpheus:
Orpheus in ſilvis, inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite ſilvæ.
Præceps aerii ſpecula de montis in undas
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.
Deſine Mænalios, jam deſine, tibia, verſus.
Hæc Damon: vos, quæ reſponderit Alpheſibœus,
Dicite, Pierides: non omnia poſſumus omnes.
A. Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta;
Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura;
Conjugis ut magicis ſanos avertere ſacris
Experiar ſenſus: nihil hic niſi carmina deſunt.

Du-

*Magiſne immitis mater* fuit, *an puer ille improbus? Improbus* fuit *ille puer:* ſed *tu etiam immitis fuiſti, o mater. Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus. Nunc & lupus ſponte fugiat oves, rigidæ quercus producant poma aurea, alnus floreat narciſſo, myricæ ſtillent cortice pingue ſuccinum. Ululæ quoque contendant cum cycnis: Tityrus ſiat Orpheus: Orpheus inter arbores; Arion inter delphines. Incipe mecum, o mea fiſtula, paſtorales cantus. Cuncta fiant altum ipſum mare, valete nemora, præcipitabo me in mare e culmine rupis excelſæ: accipe donum hoc ultimum morientis. Ceſſa mecum, o mea fiſtula, a paſtoralibus cantibus.* Hæc dixit *Damon: vos, o Muſæ, narrate ea, quæ retulit Alpheſibœus: non poſſumus omnes omnia* facere. A. *Exporta aquam, & circumda has aras tænia lanea, & adure verbenas pingues, & maſcula thura: ut coner magicis ritibus abalienare ſponſum a recta mente. Nihil hic deeſt præterquam carmina.*

Tra-

## N O T Æ.

tibus alium in locum devecta eſt.

54. *Electra myricæ.* ) *Electrum*, Ital. *Ambra*, ſic Græcis dictum, quia refert fulgorem Solis, qui vocatur ἠλέκτωρ. Latinis *ſuccinum*; quia ſuccus eſt arborum quarundam e pineo genere, ex quibus quaſi gummi diffluit in Oceanum, ibique induratum defertur ad littus, aut a piſcatoribus extrahitur, maxime in inſulis Septentrionalibus. Vide Ecl. 6. 62. De *myricis* Ecl. 4. 2. De *Narciſſo*, Ecl. 2. 48.

55. *Cycnis ululæ, &c.* ) *Cycni* non niſi apud Poetas canori: re autem ipſa & vivi & morientes fere muti, aut ſtriduli. Quo magis mirum videtur, unde tanta apud Græcos Latinoſque de Cycnei cantus deliciis contentio. Nazianzenus Ora. 34. cantum illum refert ad plauſum alarum, Zephyris inter pennarum calamos ſibilantibus. *Ulula*, nocturna avis, ab ululatu ſic dicta, Ital. *Allocco*. *Tityrus.* ) Hic pro inſulſo paſtore ſumitur. *Orpheus.* ) Ecl. 3. 46.

56. *Arion.* ) Ex inſula Lesbo, urbe Methymna, citharœdus & lyricus Poeta nobilis: qui cum ex Italia, ubi multas opes arte ſua collegerat, Corinthum rediret ad Periandrum regem, cui percarus erat; ab avaris nautis modulans in mare projectus eſt; ſed a Delphino, quem dulcedine cantus illexerat, exceptus, Tænarum, quod oppidum eſt Laconiæ, vectus ab eodem eſt. *Delphini* autem dicuntur & muſica & amore hominum capi.

58. *Vivite ſilvæ.* ) Græcis χαίρετε, *gaudete*. Etiam in eos, quos cum odio abjicimus, & abire jubemus. Catul. 11. 17. *Cum ſuis vivat, valeatque mœchis:* id eſt, *abeat*.

64. *Effer aquam.* ) Saga præcipit hæc omnia Amaryllidi famulæ.

65. *Verbenaſque.* ) Proprie *verbena* certe quædam herbæ ſpecies eſt, *Verbena erba*. Vulgo tamen ſumebatur apud Romanos pro omni herba, cum ſua terra, e puro ſacroque loco evulſa: quaſi *herbena*, inquit Donatus, Talibus verbenis aras feſtis diebus coronabant: tales legati ferebant ex arce Capitolina erutas, & oſtentabant hoſtibus, cum ad eos ibant res captas repetitum; & legatorum unus ideo *verbenarius* vocabatur. Hac peruncti magi putabant id impetrari quod volebant, abigi febres, amicitias conciliari. Plin. l. 22. 2. &c. *Maſcula thura.* ) Maſcula, non ſexu, nullum enim eſt fœmineum; ſed bonitate.

67. *Nihil hic niſi carmina, &c.* ) Omnis

ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam:
Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſei:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco: Numero Deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
Necte, Amarylli, modo, & Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodemque igni: ſic noſtro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

Duci-

*Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Carmina poſſunt Lunam ipſam evocare e cœlo. Circe transformavit per carmina ſocios Ulyſſis: Serpens gelidus in pratis obrigeſcit, dum incantatur. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Primo circumligo tibi hæc terna licia, triplici colore varia; & circa has aras ter fero tuum ſimulacrum. Numerus impar placet Deo. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. O Amarylli, implica tres colores in tres nodos; implica jam, o Amarylli, & dic, implico nodos Veneris. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Quemadmodum* hoc ſimulacrum *e limo factum induratur, & hoc* alterum *e cera* factum *emollitur, una & eadem flamma: ſic Daphnis noſtro amore* induretur, & emolliatur. *Diſperge fruges ſalſas, & combure bitumine crepitantem laurum. Daphnis crudelis me combuſſit, ego hanc laurum* comburo *contra Daphnim.*

*Tra-*

## NOTÆ.

materia incantationis jam parata eſt; nihil ultra requiritur præter carmina, id eſt, ſolemnem ac ritualem verborum formulam. Deinde ſeipſam hortatur exemplo Circes, de qua, deque ſociis Ulyſſis in ſues transformatis, Æn. 3. 386. & Æn. 7. 19.

69. *Deducere Lunam.*) Antiqui putavere Lunam eſſe magorum incantationibus ſubditam: ita ut, quoties iis luberet, rubeſceret illa in modum ſanguinis: & e cœlo deduceretur vel invita, ut in herbas deſpumaret. Atque inde putabant eam deliquium pati, tumque ipſi tinnitu cymbalorum ſuccurrebant.

70. *Ulyſſei.*) Pro *Ulyſſis*. Sic Horat. Od. l. 1. 6. 7. *Nec curſus duplicis per mare Ulyſſei*. Et Æn. 1. 34. *Reliquias Danaum atque immitis Achillei*. Latini enim Græca, in ευς, ut Ὀδυσσεύς, Ἀχιλλεύς, Ὀρφεύς, aliquando ad ſecundam declinationem reduxere: *Ulyſſeus*, *ei*; *Achilleus*, *ei*: aliquando ad tertiam, ut, *Ulyſſes*, *is*, *Achilles*, *is*.

71. *Cantando rumpitur anguis.*) Id eſt, dum incantatur. Sic G. 2. 250. *Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo*: id eſt, dum habetur, tractaturque digitis. Unde patet gerundia ejuſmodi paſſivam ſæpe habere ſignificationẽ.

74. *Licia.*) Sunt limbi, qui telam hinc inde cingunt, & in quibus capita ſtaminum conduntur.

73. *Terna triplici colore.*) *Novem*: tria alba, tria roſea, tria nigra: ex hoc verſu, in Ciri, 371. *Terque novena ligat triplici diverſa colore Fila, &c.* Quæ novem licia tribus deinde ligantur nodis: *Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores. Et Veneris, dic, vincula necto*: quibus verbis incantationis formula continetur.

75. *Numero Deus impare gaudet.*) Numeris rerum omnium naturam conſtare affirmabant Pythagorici: in imparibus in primis vim eſſe vulgus putabat. Unde præcipitur in Geoponicis, l. 18. ut numerus gregis ſemper impar ſit: in re bellica apud Vegetium, l. 3. 8. ut foſſæ quibus caſtra muniuntur latæ ſint pedes novem ad minimum, ſeptem ac decem ad ſummum; ſemper numero impari. Hoc autem loco, per numerum imparem, ternarius ſignificatur, princeps omnium: tum quia, ex Ariſtotele & Plutarcho, continet in ſe principium, medium, & finem: tum quia poteſtati Deorum,

tam



Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, cum feſſa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec ſeræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat; nec ſit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara ſui: quæ nunc ego limine in ipſo,
Terra, tibi mando: debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſilvis
Mœrin, ſæpe animas imis excire ſepulcris,
Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

Fer

*Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Talis amor* occupet *Daphnim, qualis* eſt, *cum juvenca fatigata ſequendo juvencum per ſilvas, & altos ſaltus, recumbit miſera juxta rivum aquæ, in ulva viridi, & omittit abire ſub ſeram noctem. Talis amor occupet Daphnim, & ego non curem illum ſanare. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Perjurus ille reliquit mihi quondam has veſtes, dilecta monimenta ſui: quæ nunc ego ſub ipſo limine committo tibi, o terra: hæ exuviæ debent* reducere *Daphnim* ad me. *Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Mœris ipſe mihi tradidit hæc gramina, & hæc venena, collecta in Ponto: multa* enim *oriuntur in Ponto. Ego vidi Mœrin ſæpe transformari per illa in lupum, & abdere ſe in ſilvis: ſæpe evocare animas e profundis tumulis, & transferre meſſes ſatas in alium locum. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina.*

*Ama-*

## NOTÆ.

tam ſuperorum, quam inferorum, ſignificandæ adhibetur. Jovis enim triſidum eſt fulmen, Neptuni ſceptrum tridens, Plutonis canis triceps, Parcæ tres, Furiæ tres, Apollo idem, Sol, & Liber dicitur; *tria virginis ora Dianæ*, quæ Diana eſt in terris, Luna in cœlo, Hecate in inferis, eademque colitur in triviis. *Deus.*) Vel quilibet Deus: vel Hecate, quæ magis rebus præeſt. *Deum* enim genere fœminino dici poſſe quidam volunt: & ſic Lucanum de furiis dixiſſe lib. 2. 80. *Terribileſque Deos ſcelerum.*

81. *Sic noſtro, &c.*) Sic uno eodemque amore noſtro, liqueſcat, & mollior ſiat mihi, cæteris dureſcat.

82. *Sparge molam.*) *Mola* placentæ quædam ſpecies, quæ fiebat ex farre *horno*, & ſale *horno*, id eſt, *illius anni*. Ex farre, inquam, ſalſo, toſto, & molito: unde *mola* appellabatur; & victimæ dicebantur *immolari*, quia & frons victimarum, & foci, & cultri hac mola inſpergebantur. Itaque mola conſpergitur effigies Daphnidis, ut victima hujus magici ſacrificii.

*Incende bitumine.*) *Bitumen*, limus aut terra, cujus natura vicina eſt ſulphuri.

83. *In Daphnide.*) Ex Theocriti Pharmaceutria Idyl. 2. 23. Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν αἴθω. *Delphis me torquet, ego hanc laurum contra Delphida comburo*. Sic enim veteres Theocriti interpretes Græci ἐπὶ Δέλφιδι, vertunt κατὰ Δέλφιδος, *contra Delphida*, in Delphida. Quod tamen Virgilius per ablativum caſum extulit: *In Daphnide*.

87. *Ulva.*) Herba paluſtris: Ital. *Sala*, quæ cum arida eſt, veſtiuntur vitreamina quædam.

92. *Pignora cara ſui, debent, &c.*) Expetuntur in ſacris magicis ea præcipue, quæ ſunt ejus, adverſus quem ſacra fiunt: ut capilli, veſtes. *Pignora ſui, quæ debent Daphnim*: id eſt, quæ tenentur ipſum Daphnim adducere ad limen, & in ipſo limine ſiſtere: quare ipſo in limine defodiuntur.

96. *Ponto.*) Pontus Aſiæ minoris regio; Euxino mari ſive Ponto, a Septentrione terminata; ab Oriente, Colchide: ferax venenorum utraque regio fuit. In Ponto regnavit Mithridates, qui venenis paſcebatur; in Colchide nata eſt Medea, celebris venefica.

101. *Ri-*

Fer cineres, Amarylli, foras; rivoque fluenti,
Tranſque caput jace: ne reſpexeris. His ego Daphnim]
Aggrediar: nihil ille Deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Aſpice: corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: bonum ſit!
Neſcio quid certe eſt: & Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina, Daphnis.

*Amarylli, exporta cineres extra domum, & jacta eos poſt caput in rivum fluentem, neque retro aſpicias. Ego per hos cineres oppugnabo Daphnim;* ſiquidem *non movetur, neque per Deos, neque per carmina. Trahite, trahite Daphnim ab urbe in* meam *domum, o mea carmina. Vide dum exportare differo, cinis ipſe ultro involvit aram flamma tremula: ſit hoc fauſtum! Certe neſcio quid apparet, & Hylax latrat in limine. Credamne illud? An amantes fingunt ſibi ſomnia? Ceſſate, jam ceſſate, o mea carmina. Daphnis ab urbe venit.*

NOTÆ.

101. *Rivoque fluenti.*) In rivum fluentem. Sic Æn. 5. 451. *It clamor cœlo*, pro ad cœlum.

106. *Bonum ſit.*) Cineres ignem concipiunt. Lætum omen; quod Terentiæ Ciceronis uxori ſacrificanti cum accidiſſet, quaſi ſignum auſpicatiſſimum opprimendi Catilinæ habitum eſt a Veſtalibus: ut refert Plutarch. in Cicer.

107. *Hylax.*) Canis nomen, ut *Hylactor* apud Ovid. M. 3. 224. ab ὑλάω & ὑλακτέω *latro*. Latratus autem canis in limine notat adeſſe Daphnim.

108. *An qui amant.*) Vocalis *i*, nec patitur hic ſynalœpham, nec ſervat propriam qualitatem longam; ſed hiat, & brevis fit.

---

# ECLOGA IX.

## * MOERIS.

## ARGUMENTUM.

*CUM in agrorum diviſione Virgilium indemnem amici ſui præſtitiſſent, ut in Ecl. 1. dictum eſt; is ab Ario Centurione, vel a Milieno Torone primipilari, vel a Claudio veterano (variant enim in eo nomine interpretes) ab eo certe militum, cui prædium illud obvenerat, male habitus & ferme occiſus: ut vitæ conſuleret, Mincium natatu trajecit. Romam deinde profectus, ut vim auctoritate Octaviani reprimeret; interim reliquit domi villicum ſuum Mœrim, monuitque ut novum agri dominum officiis, quibus poſſet, leniret omnibus. Hic itaque Mœris, huic domino munuſcula Mantuam deferens ex itinere in Lycidam familiarem incidit; quocum de Menalcæ, id eſt, Virgilii fortuna colloquitur; ſimulque variis cantilenis tædium itineris levant.*

*Exiſtimo fuiſſe oblatum Varo hoc opuſculum, quaſi libelli ſupplicis loco; ut beneficium, ejus & Pollionis, Mæcenatiſque gratia, jam acceptum, tueri porro ſibi apud Octavianum vellet. Eſt enim hic,* I. *Beneficii mentio.* II. *Vis illatæ declaratio.* III. *Invocatio Vari, & amplioris ejus in laudem operis promiſſio.* IV. *Julii Cæſaris conſecratio quædam, ad adulandum comparata. Tum cætera, quæ congerit, carminum fragmenta notant opus, ut res ferebat, properatum ac ſubitarium; ex variis concinnatum verſibus, quos primo impetu effuderat Poeta; aut ex occaſione prius inchoatos, nondum ſuo quoſque filo ac tenore ad exitum duxerat. Anno igitur eodem, quo prima Ecloga ſane haud multo deinde, ſcripta eſt.*

NOTÆ.

* *MOERIS.*) A μοῖρα *fatum, ſors, pars:* quia agrorum partem ſorte amiſerat.

* LY-



## * LYCIDAS, MOERIS.

*LYC.* QUo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
*M.* O Lycida, vivi pervenimus, advena noſtri
(Quod nunquam veriti ſumus) ut poſſeſſor agelli
Diceret: Hæc mea ſunt; veteres migrate coloni.
Nunc victi, triſtes, quoniam ſors omnia verſat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.
*L.* Certe equidem audieram, qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Uſque ad aquam & veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrum ſervaſſe Menalcan.
*M.* Audieras, & fama fuit: ſed carmina tantum
Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod niſi me quacunque novas incidere lites
Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix;
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipſe Menalcas.

*L.* Heu,

INTERPRETATIO.

LYC. *O Mœri, quo te* ducunt *pedes? an Mantuam, ad quam via ducit?* M. *O Lycida, viventes eo* miſeriæ *devenimus, ut peregrinus occupator agri noſtri diceret*, id *quod nunquam timueramus: Hic ager ad me pertinet, recedite, o antiqui cultores. Nunc ſuperati, mœſti, ſiquidem fortuna vertit omnia, ferimus illi hos hædos, quod* utinam *non proſit* illi. L. *Ego ſane audiveram Menalcam veſtrum* dominum *verſibus ſuis* ſibi *conſervaſſe cuncta* ab eo loco, *ubi colles incipiunt recedere, & incurvare cacumen facili clivo, uſque ad aquam, &* ad *cacumen ruptum antiquæ fagi.* M. *Id audiveras, & rumor* ſic *tulit: ſed verſus noſtri non plus poſſunt inter arma belli, o Lycida, quam dicunt* poſſe *columbas Epiroticas, aquila imminente. Quod niſi funeſta cornix e carioſa ilice me admonuiſſet, ut quocunque modo abrumperem novas rixas; nec ego ipſe tuus* amicus *Mœris, nec ipſe Menalcas vivus eſſet.*

L. *Heu*,

NOTÆ.

* *LYCIDAS.*) A λύκος, *lupus:* [illegible] *luporum catuli.*

1. *Vivi pervenimus.*) Exaggerat vox iſta calamitatis indignitatem. Ut apud Ciceronem pro Quinctio, cap. 15. *Huic acerbiſſimum vivo viventique funus indicitur.*

7. *Qua ſe ſubducere, &c.*) Deſcriptio agri Virgiliani, cujus erant hi termini: hinc clivus, inde fagus & aqua, vel paludis vel Mincii fluminis. *Clivus* eſt inclinatum montis latus.

12. *Martia.*) Bellica; quia *Mars* belli præſes, dictus etiam *Mavors*, quia *magna vertit.* Quidni a ἀμαυρόω, *intingo, obſcuro:* quod poetice dicitur pro [illegible]? Junonis & Jovis, aut ſolius Junonis abſque patre filius, ut Minerva ſolius Jovis abſque matre filia. Hunc dicitur Juno concepiſſe tactu cujuſdam floris, quem ipſi cum in uſum Flora monſtraverat.

13. *Chaonias columbas.*) Speciem ponit pro genere: quia in Dodonæa Epiri ſilva, oracula reddidiſſe dicuntur quercus, & iis inſidentes columbæ duæ; quarum altera Delphos in templum Apollinis, altera in Jovis Ammonis templum evolaverit; ubi famoſa deinceps fuerunt oracula. Epirus autem *Chaonia* ſæpe dicitur: quod *Chaones*, gens Epirotica, olim toti regioni imperaverint, ut ait Strabo l. 7.

15. *Ante ſiniſtra, &c.*) Præter illa, quæ de hac voce dicta ſunt Ecl. 1. 16. 18. quærendum ſupereſt, unde veteres Græci Romanique *dextram* ac *ſiniſtram* in auſpiciis peterent. Utrique ſane diverſo modo locuti, idem ſenſere: hoc eſt orientalia auſpicia, quia lucis & motus principium ab ea parte eſt, viſa ſunt utriſque meliora: quæ tamen eadem, Græci *dextra*, Romani *ſiniſtra* vocaverunt. De Græcis patet ex Homero Iliad. 12. 239. ubi Hector ait, ſe aves augurales minime curare: *ſive ad dextram vadant verſus auroram & ſolem, ſive ad ſiniſtram verſus occaſum obſcuram*, [illegible]. De Romanis conſtat ex Varrone Ep. Quæſt. l. 5. *A Deorum ſede cum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes: factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra, eſſe exiſtimentur.* Refert hunc locum Feſtus Pompejus, alioſque citat veteres ejuſdem ſententiæ. Confirmat Plinius l. 2. c. 54. *Læva proſpera exiſtimantur: quoniam læva parte mundi*

H ortus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*L.* Heu, cadit in quemquam tantum ſcelus! heu, tua nobis
Pene ſimul tecum ſolatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quæ ſublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres Amaryllida noſtras?
Tityre, dum redeo, brevis eſt via, paſce capellas:
Et potum paſtas age, Tityre, & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.
*M.* Immo hæc, quæ Varo, necdum perfecta, canebat.
Vare, tuum nomen (ſuperet modo Mantua nobis,
Mantua, væ miſeræ nimium vicina Cremonæ!)
Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni.
*L.* Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic cytiſo paſtæ diſtentent ubera vaccæ.
Incipe, ſi quid habes: & me fecere poetam
Pierides: ſunt & mihi carmina: me quoque dicunt
Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis.

Nam

*L. Heu, tantumne crimen venit cuiquam in mentem! heu, tuorum* verſuum *ſolamen fere nobis ablatum eſt tecum, o Menalca! Quis celebraret Nymphas? quis tegeret terram herbis floridis? aut inumbraret fontes virentibus ramis? Aut* quis caneret *verſus, quos tibi nuper ſurripui: quando ibas ad Amaryllida, noſtram amicam. Tityre, donec redeam, breve eſt iter, paſce capellas: & poſtquam eas paveris, duc potum, o Tityre: & dum duces, cave ne occurras capro: ille* enim *cornu petit.* M. Aut *potius* quis caneret *hos* verſus, *quos* Menalcas *cantabat Varo, nondum perpolitos. O Vare, olores canori alte efferent ad aſtra nomen tuum: dummodo Mantua ſalva ſit nobis: Mantua, væ miſeræ nimis propinqua Cremonæ!* L. *Sic tuæ apes evitent taxos Corſicæ* inſulæ, *ſic tuæ vaccæ ſaturatæ cytiſo diſtendant ubera. Incipe ſi habes aliquid: Muſæ me quoque reddiderunt poetam: habeo etiam verſus: paſtores appellant me etiam vatem, ſed ego non adbibeo fidem illis:*

*non-*

## N O T Æ.

*ortus eſt*. Ratio variæ appellationis fuit: quod in auſpiciis, Græci ad Septentrionem, Romani ad Meridiem ſe converterent: ut patet ex antedictis: quod cur ita fecerint, non eſt hujus loci diſquirere.

21. *Sublegi.*) *Sublegere*, eſt *ſuffurari*: unde, inquit Servius, *ſacrilegus* dicitur, qui *ſacra legit*, id eſt, *furatur*.

23. *Tityre, &c.*) Renarrat primum fragmentum carminum, quæ ſublegerat. *Tityrus* hic eſt caprarius aliquis e Virgilii famulis. De *Varo*, Ecl. 6. 7.

27. *Vare, tuum, &c.*) Secundum fragmentum, de laudibus Vari.

28. *Mantua Cremonæ, &c.*) Galliæ Ciſalpinæ urbes vicinæ. *Mantua* ad Mincium fluvium, *Manzo*: nunc ducatus caput: *Cremona* ad Padum, *il Po fiume noto*: nunc ducatu Mediolanenſi comprehenſa. Hæc Antonii partes cum adverſus Octavianum tenuiſſet, ejus ager veteranis Octaviani militibus addictus eſt; & cum non ſufficeret, addita pars agri Mantuani.

29. *Sublime ferent.*) Vel ad *nomen* referri poteſt, vel adverbii loco ſumitur. Ita G. 1. 320. *Segetem ab radicibus imis Sublime expulſam eruerent*. Et Cicero de Nat. 2. 101. *Aer ſublime fertur*: id eſt, ſublimiter, in ſublime.

*Cycni.*) Poetæ. Sic Horat. Od. l. 4. 2. 25. *Multa Dircæum levat aura cycnum*: id eſt, Pindarum poetam Thebanum. Nam ex Cicer. Tuſc. 1. 73. *Cycni Apollini dicati ſunt, quod ab eo habere divinationem videantur: quia, providentes quid in morte ſit boni, cum cantu & voluptate moriuntur*. Tamen fictus eorum cantus eſt, de quo Ecl. 8. 55.

30. *Sic tua, &c.*) Obteſtandi formula & bene precandi, quoties quid ab aliquo petimus. Id eſt: Sic apes tuæ evitent taxos, quomodo mihi recitabis carmina. *Cyrneas taxos.*) *Taxus* arbor funeſtis annumerata, Ital. *Taſſo*. Qua paſtæ apes mel amariſſimum cudunt: unde Corſicæ mel infame, quod hæc inſula taxis & cicuta abundet. Ovid. Amor. l. 1. 12. 10. *Melle ſub infami Corſica miſit apis*. *Corſica*, inſula in mari mediterraneo, quæ cum Sardinia & Sicilia Italiæ adjacet: *Cyrnus* Græcis dicta, a rege hujus nominis. De *examinibus*, Ecl. 7. 13. De *cytiſo*, Ecl. 1. 79. De *Pieridibus*, Ecl. 3. 83.

35. *Varo, &c. Cinna.*) Alii poetas eſſe volunt, alii Viros Octaviani gratia inſignes. Sed prima opinio ſtare non poteſt; I. Quia Cinna hic poeta, non poſſet eſſe alius, quam

*Hel-*



Nam neque adhuc Varo videor nec dicere Cinna
Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.
*M.* Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipſe voluto,
Si valeam meminiſſe: neque eſt ignobile carmen.
Huc ades, o Galatea: quis eſt nam ludus in undis?
Hic ver purpureum: varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades: inſani feriant ſine litora fluctus.
*L.* Quid, quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram? numeros memini, ſi verba tenerem.
*M.* Daphni, quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum:
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Inſere, Daphni, piros, carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque. Sæpe ego longos

Can-

*nondum enim videor ea proferre*, quæ ſint *Varo aut Cinna digna: ſed* videor *ſtridere inter cycnos canoros, velut anſer.* M. *Equidem id facio, & tacite revolvo ipſe mecum, o Lycida, an poſſim recordari: neque eſt carmen abjectum. Huc veni, o Galatea; quæ enim eſt voluptas in aquis?* Hic eſt *ver rubicundum; hic terra producit diverſos flores circa fluvios; hic alba populus incumbit cavernæ, & vites flexuoſæ efficiunt umbram. Veni huc, ne cures quod procelloſi fluctus percutiant litora.* L. *Quid* vero? *quænam audiveram te cantantem ſolum per noctem ſerenam? recordor cantum, ſi ſcirem verba.* M. *Daphni, quid miraris veteres ortus ſiderum? En prodiit ſidus Cæſaris* oriundi *a Venere: ſidus, per quod ſata abundabunt frumento, & per quod racemus in montibus apertis induet colorem. Daphni, planta piros, poſteri colligent tua pira. Anni auferunt cuncta, memoriam quoque. Ego recordor me ſæpe*

*tra-*

## N O T Æ.

*Helvius Cinna*, qui Smyrnam ſcripſit annis novem, de inceſto Myrrhæ in patrem Cinyram Cypriorum regem amore: laudatus a Catullo 94. & ab Ovidio Triſt. 2. 1. 435. At is jam inde a tempore Cæſareæ cædis, errore nominis, pro Cornelio Cinna prætore & Cæſaris hoſte, a plebe occiſus fuerat, ut eſt apud Sueton. II. Quia ex *Varis*, qui florebant illa ætate, de quibus Ecl. 6. 7. nullus in poeſi nomen habuiſſe dicitur. III. Quia licet celebris tum fuerit poeta *Varius*, de quo ſæpe Horatius, imprimiſque Od. l. 1. 6. 1. *Scriberis Vario fortis, & hoſtium victor, Mæonii carminis alite*; tamen male Servius hic legit *Vario* pro *Varo*: *Nam neque adhuc Vario videor, &c.* Male, inquam, ſiquidem dixit paulo ante Virgilius, *Vare, tuum nomen, &c.* Itaque ſecundam opinionem ſecutus, *P. Quinctilium Varum* intelligo, de quo Ecl. 6. 7. Et *Cornelium Cinnam Magnum*, Pompeii Magni ex filia nepotem, qui primo hoſtis Octaviani, deinde ab eodem ſuſceptus in caſtris Bruti & Caſſii, ut notat Lipſius in caput 9. l. 1. Senecæ de Clementia, magna deinceps apud eum floruit gratia: auſus tamen in benefactorem ſuum conjurare, novo beneficio veniam ab eodem accepit, & conſulatum, an. U. C. 758.

36. *Anſer.*) Volunt hic alluſum ad Anſerem, hujus ætatis poetam, M. Antonii laudatorem, cui Antonius e bonis Pompeii in Falerno agro aliquid in præmium dederat: unde Cicero Philip. 13. cap. 5. *Anſeres de Falerno depellentur*.

39. *Huc ades, o &c.*) Tertium carminis fragmentum, expreſſum e Theocriti Cyclope, Idyll. 11. De *Galatea*, Ecl. 1. 31.

46. *Daphni, quid, &c.*) Quartum verſuum fragmentum, quod recitat Mœris. In eo Menalcas, ſive Virgilius alloquitur Daphnim, amicum paſtorem, de morte J. Cæſaris; cujus in funebribus ludis crinita ſtella per ſeptem continuos dies fulſiſſe dicitur, ex Suetonio 88. Creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti; & ideo ſimulacris ejus & nummis ſtella in vertice addita. G. 1. 488.

47. *Dionæi.*) Cæſar ex gente Julia fuit; Julia gens orta ab Iulo Æneæ filio; Æneas Veneris & Anchiſæ filius; Venus, juxta multos, Jovis & Diones Nymphæ marinæ filia; licet juxta alios, orta ſit e ſpuma maris.

48. *Aſtrum, quo ſegetes.*) *Aſtrum* proprie ſignū eſt, e multis ſtellis compoſitum; vulgo *conſtellatio*; hic tamen pro ſtella unica ſumitur.

49. *Apricis.*) Soli expoſitis & apertis, quaſi *aperticis*, inquit Voſſius. Niſi cum aliis deducere malis ab α privativo, & φρίκη *horror*; quod ſint ſine frigore; unde & Africam dictam volunt. Opponuntur *apricus*, & *opacus*.

50. *Inſere, Daphni, piros.*) Hortatur paſto-

 rem,

Cantando puerum memini me condere ſoles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrim
Jam fugit ipſa: lupi Mœrim videre priores.
Sed tamen iſta ſatis referet tibi ſæpe Menalcas.
L. Cauſando noſtros in longum ducis amores:
Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor, & omnes
( Aſpice ) ventoſi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media eſt nobis via: namque ſepulcrum
Incipit apparere Bianoris: hic, ubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondes, hic, Mœri, canamus:
Hic hædos depone, tamen veniemus in urbem:
Aut ſi, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet uſque ( minus via lædet ) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.
M. Deſine plura, puer: & quod nunc inſtat, agamus:
Carmina tum melius, cum venerit ipſe, canemus.

*traduxiſſe canendo totos dies, cum eſſem puer. Nunc tot verſus exciderunt mibi; ipſa etiam vox me deſtituit: lupi me priores aſpexerunt. Attamen Menalcas ſat ſæpe recitabit iſta tibi. L. Differs diu meam voluptatem, quærendo varias cauſas. Aſpice, jam tota aqua quieta tibi tacet, & omnes ſibili ventorum ſtrepentium ceſſaverunt. Præterea ex hoc loco ſupereſt nobis tantum media pars viæ: nam tumulus Bianoris incipit apparere: hoc loco, in quo agricolæ colligunt ſpiſſa folia, hoc loco canamus, o Mœri: hoc loco demitte hædos, nihilominus perveniemus in urbem; aut ſi timemus ne nox adducat imbrem, ante quam ad eam pervenerimus, progrediamur, quamvis interim ſemper canentes: iter minus nos fatigabit. Ut progrediamur canendo, ego te levabo hoc onere. M. Puer, omitte cætera, & faciamus quod jam urget: tum cantabimus commodius verſus, cum Menalcas advenerit.*

## NOTÆ.

rem, ut ferat arbores; futurum quippe, ut ſidere illo favente creſcant feliciter, & poſterorum commodis ſerviant. *Inſerere* hic non inſitionem ſignificat, qua ſurculus peregrinus arbori alterius naturæ immittitur; ſed ſimpliciter plantationem arborum; quomodo Columella dixit, *hortos inſerere*. Tum quaſi deficiente memoria, ſilet Mœris.

52. *Memini me condere.*) Pro *condidiſſe*. Sic Cicero ad Att. 8. 11. *Memini tibi librum afferri a Demetrio*; id eſt, allatum fuiſſe. *Condere*, eſt finire, ad occaſum ducere, & quaſi ſepelire. Quemadmodum dicitur Æn. 1. 378. *Ante diem clauſo componet Veſper Olympo*; quaſi ad ſepulturam componet.

53. *Nunc oblita mibi.*) Duo notanda. I. *Oblita* paſſiva ſignificatione. II. *Mihi*, pro, *a me*. Sic Æn. 1. 330. *Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum.*

54. *Lupi Mœrim videre priores.*) Dicuntur lupi, ſed falſo, vocem ei adimere, quem priores conſpexerint; perdere vero ipſi conſpecti prius; ex Plinio. Hinc, *Lupus in fabula*, proverbium eſt; quoties colloquentibus ſupervenit aliquis, de quo ſermo erat; is enim tum ſua præſentia ſermonem amputat loquentibus.

56. *Cauſando.*) Cauſas & excuſationes prætexendo; nempe caducam memoriam, raucedinem, & alia, quæ attulerat Mœris, ne verſus cantare cogeretur. Hunc igitur Lycidas variis invitamentis ad cantandum pellicit; ſilent venti, medium iter confecimus, &c.

57. *Silet æquor.*) Non mare, ſed aqua *Mincii* fluvii, qui Mantuam & vicinas regiones alluit; *Menzo*. *Æquor* enim dicitur de qualibet planitie, ſive aquarum, ſive camporum. Et vero mare longe inde remotum eſt. Æn. 2. 780.

60. *Bianoris.*) Ocnus idem qui & Tuſcorum rex, Tiberis fluvii & Mantus fatidicæ Nymphæ filius, Mantuam de matris nomine condidit. Hujus ſepulcrum in via, veterum more: qui ideo ſepulcrorum elogia ad viatores dirigunt: *Sta viator*, *Abi viator*.

61. *Stringunt frondes.*) *Stringi* dicuntur ea, vel quæ ſtricta manu decerpuntur, ut G. 1. 305. *Quernas glandes tum ſtringere tempus, Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.* Vel quæ colliguntur in faſciculum, ut hic, & G. 1. 317. *Fragili jam ſtringeret hordea culmo.*





# ECLOGA X.

## *GALLUS.

### ARGUMENTUM.

*AMABAT Gallus Lycoridem: ſprevit hæc illum, ut alium ſibi chariorem ſequeretur in Rhætiam, aliaſque regiones Italiæ, ſive Galliæ togatæ, quas Rhenus alluit, & Alpes inſident. Gallus abire fingitur, quaſi in exilium, repulſæ impatientia: locus exilii ſtatuitur Arcadia, paſtoribus nota ſedes, poetiſque Bucolicis, qualis ipſe Gallus fuit. Huc amici, huc Dii ſilveſtres, ad ſolandum ejus dolorem conveniunt. Ille multa de remediis amoris, deque ſua ſorte diu fruſtra meditatus, ut amantium ingenium eſt, iterum ad amorem redit. Multa hic ex Idyll. Theocriti primo.*

*Volunt omnes hanc* Lycoridem *eamdem eſſe cum* Cytheride *mima, quæ Volumnii Eutrapeli, Senatoris nobiliſſimi, liberta primum, ac deinde M. Antonio ſic chara fuit, ut is illam in Italiæ perluſtratione per civitates & municipia ſecum aperta lectica circumferret, trahentibus leonibus, ut Plinius notat l. 8. 16. Id ſane ſi ita eſt, multis eam neceſſe eſt nominibus inſignitam; quam &* Volumniam *ab Antonio vocatam eſſe Cicero indignatur Philip. 2. 48. Quod autem volunt, iter illud Lycoridis Alpinum & Rhenanum, eam ipſam eſſe Antonianam perluſtrationem Italiæ, parum certe congruit tempori. Quippe duplex ab Antonio perluſtratio facta eſt,* eadem comite mima, *inquit Cicero, ibid. 51. Altera ante pugnam Pharſalicam, ab eo tum tribuno plebis, altera poſt pugnam, ab eodem tum equitum magiſtro: hoc eſt annis, ut minimum, decem ante editionem hujus Eclogæ, quæ poſtrema omnium ſcripta fuit, ea tempeſtate, qua jam Antonius in Oriente cum imperio verſabatur.* Extremum hunc Arethuſa, &c.

*Ita igitur ſtatuo: aut Lycoridem illam, a Cytheride, ſive Volumnia mima diverſam eſſe; aut Galli rivalem, diverſum ab Antonio; aut hac Ecloga exhiberi Gallo præteritorum amorum hiſtoriam, veterumque caſuum memoriam voluptatis cauſa revocari, cum Lycoridis fuga multo prius contigiſſet.*

## NOTÆ.

* *GALLUS.*) Cneus, vel Publius Cornelius Gallus; nam vario prænomine reperitur: patria Forojulienſis, *du Frioul*: ex infima fortuna ad ſummam Octaviani gratiam, immo & amicitiam evectus eſt. *Suet. in Aug.* 66. Egregiam ei navavit operam in Alexandrino bello: in quo captam a ſe Parætonium urbem, adverſus vim doloſque M. Antonii, vi doliſque fortiter propugnavit. Ideo mortua Cleopatra & Antonio, redactaque in provinciæ formam Ægypto, non auſus Cæſar, metu novarum turbarum, copioſam regionem, gentemque leviſſimam viro nobili committere, tamen eam amico Gallo credere non dubitavit. *Dio. l.* 51.

At non ita multo poſt, abuſus fortunæ amplitudine, Thebas ob tributa ſeditionem moventes, aut expilavit, *ex Ammiano* l. 17. aut funditus evertit, *ex Hieronymo* in *Euſeb.* Tum cœpit in ipſum imperatorem multa intemperanter jactare, præſertim inter pocula. *Dio*, *l.* 53. *Ovid. Triſt.* 2. 445. Statuas ubique ſibi per Ægyptum erexit, acta ſua pyramidibus inſcripſit. Quibus nominibus cum eſſet a Valerio Largo, ſocio & convictore olim ſuo, accuſatus; Auguſtus huic Gallo ob ingratum & malevolum animum, domo & provinciis ſuis interdixit. Senatus graviore ſententia, mulctatum bonis, & exilii ignominia notatum eo adegit, ut ſua ſibi manu mortem accerſeret. Mortuum tamen Gallum luxit Auguſtus, & ob ſeveritatem Senatus vicem ſuam conqueſtus eſt: *quod ſibi ſoli non liceret, amicis quatenus vellet, iraſci*, *Suet.* 66. Periit ætatis anno 40. aut 43. ut in Hieron. & Euſebio varie ſcriptum eſt: U. C. 728., ante obitum Virgilii 7. Multis carus, Pollioni imprimis, itemque Ciceroni, ut colligitur ex epiſtolis Pollionis ad Ciceronem, quæ habentur apud ipſum Ciceronem *Famil.* l. 10. 31. & 32. Virgilio certe cariſſimus: qui ejus etiam laudes celebraſſe dicitur quarto Georg. libro: unde poſt ejus necē Auguſti juſſu ſublatæ ſunt, & earum in locum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Cantando puerum memini me condere ſoles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrim
Jam fugit ipſa: lupi Mœrim videre priores.
Sed tamen iſta ſatis referet tibi ſæpe Menalcas.
L. Cauſando noſtros in longum ducis amores:
Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor, & omnes
( Aſpice ) ventoſi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media eſt nobis via: namque ſepulcrum
Incipit apparere Bianoris: hic, ubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondes, hic, Mœri, canamus:
Hic hædos depone, tamen veniemus in urbem:
Aut ſi, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet uſque ( minus via lædet ) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.
M. Deſine plura, puer: & quod nunc inſtat, agamus:
Carmina tum melius, cum venerit ipſe, canemus.

*traduxiſſe canendo totos dies, cum eſſem puer. Nunc tot verſus exciderunt mihi; ipſa etiam vox me deſtituit: lupi me priores aſpexerunt. Attamen Menalcas ſat ſæpe recitabit iſta tibi. L. Differs diu meam voluptatem, quærendo varias cauſas. Aſpice, jam tota aqua quieta tibi tacet, & omnes ſibili ventorum ſtrepentium ceſſaverunt. Præterea ex hoc loco ſupereſt nobis tantum media pars viæ: nam tumulus Bianoris incipit apparere: hoc loco, in quo agricolæ colligunt ſpiſſa folia, hoc loco canamus, o Mœri: hoc loco demitte hædos, nihilominus perveniemus in urbem; aut ſi timemus ne nox adducat imbrem, ante quam ad eam pervenerimus, progrediamur, quamvis interim ſemper canentes: iter minus nos fatigabit. Ut progrediamur canendo, ego te levabo hoc onere. M. Puer, omitte cætera, & faciamus quod jam urget: tum cantabimus commodius verſus, cum Menalcas advenerit.*

N O T Æ.

rem, ut ferat arbores; futurum quippe, ut ſidere illo favente creſcant feliciter, & poſterorum commodis ſerviant. *Inſerere* hic non inſitionem ſignificat, qua ſurculus peregrinus arbori alterius naturæ immittitur; ſed ſimpliciter plantationem arborum; quomodo Columella dixit, *hortos inſerere*. Tum quaſi deficiente memoria, ſilet Mœris.

52. *Memini me condere.*) Pro *condidiſſe*. Sic Cicero ad Att. 8. 11. *Memini tibi librum afferri a Demetrio*; id eſt, allatum fuiſſe. *Condere*, eſt finire, ad occaſum ducere, & quaſi ſepelire. Quemadmodum dicitur Æn. 1. 378. *Ante diem clauſo componet Veſper Olympo*; quaſi ad ſepulturam componet.

53. *Nunc oblita mihi.*) Duo notanda. I. *Oblita* paſſiva ſignificatione. II. *Mihi*, pro, *a me*. Sic Æn. 1. 330. *Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum.*

54. *Lupi Mœrim videre priores.*) Dicuntur lupi, ſed falſo, vocem ei adimere, quem priores conſpexerint; perdere vero ipſi conſpecti prius; ex Plinio. Hinc, *Lupus in fabula*, proverbium eſt; quoties colloquentibus ſupervenit aliquis, de quo ſermo erat; is enim tum ſua præſentia ſermonem amputat loquentibus.

56. *Cauſando.*) Cauſas & excuſationes prætexendo; nempe caducam memoriam, raucedinem, & alia, quæ attulerat Mœris, ne verſus cantare cogeretur. Hunc igitur Lycidas variis invitamentis ad cantandum pellicit; ſilent venti, medium iter confecimus, &c.

57. *Silet æquor.*) Non mare, ſed aqua *Mincii* fluvii, qui Mantuam & vicinas regiones alluit; *Menzo*. *Æquor* enim dicitur de qualibet planitie, ſive aquarum, ſive camporum. Et vero mare longe inde remotum eſt. Æn. 2. 780.

60. *Bianoris.*) Ocnus idem qui & Tuſcorum rex, Tiberis fluvii & Mantus fatidicæ Nymphæ filius, Mantuam de matris nomine condidit. Hujus ſepulcrum in via, veterum more: qui ideo ſepulcrorum elogia ad viatores dirigunt: *Sta viator*, *Abi viator*.

61. *Stringunt frondes.*) *Stringi* dicuntur ea, vel quæ ſtricta manu decerpuntur, ut G. 1. 305. *Quernas glandes tum ſtringere tempus, Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.* Vel quæ colliguntur in faſciculum, ut hic, & G. 1. 317. *Fragili jam ſtringeret hordea culmo.*

ECLO-



# E C L O G A X.

## *G A L L U S.

### A R G U M E N T U M.

*AMABAT Gallus Lycoridem: ſprevit hæc illum, ut alium ſibi chariorem ſequeretur in Rhætiam, aliaſque regiones Italiæ, ſive Galliæ togatæ, quas Rhenus alluit, & Alpes inſident. Gallus abire fingitur, quaſi in exilium, repulſæ impatientia: locus exilii ſtatuitur Arcadia, paſtoribus nota ſedes, poetiſque Bucolicis, qualis ipſe Gallus fuit. Huc amici, huc Dii ſilveſtres, ad ſolandum ejus dolorem conveniunt. Ille multa de remediis amoris, deque ſua ſorte diu fruſtra meditatus, ut amantium ingenium eſt, iterum ad amorem redit. Multa hic ex Idyll. Theocriti primo.*

*Volunt omnes hanc* Lycoridem *eamdem eſſe cum* Cytheride *mima, quæ Volumnii Eutrapeli, Senatoris nobiliſſimi, liberta primum, ac deinde M. Antonio ſic chara fuit, ut is illam in Italiæ perluſtratione per civitates & municipia ſecum aperta lectica circumferret, trahentibus leonibus, ut Plinius notat l. 8. 16. Id ſane ſi ita eſt, multis eam neceſſe eſt nominibus inſignitam; quam &* Volumniam *ab Antonio vocatam eſſe Cicero indignatur Philip. 2. 48. Quod autem volunt, iter illud Lycoridis Alpinum & Rhenanum, eam ipſam eſſe Antonianam perluſtrationem Italiæ, parum certe congruit tempori. Quippe duplex ab Antonio perluſtratio facta eſt,* eadem comite mima, *inquit Cicero, ibid. 51. Altera ante pugnam Pharſalicam, ab eo tum tribuno plebis, altera poſt pugnam, ab eodem tum equitum magiſtro: hoc eſt annis, ut minimum, decem ante editionem hujus Eclogæ, quæ poſtrema omnium ſcripta fuit, ea tempeſtate, qua jam Antonius in Oriente cum imperio verſabatur.* Extremum hunc Arethuſa, &c.

*Ita igitur ſtatuo: aut Lycoridem illam, a Cytheride, ſive Volumnia mima diverſam eſſe; aut Galli rivalem, diverſum ab Antonio; aut hac Ecloga exhiberi Gallo præteritorum amorum hiſtoriam, veterumque caſuum memoriam voluptatis cauſa revocari, cum Lycoridis fuga multo prius contigiſſet.*

N O T Æ.

* *GALLUS.*) Cneus, vel Publius Cornelius Gallus; nam vario prænomine reperitur: patria Forojulienſis, *du Frioul*: ex infima fortuna ad ſummam Octaviani gratiam, immo & amicitiam evectus eſt. *Suet. in Aug.* 66. Egregiam ei navavit operam in Alexandrino bello: in quo captam a ſe Paratonium urbem, adverſus vim doloſque M. Antonii, vi doliſque fortiter propugnavit. Ideo mortua Cleopatra & Antonio, redactaque in provinciæ formam Ægypto, non auſus Cæſar, metu novarum turbarum, copioſam regionem, gentemque leviſſimam viro nobili committere, tamen eam amico Gallo credere non dubitavit. *Dio. l. 51.*

At non ita multo poſt, abuſus fortunæ amplitudine, Thebas ob tributa ſeditionem moventes, aut expilavit, *ex Ammiano* l. 17. aut funditus evertit, *ex Hieronymo* in *Euſeb.* Tum cœpit in ipſum imperatorem multa intemperanter jactare, præſertim inter pocula. *Dio, l. 53. Ovid. Triſt. 2. 445.* Statuas ubique ſibi per Ægyptum erexit, acta ſua pyramidibus inſcripſit. Quibus nominibus cum eſſet a Valerio Largo, ſocio & convictore olim ſuo, accuſatus; Auguſtus huic Gallo ob ingratum & malevolum animum, domo & provinciis ſuis interdixit. Senatus graviore ſententia, mulctatum bonis, & exilii ignominia notatum eo adegit, ut ſua ſibi manu mortem accerſeret. Mortuum tamen Gallum luxit Auguſtus, & ob ſeveritatem Senatus vicem ſuam conqueſtus eſt: *quod ſibi ſoli non liceret, amicis quatenus vellet, iraſci*, *Suet.* 66. Periit ætatis anno 40. aut 43. ut in Hieron. & Euſebio varie ſcriptum eſt: U. C. 728., ante obitum Virgilii 7. Multis carus, Pollioni imprimis, itemque Ciceroni, ut colligitur ex epiſtolis Pollionis ad Ciceronem, quæ habentur apud ipſum Ciceronem *Famil.* l. 10. 31. & 32. Virgilio certe cariſſimus: qui ejus etiam laudes celebraſſe dicitur quarto Georg. libro: unde poſt ejus necē Auguſti juſſu ſublatæ ſunt, & earum in locum

Ari-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ariſtæi fabula ſubſtituta. Quod mihi tamen veriſimile non videtur; ita belle Ariſtæi fabula cum reliquis libri partibus & argumento cohæret.

Poeta fuit. Scripſit de Lycoride ſua, forte elegiaco carmine, libros quatuor: quo in genere Tibullo & Propertio durior fuiſſe dicitur a *Quint.* l. 10. 1. Transtulit præterea bucolicis verſibus aliquid ex Euphorione, poeta Chalcidenſi, ut probamus *Ecl. hac* 10. 50. & *Ecl.* 6. 72. Perierunt omnia. Illas enim ſex elegias, quæ ejus nomine circumferuntur, opus inſcitum & barbarum, plane conſtat Maximiani cujuſdam eſſe recentioris nebulonis: ubi præter errores in ſyllabarum quantitate bene multos, & ineptam, minimeque Latinam verborum ſtructuram, accedit illud præterea, quod in iis Gallus ſenem ſe profiteatur, qui tamen firma adhuc ætate deceſſit. *Gyraldus*, *Voſſius*, &c. Alia item fragmenta, quæ ab Aldo Manutio juniore reperta Venetiis, & edita ſunt, etſi minus inſulſa, tamen omnino ſuppoſititia eſſe evincit Joſ. Scaliger in opuſculis. In quo peccavit & hoc alterum Manutius, quod Gallum hunc Cornelium cum Aſinio Gallo Pollionis filio confudit, deluſus a veteribus grammaticulis Virgilianæ vitæ ſcriptoribus.

EXtremum hunc, Arethuſa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,
Carmina ſunt dicenda: neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, cum fluctus ſubterlabere Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.
Incipe; ſollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.
Non canimus ſurdis; reſpondent omnia ſilvæ.
Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere, puellæ

10. Naia-

INTERPRETATIO.

*O Arethuſa, permitte mihi hoc ultimum opus. Canendi ſunt pauci verſus* amico *meo Gallo, ſed quos ipſa Lycoris legat. Quis poſſet negare verſus Gallo? Sic ſalſa Doris non confundat ſuas e* a*s cum tuis, cum flues ſubter mare Siculum. Incipe, celebremus anxium amorem Galli, dum capellæ depreſſis naribus carpunt teneros frutices. Non cantamus ſurdis, ſilvæ referunt omnia. Quæ ſilvæ, aut qui ſaltus detinuere vos, o Nymphæ*

*Naja-*

NOTÆ.

1. *Arethuſa.* ) Fons in inſula Ortygia, quæ Siciliæ adjacet, & quartam Syracuſanæ urbis partem efficit. Alpheus autem Peloponneſi fluvius, poſtquam in mare defluxit, impermixtas dicitur ſervare aquas, & continuo lapſu in Ortygiam erumpere, per hunc ipſum fontem Arethuſam: idque ex eo probatur, quod projecta in Alpheum in Græcia, per os Arethuſæ fontis in Ortygia reddantur. Narrant vero fabulæ, Alpheum fluvium Arethuſæ Nymphæ fuiſſe amatorem; hanc fugientem, a Diana converſam eſſe in fontem, eademque fuga ſubter mare in Ortygiam emerſiſſe: Alpheum, eodem impetu conſecutum, undas ei ſuas deinde miſcuiſſe, Æn. 3. 692. Hunc fontem invocat Siculum, ut ante *Sicelides Muſas*, ob Theocritum Siculum poetam, Bucolicorum principem.

2. *Quæ legat, &c.* ) Quæ legat Lycoris, ad pudorem, quod ſe Gallo tam duram præbuerit.

4. *Sicanos.* ) Siculi ſic dicti ſunt, vel a Sicano Cyclopis filio, vel a Sicanis Hiſpaniæ populis, illam in inſulam translatis. *Sic tibi.* ) Ecl. 9. 30.

5. *Doris.* ) Oceani & Tethyos filia, Nereo fratri nupta, ex quo Nereides peperit. Hic ſumitur pro amara maris aqua, quæ dulcibus Arethuſæ & Alphei aquis non admiſcetur.

9. *Quæ nemora, aut, &c.* ) Naiades alloquitur poeta, ſive Nymphas præſides fontium, qui e Parnaſſo, Pindo, & Helicone profluunt: caſque increpat, quod ad ſolandum Galli amorem non venerint, tam multis eo advolantibus. Eſtque tacita quædam ipſius Galli reprehenſio, quod ſtudia carminum omiſerit, ut amori vacaret. De *Naiadibus*, Ecl. 2. 46.

11. *Nam neque Pindi, &c.* ) Mons in Macedoniæ, Epiri, & Theſſaliæ confinio: unde tribus his regionibus ex æquo tribuitur. Dicunt quidam eum in Phocidem & Bœotiam uſque pertinere: & in Phocide quidem *Parnaſſum*, in Bœotia *Heliconem*, ac deinde *Cithæronem* vocari. Certe montes illi quatuor, licet in longa ſpatia diffuſi, tamen fere contigui ſunt, & perinde Muſis dicati.

12. *Aonia Aganippe.* ) Bœotiæ fons, Muſis ſacer, ex Helicone monte, non procul Thebis, in Permeſſum fluvium defluens. *Aonia*, id eſt Bœotica, ab Aone Neptuni filio. Nota hic hiatum vocalium: *Aonia Aganippe.* De *myricis*, Ecl. 4. 2.

15. *Mæ-*



Naiades, indigno cum Gallus amore periret?
Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonia Aganippe.
Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ.
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt ſaxa Lycæi.
Stant & oves circum, noſtri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta.
Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit & upilio, tardi venere bubulci:
Uvidus hyberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iſte, rogant tibi? Venit Apollo.
Galle, quid inſanis? inquit: tua cura Lycoris,
Perque nives alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit & agreſti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.
Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit: amor non talia curat.
Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.
Triſtis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,

Mon-

*Najades, cum Gallus deficeret præ amore indigno? Neque enim ulla culmina Parnaſſi aut Pindi, neque Aganippe Bœotica vos retardaverunt. Illum etiam lauri, illum etiam myricæ ploraverunt. Mænalus etiam abundans pinis, & rupes gelidæ Lycæi ploraverunt illum, ſtratum ſub deſerta rupe. Oves quoque circumſiſtunt, neque contemnunt nos. Nec tu contemnas gregem, o divine poeta: ipſe pulcher Adonis pavit gregem circa fluvios. Venit quoque cuſtos ovium: venerunt lenti cuſtodes boum, venit Menalcas madefactus e* collectione *glandium hybernarum. Omnes petunt, unde ſit tibi amor ille. Venit Apollo: Galle, ait, cur deſipis? Lycoris, amica tua, ſecuta eſt alium per nives, & per caſtra horribilia. Venit quoque Silvanus cum ruſtica corona capitis, quatiens ferulas florentes & magna lilia. Venit Pan Deus Arcadiæ, quem ipſi conſpeximus rubicundum minio & ſanguineis baccis ebuli. Quis erit finis, ait* Pan? *Amor negligit iſta: nec durus amor ſatiatur fletu, nec herbæ rivis, nec apes cytiſo, nec capellæ foliis. At Gallus mœſtus ait: Tamen, o Arcades, ſoli docti canere*

*Ar-*

NOTÆ.

15. *Mænalus, &, &c.* ) *Mænalus*, & *Lycæus* Arcadiæ montes, Pani ſacri. Unde & *Lycæa* feſta, ejus in honorem ibi a paſtoribus inſtituta: quæ *Lupercalia* Latinis dicta; inter quos inducta ſunt ab Evandro, Arcadiæ rege, cum in Italiam profugiſſet.

18. *Adonis.* ) Filius Cinyræ Cypriorum regis, & Myrrhæ ejus filiæ: quem Venus in deliciis habuit. Is dum in *Idalii*, montis Cyprii, nemore venaretur, apri dente percuſſus interiit: a Venere multis lacrymis defletus. Hujus mentionem facit poeta ad Galli ſolatium, ut is meminerit, ne ipſam quidem amoris Deam Venerem in amore felicem. Tum amatores adhibet Deos: Apollinem, qui Daphnen; Pana, qui Syringa; Silvanum, qui Cypariſſum amavit: qui omnes parum feliciter amaverunt, Daphne in laurum, Syringe in arundinem, Cypariſſo in arborem cognominem transformatis.

19. *Upilio.* ) Pro *opilio*: o brevi in *u* longum, metri cauſa, mutato. Et antiqui *opes* dixere, quas poſteri *oves*.

24. *Silvanus.* ) Deus τῆς ὕλης: ὕλην autem alii *ſilvam* interpretantur, unde ſilvarum Deum hunc fecere; alii *fæcem* omnium elementorum, ſeu quam dicunt Peripatetici *materiam primam*, ex qua omnia conſtant. Quare eumdem eſſe volunt cum Pane, qui totius naturæ Deus eſt, ut diximus Ecl. 2. 31. πᾶν enim eſt *omne*, & ὕλη, *omnium materia*. Diſtinguuntur tamen Silvanus & Pan, G. 1. 17. & 20. *Agreſti honore.* Corona e foliis agreſtibus.

25. *Ferulas.* ) Ferula, planta eſt affinis fœniculo; cujus caulem, leviſſimum & dura cute munitum, ſenes aſſumebant in baculos; narthex a quibusdam dicitur, *ferule.*

27. *Ebuli baccis.* ) Ebulum, *de l'hieble*, herba aut virgultum affine ſambuco, *du ſureau.*

*Minioque.* ) Minium, *du vermillon*, materies eſt foſſilis, vel e propriis venis, vel ex argenti vivi fodinis erui ſolita: præſertim in Hiſpania; circa fluvium, qui *Minius* appellatur, *Minho*, Gallæciam a Luſitania dividens. Hoc colore ſimulacra Deorum, Jovis præcipue, liniebantur: Camillus vultu quoque miniato triumphavit.

30. *Nec cytiſo.* ) Ecl. 1. 79. De *Arcadibus* Ecl. 4. 58,

33. *Quam*

Montibus hæc veſtris: ſoli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!
Certe ſive mihi Phyllis, ſive eſſet Amyntas,
Seu quicumque furor, ( quid tum, ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra )
Mecum inter ſalices lenta ſub vite jaceret.
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori:
Hic nemus; hic ipſo tecum conſumerer ævo.
Nunc inſanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adverſos detinet hoſtes.
Tu procul a patria ( nec ſit mihi credere ) tantum
Alpinas, ah dura, nives, & frigora Rheni
Me ſine ſola vides. Ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas!

50 Ibo,

*Arcades, canetis hæc veſtris montibus. O quam placide tunc quieſcent mea oſſa, ſi quondam veſtra tibia reſonat meos amores! & utinam fuiſſem unus e vobis, aut cuſtos veſtri pecoris, aut putator maturorum racemorum. Certe ſive amaſſem Phyllida, ſive Amyntam, ſive quemcumque* alium, (*quid refert utrum Amyntas ſit niger? & violæ ſunt nigræ, & vaccinia nigra*) *recumberet* ille *mecum ſub vite flexuoſa inter ſalices. Phyllis colligeret mihi flores, Amyntas caneret. O Lycori, ſunt hic fontes frigidi & amœna prata, & ſilvæ; hic traducerem tecum omnem ætatem. Nunc ſtultus amor me retinet inter media tela & infeſtos hoſtes, in armis feri Martis. Tu, o crudelis, longe a patria ( utinam liceret mihi id non credere ) ſola ſine me vides tantummodo nives Alpium & glaciem Rheni. Ah ne te vulneret gelu! Ah ne glacies acuta tibi vulneret delicatos pedes!*

Ibo,

NOTÆ.

33. *Quam molliter oſſa &c.*) Superſtitioſe timebant veteres ne mortuorum corpora ſuperjectæ terræ pondere gravius premerentur: quare levem & contritum pulverem ſere tumulo injiciebant, hac verborum formula: *ſit tibi terra levis*.

38. *Seu quicumque furor.*) *Amor*, in quo ſæpe multum dementiæ & furoris eſt. Et vero ea, quæ ſequuntur, ſpeciem habent dementiſſimi amoris. Namque inops conſilii, modo vota facit pro ea, cujus faſtidia expertus eſt: *Ah! ne te frigora lædant, &c.* modo ad poeſim & muſicam, modo ad ſilvarum ſilentium, modo ad venationem, quaſi ad totidem amoris diverticula & remedia confugit: mox in furorem relapſus, immedicabilem ſuum eſſe amorem profitetur. De *Phyllide*, Ecl. 3. 76. De *Amynta*, Ecl. 2. 35. De *vacciniis*, Ecl. 2. 18.

44. *Nunc inſanus amor, &c.*) Senſus eſt: Hic, ſi tibi liberet, ambo quieti & ſecuri viveremus; nunc propter duritiem tuam ambo miſeri ſumus. Amor enim meus cogit me præ deſperatione bellicis periculis caput meum exponere, quod ita vile tibi ac deſpicatum eſt. Te interim alienus amor rapit in regiones aſperas, alieno tempore, difficili itinere.

46. *Nec ſit mihi credere.*) Nec liceat mihi, nec poſſim. Sic Æn. 8. 676. *Actia bella cernere erat*. Horat. Epod. 17. 25. *Neque eſt levare tenta ſpiritu præcordia*. Hauſta e Græcis fontibus locutio, apud quos ἔστι ſignificat *licet*, Sic Homerus Odyſſ. 11. 157. τὸν οὔ τοι ἔστι περῆσαι, *quem non licet tranſmittere*.

*Tantum.*) Tribus præcipue modis explicatur. I. Ita ut ſit nomen & referatur ad *credere*; Utinam liceat non credere *tantum*, id eſt, rem tantam tamque indignam. II. Ita ut ſit adverbium, & referatur ad *ſit*; Utinam *ſit tantum*; utinam liceat *tantum* hoc non credere. Quaſi dicat; non peto ut Lycoris non ſit perfida, ſit ita ſane; ſed peto ut liceat mihi *tantummodo* id non credere. III. Ita ut ſit adverbium, & referatur ad ſententiam ſequentis verſus: Vides *tantummodo* nives & frigora, *&c.* Prima explicatio infirmior, ſecunda ſubtilior, tertia facilior.

47. *Alpinas, &c.*) Alpes, excelſi montes, qui Italiam a Gallia Germaniaque diſterminant, multis dictæ nominibus, pro varia regionum, quibus adjacent, ratione. Sunt enim *Alpes* maritimæ, Cottiæ, Grajæ, Pœninæ, Rhæticæ, Tridentinæ, *&c.* Ex his multi oriuntur fluvii celeberrimi, Padus, Ticinus, & Atheſis, *il Po, il Teſino, e l'Adige*, qui in Italiam; Rhodanus, *il Rodano, fiumi noti*, qui in Galliam; Rhenus, qui in Germaniam devolvitur.

*Rheni.*) Fluvii Europæ poſt Danubium celeberrimi, qui antiquus Galliæ & Germaniæ terminus fuit, a fontibus ad oſtia. Fontes

ejus



Ibo, & Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculi modulabor avena.
Certum eſt in ſilvis, inter ſpelæa ferarum,
Malle pati, teneriſque meos incidere amores
Arboribus: creſcent illæ, creſcetis amores.
Interea mixtis luſtrabo Mænala Nymphis,
Aut acres venabor apros: non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.
Jam mihi per rupes videor lucoſque ſonantes
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula: tanquam hæc ſint noſtri medicina furoris,
Aut Deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Jam neque Hamadryades rurſum, nec carmina nobis
Ipſa placent: ipſæ rurſum concedite ſilvæ:
Non illum noſtri poſſunt mutare labores,
Nec ſi frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniaſque nives hyemis ſubeamus aquoſæ:

Nec

Ibo, & *canam fiſtula Siculi paſtoris* ea, *quæ verſibus traduxi e Chalcidenſi* poeta. *Ratum eſt, me malle pati inter nemora & ſpeluncas belluarum, & meos amores inſcribere teneris arboribus; creſcent illæ, creſcetis, o amores. Interea circuibo Mænalum* montem cum *ſociis Nymphis, aut perſequar fortes apros; nulla frigora prohibebunt me cingere canibus ſilvas Parthenii* montis. *Jam fingo mihi, me vagari per montes & nemora reſonantia: juvat vibrare arcu Parthico ſagittas Cretenſes; veluti hæc omnia eſſent remedium inſaniæ meæ, aut* quaſi *ille Deus diſceret placari miſeriis hominum. Nunc iterum neque Hamadryades, neque verſus ipſi nobis arrident: Valete iterum*, vos *ipſa nemora. Noſtræ curæ nequeunt flectere amorem, ne* ſic quidem, *ſi media hyeme potaremus* aquam *Hebri, & toleraremus Thracias nives hyemis humidæ;*

NOTÆ.

ejus duo in Alpibus, apud Rhætos occidẽtales, *i Grigioni*. Oſtia plurima, quibus in Oceanum influit. Mirum tamen eſt, tantæ famæ fluvium ad mare non perferre nomen. Nam ubi ad arcem Skinkiam, quæ caput eſt inſulæ Bataviæ, duas diviſus eſt in partes, Vahalim, & Rhenũ, unde *bicornis* appellatur; mox varios deinde ſcinditur minores in alveos, quorum minimo Rheni permanet nomen; ſed is ad Lugdunum Batavorum, *Leyden*, antequam ad Oceanum pervenerit, inter arenas exhauritur.

50. *Ibo.*) Vagabor hinc atque hinc. Vel abibo hinc, deſeram caſtra, & ſilvis abditus carmina modulabor. *Chalcis* urbs eſt Eubœæ inſulæ, quæ Chalcia quoque vocata eſt. Eubœa porro Bęotię continenti dicitur olim adhæſiſſe; ab ea nunc Euripo diſtincta, tam anguſto, ut aliquando ponte tranſmiſſus fuerit. Ex illa inſula oriundus Euphorion, Antiocho Magno Syriæ regi percarus, ejuſque bibliothecæ præfectus: poeta nobilis, ſed, juxta Ciceronẽ, obſcurus: cujus opera in deliciis fuiſſe Tiberio Cęſari memorantur: ex quibus aliqua Latinis verſibus expreſſiſſe diximus hunc Gallum, Ecl. 6. 72.

51. *Paſtoris Siculi.*) Theocriti, poetæ Siculi, ſtylo. Non igitur elegiæ fuerunt, ut putat Probus: neque enim elegiæ potuerunt Theocriti ſtylo componi; ſed aliquid bucolicis Idylliis affine.

53. *Malle pati.*) Supple, quam Lycorida in poſterum ſequi, atque ita deperire.

55. *Mænala.*) Montem Arcadiæ, Ecl. 8. 21.

57. *Parthenios.*) *Parthenius* item Arcadiæ mons, ubi virgines venari ſolebant: unde nomen a παρθένος *virgo*.

59. *Libet Partho, &c.* Species pro genere, arcus Parthicus & ſagittæ Cydoniæ, pro quolibet arcu & quibuslibet ſagittis. Parthi enim & Cydones arte ſagittandi celebres: Æn. 12. 858. *Parthus ſive Cydon telum immedicabile torſit*. De *Parthis*. Ecl. 1. 63. *Cydon* urbs fuit in Creta inſula. *Cornu* dixit, pro arcu e cornea materia fabricato.

62. *Jam neque Hamadryades.*) De iis Ecl. 2. 46. Hic incipit Gallus remediorum & conſiliorum ſuorum inanitatem agnoſcere, ſeque amori victum tradere.

63. *Concedite ſilvæ.*) Idem quod antea dixerat: *Vivite ſilvæ.*) Ecl. 8. 58.

65. *Hebrumque.*) Fluvium Thracię maximum, hodie *Marizza*; arenas olim aureas volventem. In Ægeũ mare influit: ortus ex Rhodope monte, qui cum Hęmi pars quibuſdam videatur, ab iis idcirco dicitur Hebrus ex Hemo profluere.

66. *Sithoniaſque nives.*) Sithonia pars eſt Thraciæ: vergens, vel in Pontum Euxinum, juxta Solinum; vel in oram Macedonicam Ægei maris, juxta alios. Thracia frigida & nivoſa eſt, propter altiſſimum montem Hæmum, quo dividitur.



68. Æthio-

Nec ſi, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.
Omnia vincit amor; & nos cedamus amori.
Hæc ſat erit, Divæ, veſtrum ceciniſſe poetam,
Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit hibiſco,
Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.
Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbræ.
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

ne ſic quidem, *ſi paſceremus oves Æthiopum ſub ſidere Cancri*, cum intimus *cortex exſiccatus areſcit in ulmo excelſa. Amor ſuperat omnia; nos quoque cedamus amori. O Divæ Muſæ, ſufficiet veſtrum poetam cantaviſſe iſta* carmina, *ſedendo, & conficiendo calathum ex hibiſco tenui: vos efficietis, ut iſta* videantur *Gallo maxima: Gallo, erga quem amor meus tantum creſcit ſingulis horis, quantum alnus virens attollit ſe ineunte vere. Surgamus: umbra ſolet eſſe noxia canentibus*; præſertimque *noxia* eſt *umbra juniperi: umbræ quoque nocent frugibus. Ite, ite domum, o capellæ ſaturatæ: Veſper imminet.*

## NOTÆ.

68. *Æthiopum.*) Æthiopia regio Africæ vaſtiſſima, Ægypto finitima: quam Nilus quoque fere mediam, ut & Ægyptum, interfluit, *il Paeſe degli Abiſſinj.* Tota zonæ torridæ ſubjecta eſt, a tropico Cancri ultra æquatorem porrecta. Virgilius ergo *ſidus Cancri* dixit, pro tropico Cancri; & tropicum pro zona ipſa torrida, cujus terminus eſt ad ſeptentrionem. *Cancer* ſignum eſt in ea parte cœli, quam ubi Sol attigit, exeunte Junio, tum æſtatem nobis calidiſſimam, dieſque longiſſimos efficit. De *zonis* & *tropicis* G. 1. 233. De *hibiſco*, Ecl. 2. 30.

74. *Se ſubjicit alnus.*) Se ſuperjicit, ſe attollit. Vide Ecl. 1. 46. *Alnus*, *alno*, arbor aquoſis locis gaudens.

75. *Gravis cantantibus umbra.*) Imo gratiſſima: præcipue juniperi, *ginepro*, quæ arbor & odora eſt, & nihil venenatum patitur, & adverſus aeris vitia comburi ſolet. Sed ſignificat diuturniorem in umbra moram nocere canentibus poſſe propter frigus. Unde quidam legunt *cunctantibus*, non *cantantibus*. De *Heſpero*, Ecl. 6. 86.

FINIS BUCOLICORUM.





# ARGUMENTUM IN GEORGICA.

GEORGICORUM *nomen, a* γεωργὸς agricola: *hoc autem a* γαῖα *vel* γῆν terra & ἔργον opus. *Traduntur hoc opere præcepta de agricultura, quatuor libris. I. De aratione. II. De plantatione. III. De paſtione cultuque pecorum. IV. De apibus & mellatione. Eaque omnia naturæ accommodantur Italici ſoli, præſertimque Veneti, in quo Mantua fuit. Ducem in eo genere ſecutus eſt Virgilius Heſiodum Aſcræum ex Bœotia, de quo diximus Ecl. 6. 70. Cujus librum, inſcriptum* ἔργα καὶ ἡμέραι, opera & dies, *longe & copia & elegantia ſuperavit. Cœptum eſt opus anno circiter U. C. 717. Virgilii 32. aut 33. & ſeptennio perpolitum.*

*Mæcenas, cui Georgica inſcripta ſunt, primos in Octaviani gratia tenuit cum Agrippa gradus. Genere Tuſcus, ex antiquis Etruriæ regibus: quorum poſteri, poſt multas gentis clades, Romanam in civitatem admiſſi, equeſtri dignitate vixerunt. Eruditos complexus eſt, imprimis Virgilium & Horatium; adeo parum cupidus, ut qui cæteris magiſtratibus imperabat, ipſe equeſtri ordine, & urbis atque Italiæ præfectura contentus vixerit. Adhibitus ab Octaviano cum Agrippa in conſilium de imperio deponendo, retinendum perſuaſit. Secta Epicureus fuit, in veſtitu, inceſſu, ſupellectili, conviviis, ipſaque dictione mollior ac remiſſior. Scripſit Prometheum & Octaviam tragœdias, carminum libros decem, ſoluta oratione commentarios de rebus ab Auguſto geſtis, item de animalibus & gemmis dialogos; omnia periere. Deceſſit anno U. C. 746. C. Martio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Coſſ. Triplex eſt apud eruditos de ejus nomine controverſia. I. Quodnam ipſius nomen fuerit? Lambinus in* Vipſaniam *gentem inducit, ſed eum confundit cum Agrippa, cujus certe gentile nomen hoc fuit: Paulus Manutius in* Ciniam: *Glandorpius in* Heliam: *Muretus in* Aquiliam; *omnes aut levibus aut falſis conjecturis. Maxima & optima pars, Turnebus, Lipſius, &c. in* Cilniam, *quæ gens erat Aretinæ urbis in Etruria. II. Unde cognomen* Mæcenatis? *Inſulſe deducit Becmannus ab ejus moribus, quod eſſet* μὴ κοινὸς, non communis; *aut* μὴ καινὸς, non novus: *nam & Græci nunquam negativis nominibus* μὴ, *ſed privativum* α *præfigunt: & Varro l. 7. de L. L. a loco dictum teſtatur. Eſt igitur a mediterraneo quodam Etruriæ oppidulo, Cæſenæ vicino, qua in ora Plinius vina Cæſenatia ſimul & Mæcenatia commendat, lib. 24. 6. III. Quomodo prima & media cognominis ſyllaba pingenda ſit? Certe media per e longum, quia Græce vulgo per* η *legitur. Prima vel per* æ, *vel* œ: *quia in veteribus cod. utroque modo reperitur; per* æ *frequentius. Igitur nomen integrum fuit,* CAIUS CILNIUS MÆCENAS.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# P. VIRGILII MARONIS
# GEORGICON
## AD
## C. CILNIUM MÆCENATEM
## LIBER PRIMUS.

### ARGUMENTUM.

*CONTINET hic liber propoſitionem totius operis, ejuſque diviſionem quadruplicem. Tum ſequitur Deorum invocatio, quotquot ruſticæ præſident rei, quos inter Octaviano Cæſari locus tribuitur: novo ſane illis temporibus adulationis exemplo; quo deinde Lucanus in Pharſaliæ, & Statius in Thebaide, ad laudem Neronis & Domitiani immodeſtius abuſi ſunt. Atque hæc exordio comprehenduntur. Liber vero ipſe ſex habet partes. I. Multiplicem agri colendi rationem, juxta variam ejus naturam. II. Agriculturæ originem. III. Agricolarum inſtrumenta. IV. Ruſticorum operum tempora. V. Tempeſtatum prognoſtica. VI. Digreſſionem ad varia prodigia, quæ cædem Julii Cæſaris aut præceſſerunt, aut ſubſecuta ſunt. Denique Epilogi loco, Deos pro incolumitate Octaviani, & pro ſalute populi Romani precatur. Tamen ex iis, aliorumque librorum præceptis, non pauca obſolevere contrario uſu poſteriorum temporum, noſtrorum imprimis, quæ multa, ut artibus cæteris, ita huic quoque addidere.*

QUID faciat lætas ſegetes: quo ſidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmiſque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam. Vos, o clariſſima mundi

Lumi-

### INTERPRETATIO.

*O Mæcenas, ordiar ſcribere deinceps, quænam res efficiat meſſes copioſas; quo tempore oporteat arare tellurem, & vites alligare ulmis; quæ ſit cura boum; quæ diligentia ſit* neceſſaria, *ut habeatur pecus; & quanta induſtria, ut alantur apes frugales. O vos mundi ſplendidiſſima ſidera*

### NOTÆ.

1. *Quid faciat.*) Quatuor his verſibus diſtinguitur cultura quadruplex, *terræ*, *arborum*, *pecorum*, *apum*: quæ ſingulæ ſingulis libris explicantur: eſtque partitio totius operis.

3. *Qui cultus habendo &c.* Ibi ſupprimitur, *aptus*, *par*, *neceſſarius*, aut aliquid ſimile, quod dativum regat; ut apud Cicer. ad Att. l. 13. Ep. 20. *Solvendo non erat*: Apud Plin. *Radix eſt veſcendo*.

4. *Apibus quanta, &c.*) Præter interpretationem jam traditam afferri poteſt hæc altera: Dicam quæ ſit apum experientia, prudentia, ingenium, ars quædam, non uſu quidem comparata, ſed ingenita.

5. *Clariſſima mundi Lumina, Liber, &c.*) Liberum & Cererem appellat mundi lumina, annique ductores. Vel quia præſides & repertores habentur meſſis & vindemiæ, quæ præcipuæ ſunt anni partes, & præcipua mundi ornamenta, unde cibus hominum & potus exi-



Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres; veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis:
Et vos, agreſtum præſentia numina Fauni,
Ferte ſimul Faunique pedem Dryadeſque puellæ:
Munera veſtra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune; & cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci:
Ipſe nemus linquens patrium, ſaltuſque Lycæi,
Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis o Tegeæe favens: oleæque Minerva
Inventrix, uncique puer monſtrator aratri:

Et

*ſidera, quæ præſidetis anno currenti per cœlum: Bacche, & Ceres nutrix* hominum: *ſi homines veſtro beneficio reliquerunt glandes Dodonæas* pro *frumento pingui, & miſcuerunt aquam Acheloi* cum *vino reperto. Et vos, o Fauni, Dii propitii ruſticis: adeſte, o Fauni, una cum Dryadibus Nymphis. Canto veſtra dona. Et tu, cui terra adhuc recens produxit equum ferocem, icta magno tridente, o Neptune: & tu, qui coluiſti* loca *ſilveſtria, cui trecenti boves candidi carpunt frutices fertiles* inſulæ *Cææ. Tu ipſe, o Pan Tegeæe, protector ovium, ſi curas Mænalum tuum, adeſto propitius, relinquens nemus patriæ & ſilvas Lycæi: Et tu, o Pallas, repertrix olivæ: Et tu, o puer, auctor unci aratri.*

Et

### NOTÆ.

exiſtit: Vel quia per eos Lunam & Solem ſignificat. Et vero Prætextatus apud Macrob. l. 1. c. 18. fuſe probat *Solem*, non Liberum & Dionyſium dumtaxat, ſed & Jovem, & Martem, & Mercurium, & Herculem ipſum eſſe; *Liberum* vero dici, quod *libere vagetur*. Lunam item addit, ipſam eſſe *Cererem*: Cujus nomen aliqui deducunt a *creando*, quod ad rerum productionem plurimum valeat. De *Libero*, Ecl. 7. 58. De *Cerere*, Ecl. 5. 79.

8. 9. *Chaoniam glandem, &c. Acheloia pocula, &c.*) Species pro generibus: primi enim hominum glande ad paſtum, aqua ad potum uſi ſunt. Celebris autem fuit inter ſilvas glandiferas Dodonæa, in Epiro ſive Chaonia: de qua Ecl. 9. 13. Sicut inter fluvios Achelous in Ætolia; ſive quia primus e terra erupit, ſive quia ejus in ripa primæ vineæ ſunt conſitæ ab Oeneo Ætoliæ Rege, qui ex uva a Staphylo patre ſuo reperta liquorem expreſſum, Libero patri, apud ſe tum diverſanti, cum obtuliſſet, ab eodem colendæ vitis accepit modum.

10. *Fauni.*) in argumento Ecl. 6.

11. *Dryades.*) Ecl. 2. 46.

12. *Prima tellus.*) Vel recens formata. Vel litoralis, quomodo G. 2. 44. *Primi lege litoris oram*. Vel Attica, quia Athenienſes hominum ſe primos & antiquiſſimos eſſe jactabant.

14. *Neptune.*) Fuit Opis & Saturni filius, Jovis & Plutonis frater, cui in mundi diviſione maris imperium obtigit. Uxorem habuit Amphitriten Nerei vel Oceani filiam. Equos domuiſſe primus dicitur: unde fabulantur poetæ, cum lis inter eum & Minervam orta eſſet de tribuendo Athenis nomine, placuiſſetque Diis, ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus hominibus utilius dediſſet: Neptunum percuſſo litore equum, bellicum animal, produxiſſe; Minervam haſta impacta olivam, pacis inſigne, procreaſſe: victoriamque Minervæ fuiſſe adjudicatam. Neptuni inſigne *tridens*, ob tres orbis antiqui partes, quæ mari ambiuntur. Hoc loco invocatur, non quidem ut maris Deus: ſed ut equorum auctor, de quibus lib. 3. multa dicenda ſunt.

*Cææ.*) Cæa, inſula maris Ægei, Cycladum una; quam relictis Thebis occupavit Ariſtæus, poſt laniatum a canibus Actæonem filium, ob viſam in lavacro Dianam. Is Apollinis filius fuit ex Cyrene, filia Penei Theſſaliæ fluminis: rivalis Orphei in amore Eurydices: apum & mellis uſum invenit, lactiſque coagulum: unde hic invocatur. Plura vide, G. 4. 317.

17. *Tua ſi tibi, &c.*) Senſus eſt: ſi curas Mænalum, Lycæum, & reliquos Arcadiæ tuæ montes, & ſilvas, loca illa nunc relinque, ut mihi de re paſtoritia, & arborea dicenti præſens adſis: his enim locis & honorificus & utilis erit ſermo meus. De *Pane* Ecl. 2. 31.

18. *Tegeæe.*) Non *Tegeæe*, ut quidam legunt. Conſtat enim *Tegea* urbs Arcadiæ, Pani ſacra, brevibus ſyllabis, *Τεγέα*: unde adjectivum *Tegeæus*.

19. *Uncique puer, &c.*) Vel Oſiris, apud Ægyptios aratri inventor, vel potius Tripto-

li-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupreſſum.
Diique Deæque omnes, ſtudium quibus arva tueri;
Quique novas alitis nonnullo ſemine fruges;
Quique ſatis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura Deorum
Concilia, incertum eſt, urbiſne inviſere, Cæſar,
Terrarumque velis curam: & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempeſtatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant: tibi ſerviat ultima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,
Qua locus Erigonen inter, Chelaſque ſequentes
Panditur: ipſe tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli juſta plus parte reliquit.
Quicquid erit; ( nam te nec ſperent Tartara regem, Nec

*Et tu, o Silvane, portans a radice teneram cupreſſum. Et vos, o Dii & Deæ omnes, qui habetis curam protegendi agros; ſeu qui ſuſtentatis novas fruges aliquo ſemine: ſeu qui effunditis e cœlo pluviam copioſam in ſegetes. Et tu præcipue, o Cæſar, quem dubium eſt quinam cœtus Deorum deinde accepturi ſint: an velis perluſtrare urbes, &* ſuſcipere *curam terrarum; an totus orbis agnoſcat te parentem frugum, & rectorem temporum, coronans tuum caput myrto matris tuæ; an evadas Deus vaſti æquoris, & nautæ adorent tuam ſolam potentiam, tibique Thule ultima* inſularum *pareat; & Tethys te comparet ſibi generum omnibus aquis. An vero te adjungas* quaſi *novum aſtrum pigris menſibus, qua patet ſpatium inter Virginem & brachia* Scorpii illam *ſequentia. Ipſe Scorpius ardens jam conſtringit pro te brachia, & ceſſit* tibi *de cœlo plus* quam *juſtam partem. Quicunque Deus eris, ( nam neque inferi ſperent te* ſibi *regem,* *neque*

N O T Æ.

lemus, Celei *Eleuſinæ* urbis in Attica regis filius: quem adhuc puerum nutrivit Ceres, apud patrem excepta hoſpitio, dum Proſerpinam inquireret; cum deinde grandiorem factum agriculturam edocuit; impoſitumque ſuo curru, quem alati ſerpentes trahebant, miſit per totum orbem, ut uſum frumentorum hominibus indicaret. Eleuſini incolæ, beneficii memores, Cereri ſacra inſtituerunt.

20. *Silvane, cupreſſum.*) Ob memoriam Cypariſſi pueri: qui Silvano, aut juxta alios Apollini dilectus, cum ex dolore occiſæ a ſe per errorem cervæ, quam habebat in deliciis, extabuiſſet, ab amatore Deo in cupreſſum arborem eſt converſus. De *Silvano* Ecl. 10. 24.

22. *Quique novas alitis, &c.*) Senſus eſt: Vel qui jacta ab hominibus frugum ſemina, occulto quodam ſemine, pluvia, rore, alitis: juxta Servium. Vel qui novas fruges, novo aliquo invento ſemine, producitis, juxta Cerdanum. Vel qui ſingulas frugum ſpecies conſervatis, relicto ſemper aliquo ſemine, in conſequentem annum ſuperſtite, quo renoventur. Legit N. Heinſius, *non ullo ſemine*; & ſenſus hic eſſe poteſt. Qui novas fruges produxiſtis primum ſine ullo ſemine.

25. *Urbiſne inviſere, &c.*) Multi *urbis* agnoſcunt in genitivo caſu. Sed vix puto Latine dici, *inviſere curam urbis*; & præterea Probus Valerius apud Gellium l. 13. 20. *urbis* eſſe vult in accuſativo caſu, pro *urbes*: & utrumque fuiſſe olim in uſu, ut *turrim & turrem*. Unde & plerumque legitur *urbeis*, ancipiti pronunciatione. Igitur *urbes*, vel *urbis* in accuſativo accipio, hoc ſenſu, *an velis curam terrarum, & inviſere urbes*. Quod ne barbare dictum cuipiam videatur, firmabitur hac Horatii locutione plane ſimili, Od. l. 1. 2. 49. *Hic magnos potius triumphos, Hic ames dici pater atque princeps.*

28. *Materna myrto.*) Dicata Veneri, matri Æneæ; unde genus ducis. Ecl. 9. 46. De *Myrto*, Ecl. 2. 54.

30. *Thule.*) Terrarum ultima, quas antiqui noverint, & maxime ſeptentrionalis verſus occidentem. Ortelius putat eſſe tractum illum Norvegiæ, quem incolæ *Tilemark* appellant. Cambdenus *Schetlandias* inſulas Oceani Caledonii, ſub ditione regis Daniæ, quas nautæ dicunt *Thyleaſel*. Cæteri *Iſlandiam*, ejuſdem ditionis maxime Borealem inſulam; ubi mons eſt nive perpetua opertus, flammis æſtuans.

31. *Tethys emat.*) Tethys Ecl. 4. 32. Alluſum putat Servius Danielis ad ritus Romanos, juxta quos conjugia tribus fiebant modis; uſu, farre, & coemptione: uſu, cum aliquo tẽpore ſimul conjuges fuerant; farre, cum per Flaminem Dialem aut Pontifice, ſparſo farre ſive mola ſalſa, conjungebãtur; coemptione, cum ſe ſub certa verborum formula interrogabant, vir mulieré, an *ſibi*



Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elyſios miretur Græcia campos,
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem )
Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis:
Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes,
Ingredere, & votis jam nunc aſſueſce vocari.
Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit,
Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.
Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit:
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.
At prius ignotum ferro quam ſcindimus æquor,
Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum:
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet. Hic

*neque tam inſana cupiditas regnandi veniat tibi; etſi Græcia admiretur campos Elyſios, etſi Proſerpina non curet ſequi matrem,* a qua *repoſcitur) Præbe iter facile, fave conſiliis audacibus; & ingredere mecum* viam, *miſeratus ruſticos inſcios viæ, & jam nunc aſſueſce invocari per vota. Principio veris, cum humor nivoſus liqueſcit e montibus candidis, & gleba emollita diſſolvitur Zephyro: tunc ſtatim aratro* alte *impreſſo incipiat mihi taurus gemere, & vomer ſulcando tritus fulgere. Illa tandem ſeges complet deſideria cupidi agricolæ, quæ bis æſtatem, & bis hyemem paſſa eſt: ampliſſimæ meſſes illius* agricolæ *rumpunt horrea. Sed antequam aremus ferro campum incognitum, cura ſit prænoſſe ventos, & diverſam cœli rationem, & propriam culturam, naturamque terrarum: & quid unaquæque regio producat, & quid unaquæque neget.* Hic

N O T Æ.

*ſibi materfamilias eſſe vellet*; uxor virum, *utrum ſibi paterfamilias eſſe vellet, &c.*

32. *Tardis te menſibus addas.*) Æſtivis menſibus ſuccedas; in locum *Libræ*, inter *Virginem & Scorpium*; id eſt, in menſem Septembrem. *Tardos* vocat menſes æſtivos, quia dies menſium illorum longiores ſunt, & mora Solis in horizonte diuturnior. Unde menſes ipſi, quamquam reipſa non pigriores cæteris, tamen hominibus, qui die præſertim inter ſe agunt, longiores dici poſſunt. Adde quod civili dimenſione, dies quilibet duodecim in horas dividitur ab ortu Solis ad occaſum; nox item duodecim in horas, ab occaſu ſolis ad ortum. Unde fit, ut æſtivæ horæ per diem hybernis multo ſint longiores, per noctem breviores; Contra hyeme, diurnæ breves, nocturnæ longiores. Sic Martialis Ep. l. 12. 1. *Hora nec æſtiva eſt*, id eſt, longa. Et Plaut. in Pſeud. Scena ult. *Credo equidem poteſſe te, ſcelus, Maſſici montis uberrimos quatuor fructus ebibere in una hora. P. hyberna addito*, id eſt, brevi.

33. *Erigonen.*) Icari filiam, quæ caſum patris, a temulenta paſtorum Atticorũ turba occiſi, tam graviter tulit, ut laqueo ſibi vitam ademerit. Ob pietate a Diis in cœlum tranſlata, & *Virgo* dicta. Ita Hyginus. Quamquam alii ſignum illud Aſtræam putant, de qua Ecl. 4. 6.

*Chelaſque ſequentes.*) Veteres diu *Libram* ſignum ignoraverunt, medium inter *Virginem & Scorpium*: unde *Chelas*, id eſt, forfices & brachia Scorpii, dicit poeta poſt Virginem ſequi. Itaque *Libræ* loco, Scorpium in ſexaginta dividebant gradus. Ovid. M. 2. 198. *Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.*

35. *Juſta cœli, &c.*) Cedit tibi ex ea parte, quam hactenus pluſquam juſtam ac ſibi debitam obtinuit. Vel, Cedit tibi pluſquam juſtam cœli partem; id eſt, pluſquam opus ſit, ut commode ſedeas; nempe locum Libræ. Iſque locus Octaviano aſſignatur, ex Joſ. Scaligeri mente, quia natus eſt principio Libræ, ſcilicet 9. Kal. Octob. De *Tartaro*, G. 4. 482. De *Elyſiis campis*, Æn. 6. 638.

39. *Proſerpina.*) Jovis & Cereris filia, a Plutone rapta, a matre diu quæſita, & reperta impetravit a Jove, ut quotannis ſex menſibus apud ſuperos, ſex apud inferos degeret. Ait tamen poeta ſic eam Elyſii deliciis capi, ut parum ſuperos curet.

43. *Vere, &c.*) I. PARS. De *agri colendi varia ratione*. Cujus I. Præceptum eſt, *De prima aratione*. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5.

48. *Bis quæ ſolem &c.*) *Novale*, ſive *vervactum* intelligit; agrũ ſcilicet qui primo *vere actus*, id eſt, aratus, tota quieſcit æſtate; tum ſub finem autumni, ſive veris cõſequentis initio, ſementi paratur; ac deinde ſecunda æſtate fructum fert; unde bis æſtatem, & bis hyemem patitur.

50. *At prius, &c.*) II. Præceptum. *De cognoſcenda ſoli natura. Æquor.*) Terram: proprie eſt quælibet planities æqua, Æn. 2. 780.

56. *Tmo-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epirus equarum?
Continuo has leges æternaque fœdera certis
Impoſuit Natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terræ
Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni
Fortes invertant tauri: glebaſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas.
At ſi non fuerit tellus fœcunda, ſub ipſum
Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco:
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hic, ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.
Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.

Aut

*Hic ſegetes naſcuntur fertilius, illic vites: alibi fructus arborum, & herbæ ſponte virent. Nonne vides, quemadmodum Tmolus mittit* ad nos *crocum odoratum*, India *ebur*, *delicati Sabæi ſuum thus? At nudi Chalybes* mittunt *ferrum*, *& Pontus graveolentes caſtorum teſticulos, Epirus optimas equarum Olympicarum. Natura impoſuit certis locis has leges, & hæc pacta perpetua, ſtatim ab illo tempore, quo Deucalion projecit ſaxa in mundum deſertum: unde orti* ſunt *homines*, quod *eſt durum genus. Eia igitur, ſtatim a primis menſibus anni, robuſti tauri arent pinguem terræ planitiem: & æſtas ſicca torreat glebas inertes vehementi Sole. Sed ſi terra non ſit pinguis, ſufficiet eam perſtringere levi ſulco, circa ortum Arcturi. In illa* terra hoc facies, *ne herbæ noceant frugibus fertilibus; in hac, ne modicus humor deſtituat infœcundam terram. Tu idem permittes, ut novalia demeſſa requieſcant alternis* annis, *& ut ager inutilis indureſcat otio.*

*Vel*

NOTÆ.

56. *Tmolus odores.*) Mons Phrygiæ magnæ, in confinio Lydiæ; vini ferax, juxta Virgil. G. 2. 98. item croci, juxta Solinum c. 53. Unde per *croceos odores* aliqui vinum intelligunt odoris crocei: alii melius, crocum ipſum, *il Zaffarano*.

57. *India mittit ebur.*) Aſiæ regio ampliſſima; ad occidentem Indo fluvio; ad orientem Sero item fluvio; ad meridiem Oceano Indico terminata; ad Septentrionem Emodis montibus, quæ Tauri pars eſt, a Scythia ſeparata: Gange fluvio in duas diviſa partes; regnis hodie plurimis diſtincta. Elephantos alit Libycis multo majores, unde ebur, qui dens eſt Elephantinus, in India celebre.

*Thura Sabæi.*) Arabiæ Felicis populi: molles dicti, vel propter aëris clementiam, vel propter odorum copiam. Eorum enim divitiæ balſamo, caſia, myrrha, cinnamomo, thure præſertim conſtant, quod ex arbuſculis inſtar lacrymæ guttatim fluit. Apud eos ex Plinio l. 12. 17. *Non alia ligni genera in uſu ſunt, quam odorata, ciboſque coquunt thuris ligno, alii myrrhæ.*

58. *Chalybes nudi ferrum.*) Natio, vel Pontica, ad Thermodontem fluvium ex Strabone: vel Hiſpanica, ad Chalybem fluvium ex Juſtino: ferri fodinis celebrata: unde *chalybs* dictum eſt puriſſimum optimeque temperatum ferrum.

59. *Caſtorea.*) Caſtor ſive fiber, canis eſt Ponticus: ita dictus quod in Ponto frequētiſſimus: hujus teſticuli medicos in uſus expetunt: ideoque ubi ſe requiri ſentit, ut vitæ conſulat, eos avellit morſu, & venatoribus permittit. Quod tamen merito plerique falſum exiſtimant. *Caſtorea* ſunt caſtoris teſticuli. *Viroſa* dicuntur: vel a *virtute*, quia ad medicamenta adhibetur: vel a *virus*, quod mediæ ſignificationis vocabulum eſt, ut *venenum*; & modo bonam, modo malam in partem ſumitur: in bonam apud Statium Silv. l. 1. 104. *Omne benigne virus, odoriferis Arabum quod doctius in arvis*, &c. in malam paſſim apud reliquos. Hic itaque gravem odore ſignificat, qualis tribuitur a Plinio caſtoreis.

*Eliadum palmas Epirus equarum.*) *Epirus*, olim regnum, ſita inter Ionium mare, Theſſaliam, Macedoniam, & Achaiam: dicta quibuſdam, Albania inferior, equorum ferax. *Elis*, ſive *Elea*, regio Peloponneſi maritima, inter Achaiam, Meſſeniam, & Arcadiam. Cujus urbes præcipuæ *Elis*, ad Peneū; & *Olympia* in agro Piſæo, ad Alpheum fluvium, Jovis Olympii templo, ludiſque memorata, de quibus G. 3. 49. *Equarum* dixit, quia eas aliqui putant equis eſſe velociores. *Palmas equarum*, id eſt, equas victrices in Olympico curſu: quomodo Æn. 5. 339. *Nunc tertia palma Diores*, id eſt Diores tertius victor.

62. *Deu-*



Aut ibi flava ſeres mutato ſidere farra,
Unde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, triſtiſque lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſilvamque ſonantem.
Urit enim lini campum ſeges, urit avenæ:
Urunt Lethæo perfuſa papavera ſomno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola; neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arva;
Nec nulla interea eſt inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiunt: ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor;
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua ſuccus in herbas:
Seu durat magis, & venas adſtringit hiantes:

Ne

*Vel* ſaltem *converſo anno ſeminabis frumenta flaventia, illic, unde collegeris antea copioſa legumina folliculis ſtrepentibus, aut parva grana viciæ, aut tenues ſtipulas & manipulos crepitantes lupini amari. Nam ſeges lini exſiccat agrum, exſiccat* quoque ſeges *avenæ, exſiccant papavera conciliantia ſomnum oblivioſum. Attamen alternis annis facile erit* ea ſerere *: modo ne pigeat fœcundare terram pingui ſtercore, & ne* pigeat *ſpargere fœdos cineres per arva exhauſta. Ita etiam agri quieſcunt variatis ſegetibus: & interim terra*, quæ *non arata* fuerit, *non caret utilitate. Sæpe etiam utile fuit accendere agros infœcundos, & cremare leves calamos igne crepitante: ſive* quia *terra ſumit inde ſecretam virtutem, & pingue alimentum: ſive* quia *omne ejus vitium igne conſumitur, & humor nimius exſiccatur: ſive* quia *calor ille aperit plures meatus & clauſa ſpiracula, per quæ ſuccus influat in plantas novas: ſive* quia ille calor *magis indurat* terram, *& comprimit rimas apertas;*

*ne*

NOTÆ.

62. *Deucalion.*) Ecl. 6. 41.

64. *Primis menſibus anni.*) Januario & Februario. Nec obſtat, quod præcepit prius, *Vere novo*. Sic enim Columella l. 9. 2. *Neque novi veris principium ſic obſervare ruſticus debet, quemadmodum aſtrologus: ſed aliquid etiam ſumat de parte hyemis, quoniam conſumpta bruma jam intepeſcit annus, permittitque clementior dies opera moliri.*

66. *Maturis ſolibus*) *Diebus, vel Solis ardoribus.* Et *maturis* paſſive, pro activo *maturantibus*.

68. *Arcturum.*) *Arcturus* ſtella eſt primæ magnitudinis in ſigno Bootæ, prope caudam urſæ majoris: unde nomen habet ab ἄρκτος *urſa* & οὐρά *cauda*: pluvias tempeſtateſque portendit ortu & occaſu ſuo. Monet Virgilius, ut ſterilis terra leviter aretur ſub ejus exortum *coſmicum*: qui contingit juxta Columellam, circa 5. Septembris: juxta Plinium, circa 12 ejusdem menſis. Nunc tamen multo tardius, nempe non niſi initio Octobris. Exoriri autem ſtella dicitur *coſmice*, cum aſcendit ſupra horizontem noſtrum orientalem, eodem momento, quo Sol ipſe.

71. *Alternis idem, &c.*) III. Præceptum inculcat, *De novatione agrorum*, ſive *alterna ceſſatione*. Quæ lex, ſi propter ſoli anguſtias ſervari non poſſit, monet ne continuis annis frumenta ſerant, ſed alternis frumenta & legumina leviora: qualis vicia, aut lupinus. Conſulit tamen, ut a lino, & avena, & papaveribus ibi ſerendis abſtineant, niſi agri copioſa ſtercoratione reparentur.

73. *Farra.*) *Far*, puriſſimum & optimum frumenti genus.

74. *Siliqua quaſſante legumen.*) *Siliqua*, folliculus, involucrum ſeminis. *Quaſſante.*) Active, pro *quaſſata*, nimirum a vento, cujus impulſu ſiliquæ crepitant. Sic Æn. 1. 238. *Volventibus annis*, pro *volutis*. *Legumen.*) Fruges, quæ non ſecantur, ſed manu leguntur.

75. *Viciæ, triſtiſque lupini.*) *Vicia*, legumen minutis & nigrantibus in ſiliqua granis, *Veccia*. *Lupinus*, aliud legumen, *lupino*, cujus ſemina ſapore amariſſima, unde *triſtis* dicitur.

78. *Lethæo.*) Oblivioſo; a fonte inferorum *Lethe*, cujus undæ epotæ rerum omnium oblivionem inducunt; a λήθη, *oblivio*. Æn. 6. 323.

80. *Ne ſaturare, &c.*) IV. Præceptum eſt, *De ſterilitatis remediis*, quæ tria præcipue ſunt, *ſtercoratio, cinerum jactatio, glebarum cum ſtipulis incenſio*.

86. *Sive inde, &c.*) Quatuor cauſas profert hujus incendii. Ut terra novum inde alimentum concipiat, ex eorum philoſophia, qui omnia ex igne docebant procreari. Ut noxius humor exſiccetur. Ut denſitas terræ relaxetur. Ut ejuſdem raritas adſtringatur.



93. *Bo-*

Ne tenues pluviæ, rapidive potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineaſque trahit crates, juvat arva; neque illum
Flava Ceres alto nequicquam ſpectat Olympo:
Et qui, proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida ſolſtitia atque hyemes orate ſerenas,
Agricolæ: hyberno lætiſſima pulvere farra,
Lætus ager. Nullo tantum ſe Myſia cultu
Jactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.
Quid dicam, jacto qui ſemine cominus arva
Inſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenæ?
Deinde ſatis fluvium inducit, rivoſque ſequentes?
Et cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce, ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, ſcatebriſque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba,

Cum ne tenues imbres, nimiuſve ſolis ardor, vel frigus penetrans Boreæ exſiccet eum. Cæterum ille, qui rumpit raſtris glebas inutiles, aut qui trahit vimineas crates ſuper illas, valde prodeſt agris; nec flava Ceres fruſtra illum aſpicit ex alto cœlo. Valde etiam prodeſt ille, qui ducto oblique aratro proſcindit iterum tumores ſulcorum, quos excitaverat prima agri aratione; & qui aſſidue colit terram, & domat agros. O agricolæ, petite a Diis æſtatem humidam, & hyemem ſiccam; frumenta copioſa ſunt, & ager fertilis eſt, ex ſiccitate hyemali. Nullam aliam ob culturam ſic Myſia gloriatur, & ipſa Gargara admirantur ſuas ſegetes. Quid dicam de eo, qui projecto ſemine ſtatim agros exercet, & frangit globos terræ male compactæ? Poſtea inducit in agros conſitos aquam, & rivos fluentes; & cum terra exſiccata languet herbis areſcentibus, ex improviſo educit aquam ex ſummitate canaliculi inclinati; illa cadens raucum ſtrepitum movet inter lapides attritos, & ebullitionibus humectat agros aridos. Quid dicam de eo, qui, ne calami concidant ſub pondere plenarum ſpicarum, amputat ſuperfluitatem ſegetum, quando herbæ teneræ ſunt,



NOTÆ.

93. *Boreæ penetrabile frigus adurat.*) De Borea Ecl. 7. 51. *Penetrabile* paſſiva vox, active ſumpta, pro *penetrans*. Sic Æn. 10. 481. *Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum*. *Adurat.*) Vox tam frigori, quam calori attributa. Lucan. l. 4. 52. *Urebant montana nives*. Tacit. l. 13. Ann. *Ambuſti artus vi frigoris*.

94. *Multum adeo raſtris, &c.*) V. Præceptum, *De agri complanatione*. Cujus duplicem exhibet modum. Alterum per occas vel raſtros: *Arpione, o raſtello*. Alterum, per ſecundam aratri impreſſionem, qua recti ſulci ſulcis aliis oblique ductis ſubiguntur. *De Cerere*, Ecl. 5. 79.

100. *Humida ſolſtitia, &c.*) VI. Præceptum, *De exoranda a Diis commoda tempeſtate*. Commoda autem erit, ſi & æſtas opportunis pluviis mitigetur, & hyems ſiccitate frigida ac ſerena temperetur. *Solſtitia* dixit, pro æſtate. Vid. Ecl. 7. 47.

102. *Nullo tantum ſe, &c.*) Senſus eſt; Nullus cultus tantum prodeſt Myſiæ & Gargaris fertiliſſimis regionibus, quantum illa cœli temperies. *Myſia.*) Vel *Mœſia*, duplex: Europæa, quæ proprie Mœſia dicitur, inter Macedoniam, Thraciam, & Daciam, nunc *Serviam*, *Bulgariam*, & *Beſſarabiam* complexa: Aſiatica, quæ proprie Myſia, de qua hic ſermo eſt, Aſiæ minoris pars, maxime occidentalis, ad Propontidem, Helleſpontum, & Ægeum mare; Troadem undecumque ambiens, niſi qua parte Troas mari alluitur. *Gargara.*) Pars Idæ montis, & oppidum in Troade; regiones ubertate memorabiles.

104. *Quid dicam, jacto, &c.*) VII. Præceptum, *De cooperatione ſeminis*. *Cominus.*) Vulgo locum notat, quaſi *prope*, *e vicino loco*; hic tamen ſignat tempus, quaſi *ſtatim*, *ſine mora*. Et hanc quoque habere ſignificationem notat Cujacius l. 11. Obſerv. c. 39.

105. *Male pinguis arenæ.*) *Arena* ſæpe pro terra qualibet. Et vero G. 4. 291. pro limo Nili ſumitur qui pinguis eſt; *Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena*. Et G. 2. 139. dicitur; *Turiferis Panchaia pinguis arenis*. Atque ita, *male pinguis* non hic eſt, *ſterilis terra*; ſed *male*, *intempeſtive*, & *fruſtra compacta & conglobata*.

106. *Deinde ſatis, &c.*) VIII. Præceptum, *De irrigatione agri ſiccioris*.





Cum primum ſulcos æquant ſata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit, & obducto late tenet omnia limo,
Unde cavæ tepido ſudant humore lacunæ.
Nec tamen (hæc cum ſint hominumque, boumque labores
Verſando terram experti) nihil improbus anſer,
Strymoniæque grues, & amaris intuba fibris
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.
Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri:
Mellaque decuſſit foliis, ignemque removit,
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit:

Ut ſtatim atque herbæ æquales ſunt ſulcis? Et de eo, qui derivat ex terra bibula aquam illic collectam inſtar paludis? Præcipue ſi menſibus dubiis fluvius tumefactus exundat, & undique tegit omnia limo ſuperjecto: unde cavæ foſſæ fiunt madidæ tepida uligine. Tamen licet hominum & boum labores experti ſint hæc omnia, terram exercendo: præterea malignus anſer, & grues Thraciæ, & cichorea, cujus radices amaræ ſunt, nonnihil obſtant; & umbra nocet. Ipſe Jupiter colendæ terræ noluit rationem eſſe facilem: & primus ex arte verſavit terram, excitans curis hominum animos: nec paſſus eſt ſua regna languere triſti otio. Ante Jovis tempora, nulli agricolæ exercebant agros. Nec licebat quidem notare, aut definire terminis agros. Quærebant cibos in commune, & ipſa terra ſponte producebat omnia, nemine exigente. Jupiter adjunxit noxium venenum nigris ſerpentibus, & voluit lupos voraces eſſe, & mare agitari, & excuſſit mel e foliis arborum, & occultavit ignem, & ſiſtit vinum ubique fluens in rivos:



NOTÆ.

110. *Scatebris.*) Effuſionibus, ebullitionibus. *Scatebra* eſt a *ſcateo*; ut *latebra* a *lateo*; & *ſcateo* eſt *redundo*, *ex plenitudine effluo*; proprieque de fontibus dicitur, translative de aliis, ut *ſcatentem belluis pontum*. Horat. Od. 4. 27. 26. *Scatet urtica plurimis remediis*. Plin. 22. 13.

111. *Quid, qui, ne gravidis, &c.*) IX. Præceptum, *De noxia pinguedine coercenda*.

112. *Depaſcit.*) Ut calami breviores & craſſiores ſurgant, atque adeo ferendo ſpicæ oneri aptiores.

115. *Incertis menſibus.*) Veris & Autumni: quando temperies nunc ſuda, nunc pluvia, ſemper dubia eſt.

117. *Tepido ſudant, &c.*) Plerique explicant de foſſis agros dividentibus, quæ aquis implentur. Ego de cavitatibus, quæ pluviæ impetu, aut aquæ inſidentis pondere fiunt in aeris, & uliginoſo ſudore diu poſtea madent. *Tepido.*) Quia terra autumnali vernaque pluvia intepeſcit, quo tempore generantur vermiculi, &c.

118. *Nec tamen, &c.*) Enumeratio diverſarum rerum, quæ ſegetibus nocent. *Anſer* nocet, *Oca*: tum quia ex Colum. l. 8. 13. *Quicquid tenerum contingere poteſt, carpit*: tum quia ex Pallad. l. 1. 23. *Anſerum ſtercus ſatis omnibus inimicum eſt*. *Grues* nocent, quia quemadmodum aves cæteræ, ſemina deprædantur. *Strymoniæ* dictæ, quia circa Strymonem, Macedoniæ fluvium, in confinio Thraciæ, frequentes verſantur. Nocet & *Intybum*, vel *Intybus*, olus e cichoreæ genere: vel quia radicibus ſerpit latius, vel quia ab anſeribus expetitur, eoſque allicit, ex Turnebo. *Umbra* denique nocet, quia, ut monet Plinius l. 17. 12. *Aliquando nutrix, aliquando noverca eſt*.

121. *Pater ipſe, &c.*) II. PARS. *De origine agriculturæ*.

124. *Veterno.*) *Veternum* & *Veternus*, morbus eſt ſtuporem inducens, tam animi, quam membrorum: alii ad *lethargum*, alii ad *hydropiſim*, alii ad *phthiſin referunt*. Hic pro otio & deſidia ſumitur.

131. *Ignemque removit.*) Non extinxit, aut abſtulit, ſed tantum occuluit, vel in lapidibus, vel in terræ viſceribus. Illum vero, quia neceſſarium ad humanos uſus, dicitur Prometheus dolo furatus eſſe: ut jam narravimus Ecl. 6. 42.

Ut varias uſus meditando extunderet artes
Paullatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inventum: & magnos canibus circumdare ſaltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ;
( Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum. )
Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit: cum jam glandes atque arbuta ſacræ

Deſi-

*Ut experientia obſervando excogitaret paullatim diverſas artes, & colligeret ſpicas frumenti e ſulcis, & exprimeret ignem occultum e venis lapidum. Tunc primo flumina tulerunt arbores cavatas: tunc nauta attribuit ordinem & nomina ſideribus,* appellans *Pleiadas, Hyadas, & lucidam urſam Lycaonis* filiam. *Tunc repertum eſt capere feras laqueis, & decipere viſco: & cingere canibus magnas ſilvas. Et jam alius projicit reticulum in latum fluvium, ſe committens alto* fluvio; *& alius trahit e mari retia humida.* Tunc venit *durities ferri, & lamina ſerræ tridentis; ( nam majores dividebant cuneis lignum fiſſile. ) Tunc variæ artes prodierunt. Magnus labor ſuperat omnia, & neceſſitas urgens in rerum inopia. Ceres prima docuit homines movere terram ferro; cum jam glandes & arbuta ſacræ*

*ſilvæ*

N O T Æ.

138. *Pleiadas.* ) Stellæ ſunt ſeptem in collo Tauri. Sic dictæ, a πλέω *navigo*, quia navigandi tempus indicant, cum oriantur circa æquinoctium vernum, unde dicuntur Latinis a vere *Vergiliæ*. Dicuntur etiam *Atlantides*, ab Atlante Mauritaniæ rege, cujus filiæ fuerunt, ex Pleione Nympha. Harum nomina *Electra*, *Alcinoe*, *Celeno*, *Sterope*, *Taygeta*, *Maia* Mercurii mater ex Jove: quæ ſex dicuntur apparere, quia Deos amatores habuerunt; Septima *Merope*, quia mortali Siſypho nupſit, præ pudore latere. *Pleiadas* hic quadriſyllabum eſt: apud Ov. Faſt. 4. 169. triſyllabum: *Pleiadas incipiunt humeros relevare paternos*: apud Statium Sil. 1. 3. 95. etiam prima brevi. *Hæc per & Ægeas hiemes, Pliadumque nivoſum Sidus.*

*Hyadas.* ) Stellæ ſunt ſeptem, in fronte Tauri. Sic dictæ ab ὕω *pluo*, quia pluvias creant. Latine *Suculæ*, ab eadem illa Græca voce; non a *ſuibus*, quam imperitorum eſſe opinionem ait Cicero, de Nat. Deor. 2. 111. Finguntur quoque Atlantis fuiſſe filiæ, ex Æthra matre: quæ cum Hyantem, fratrem ſuum, a leone interfectum inſolabiliter lugerent, miſeratione Jovis totidem in ſtellas converſæ ſunt; & ad pietatis memoriam, nomine fratris & imbrifera virtute inſignitæ. Nomina: *Ambroſia*, *Eudoxa*, *Paſithoe*, *Corone*, *Plexauris*, *Pytho*, & *Tyche*.

*Lycaonis Arcton.* ) *Urſa*, Græce ἄρκτος ſignum cœleſte. Duplex eſt, major & minor: utraque circa polum ſeptentrionalem, qui inde vocatur Arcticus. Major vocatur etiam *Helice*, ab ἕλιξ *circumvolutio*, quia circa polum volvitur majori circuitu, quam minor. Minor vocatur *Cynoſura*, a κυνὸς *canis*, & οὐρὰ *cauda*; majorem nautæ Græci, minorem nautæ Phœnices intuebantur. Major fuit Lycaonis Arcadiæ regis filia, Calliſto dicta: quæ a Jove amata, a Junone in urſam converſa eſt; eaque ſub forma cum ab Arcade filio, quem ex Jove ſuſceperat, prope eſſet occidenda, in cœlum a Jove cum eode filio rapta eſt: & ipſa quidem in ſidus ejuſdem nominis, filius in Booten ſive Arctophylacem mutatus eſt. Minor urſa Nympha fuit e nutricibus Jovis in grati animi teſtimonium eo translata. De majore hic ſermo eſt.

141. *Funda.* ) Reticulum eſt quod in amnem projicitur, *a fundendo* dictum, inquit Servius: melius a *fundo*, ut Taubmannus ſuggerit. *Humida lina.* ) Retia e lino contexta.

143. *Ferri rigor.* ) Ars indurandi ferri, & ſub hac ſpecie artes metallicæ omnes exprimuntur.

146. *Improbus.* ) Id eſt, juxta Servium, *magnus*; juxta Pomponium, *continuus*; juxta Aſcenſium, *modum neſciens*, & quaſi *inſatiabilis*: juxta Ramirem, *improbatus*: juxta alios, *incommodus*, *importunus*, *difficilis*. Eodem omnes fere recidunt. Sic Æn. 12. 687. *Fertur in abruptum magno mons improbus actu.*

147. *Prima Ceres.* ) Supra v. 19. *Arbuta.* )

Fru-



Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.
Mox & frumentis labor additus: ut mala culmos
Eſſet robigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus: intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſilva,
Lappæque, tribulique: interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.
Quod niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris,
Et ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votiſque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum,
Concuſſaque famem in ſilvis ſolabere quercu.
Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma:
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.
Vomis, & inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra,
Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri:

Vir-

*ſilvæ deficerent, & Dodona recuſaret cibos. Deinde addita eſt frugibus* materies *laboris*: nempe, *ut noxia robigo abſumeret calamos, & carduus inutilis horreſceret in agris: ſegetes emoriuntur, ſuccedit copia* herbarum *aſperarum, & lappæ, & tribuli; & infelix lolium, ſterileſque avenæ regnant per arva pinguia. Quod niſi & aſſidue terram proſcindas raſtris, & terreas volucres ſonitu, & amputes falce ramos arborum ruris umbroſi, & precibus obtinueris pluviam: heu, fruſtra videbis magnum acervum alterius,* & cogeris *ſubvenire fami ſuccutiendo quercum in ſilvis. Dicendum* eſt *quoque, quæ ſint inſtrumenta durorum agricolarum: ſine quibus ſegetes nec ſeminari, nec creſcere poſſunt. Primo vomer, & gravis moles curvi aratri, & plauſtra Cereris matris difficile volubilia, & tribula, & trahæ, & raſtri magni ponderis:*

*Præ-*

N O T Æ.

Fructus arbuti, Ecl. 3. 82. *Dodona.* ) Silva in Epiro: ſupra v. 8. & Ecl. 9. 13.

151. *Robigo.* ) Vitii genus, quo culmi nigreſcunt, *nebbia*. Ex nebula naſcitur: vel ex pluvia aut rore, cum e ſpica non decutitur, ſed Solis ſuperventu putreſcit. Hinc apud Romanos *Robigus* Deus, & *Robigalia* feſta x. Kal. Maias, ad avertendam hanc peſtem.

152. *Aſpera Silva.* ) Uſurpatur & pro *arundinibus*, Æn. 10. 710. *Silva paſtus arundinea*. Pro *capillis*, apud Juvenal. S. 9. 13. *Horrida ſiccæ ſilva comæ*. Pro *leguminibus*, ſupra v. 76. *Triſtiſque lupini Suſtuleris fragiles calamos, ſilvamque ſonantem*. Pro *verbis*, apud Cicer. De Orat. 3. 103. *ſilva rerum & ſententiarum comparanda eſt*. Igitur ſignificat translative, *copiam* multarum rerum. Et uſu venit, ut poetæ congeriem breviorum poematum, diverſi carminis & argumenti, *ſilvas* vocarent; immo & ſingulatim eorum unumquodque *ſilvam*. Tales habemus Statii Papinii *ſilvarum* libros quinque.

153. *Lappæque, tribulique, &c.* ) *Lappa, lappola*: herba capitula ferens hamis aſpera, quæ veſtibus prætereuntium adhærent. *Tribulus*: herba item floribus aculeatis, Italice *tribolo ſorta d' erba ſpinoſa*. *Lolium*, ζιζάνιον, *loglio*. *Nitentia culta.* ) Loca culta, & pinguia: *nitere* enim dicuntur vulgo quæ pinguia ſunt. Pari forma dicet infra v. 393. *Aperta ſerena*, id eſt, ſpatia aeris ſerena & aperta.

157. *Umbras.* ) Ramos: ſic infra v. 191. *At ſi luxuria foliorum exuberat umbra.*

160. *Dicendum & , &c.* ) III. PARS. *De ruſticis inſtrumentis*. Aratrum, *aratro*. Vomis vel vomer, ferrum aratri terram ſecans, *vomere*. Plauſtrum, *traino*. Tribulum, tabula ferro aſperata, qua terebantur fruges: nunc ſine nomine. Trahea, vel traha, genus vehiculi ſine rotis, *veggia*. Raſtrũ, in plurali *raſtri* vel *raſtra*, ferreis aut ligneis dentibus armatum, *raſtello*. Virgea ſupellex, *panieri di vinchi*. Crates, *graticcio*, ex arbuto arbore contexta, Ecl. 3. 82. Vanus, cribrum vel ventilabrũ frumẽtarium, *crivello*.

162. *Grave robur aratri.* ) *Robur*, vel eſt aratri moles & pondus ipſum, quod durum ac robuſtum eſt: ſic Æn. 7. 609. *Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri robora*. Vel eſt lignum quodcumque, unde aratrum fabricatur: ſic enim aliquando *robur* ſumitur pro ligno quovis duriore: infra, v. 175. *Et ſuſpenſa focis exploret robora fumus*. Sumitur etiam aliquando pro ſpecie arboris e quercea genere.

163. *Tardaque Eleuſinæ, &c.* ) Plauſtra, quorum rotæ non erant radiatæ, ſed inſtar tympanorum e ſolidis tabulis, atque ita axi impactæ, ut una cum eo volverentur. Tali vehiculo ſimulacrum Cereris circum agros ducebatur: adhibebatur etiam ferendis aliis oneribus. Ejus uſus tam in ſacris Cereris, quam in re frumentaria, ab Eleuſi, Atticæ urbe, ubi regnavit Celeus, ſupra v. 19. *Vol-*

*ven-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Virgea præterea Celei viliſque ſupellex,
Arbuteæ crates, & myſtica vannus Iacchi.
Omnia quæ multo ante memor proviſa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in ſilvis magna vi flexa domatur
In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic a ſtirpe pedes temo protentus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo.
Cæditur & tilia ante jugo levis, altaque fagus,
Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos:
Et ſuſpenſa focis explorat robora fumus.
Poſſum multa tibi veterum præcepta referre;
Ni refugis, tenueſque piget cognoſcere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta ſolidanda tenaci,
Ne ſubeant herbæ, neu pulvere victa fatiſcat.
Tum variæ illudunt peſtes. Sæpe exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inventuſque cavis bufo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt: populatque ingentem farris acervum

Cur-

*Præterea vilis & viminea ſupellex Celei, crates ex arbuto, & ſacra vannus Bacchi. Quæ omnia memineris multo ante parare & ſervare: ſi te ſpectat vera laus beati ruris. Principio in ſilvis, magna vi inflexa ſubigitur ulmus in burim, & capit formam curvi aratri. Huic buri jungitur per imam partem temo extenſus in octo pedes, accommodantur binæ aures, & dentalia, quæ habent duplex dorſum. Amputatur quoque prius tilia levis ad jugum, & fagus alta, & ſtiva, quæ regat poſteriorem aratri partem: & fumus probat ligna illa ſuſpenſa ad focum. Poſſum enarrare tibi multa antiquorum præcepta, niſi nolis, & te tædeat diſcere minima quæque. Præcipue oportet complanare aream magno cylindro, & manu tractare terram, & firmare creta tenaci: ne herbæ naſcantur, & ne area ſiccitate reſoluta rimas agat. Præterea varii hoſtes nocent. Sæpe parvus mus facit domum ſub terris, & ſtruit horrea: aut talpæ privati oculis fodiunt cubilia: & bufo in cavernis reperitur, & multa alia animalia, quæ terra producit:*

&

## NOTÆ.

volventia.) Paſſive ſignificat, ut Æn. 1. 238. *Volventibus annis*, id eſt revolutis, volubilibus.

166. *Myſtica vannus Iacchi.*) Myſtica, id eſt, in myſteriis Bacchi adhibita. Vel quia Iſis dicitur cribro impoſuiſſe membra Oſiridis, ſive Bacchi, a Typhone dilaniata. Vel potius quia Baccho primitias frugum in vanno ruſtici offerebant. De *Iaccho*, Bacchi nomine, Ecl. 6. 15.

169. *Continuo in ſilvis &c.*) Aratri deſcriptio. *Ulmus*, *olmo*, apta ejus materia. *Buris*, aratri curvatura, & præcipua pars aratri, cui cætera aptantur. *Temo*, qui uſque ad jugum, inter boves, aut equos extenditur. *Dentalia*, quibus vomer infigitur & imponitur: dicuntur *dorſo duplici*, id eſt, ut vulgo explicatur, *lato*, & *craſſo*: ut G. 3. 87. *At duplex agitur per lumbos ſpina*: vel quia re ipſa duplex habent latus. *Aures*, annexi circa vomerem aſſerculi, quibus ſulcus amplior fit. *Jugum*, quo domantur alligati equi aut boves: idque, vel ex tilia, arbore leviſſima, *tiglio*, vel ex fago, *faggio*, de qua Ecl. 1. 1. *Stiva*, pars quam agricola manu tenet, ad regendum aratrum, *il manico*.

174. *Currus torqueat imos.*) Aratrum, quod quibuſdam in regionibus inſtruitur rotis. *Imos.*) Poſteriorem aratri partem, quæ idcirco *ima* eſt, quia vomerem continet, atque ita magis in terram propendet.

175. *Explorat robora fumus.*) Probatæ enim ſoliditatis ea ſunt ligna, quæ fumo expoſita rimas non agunt. Supra v. 162.

178. *Area cum primis, &c.*) Inſtrumentis ruſticis annectit præceptum, *De parandа ad fruges terendas area*; ejus. *Cylindro.*) Lapide rotatili & tereti, id eſt, longo ac rotundo, in modum columnæ, a κυλίνδω volvo.

179. *Creta.*) Terra argilloſa ac tenaci.

180. *Pulvere.*) Siccitate, quæ pulverem creat: ita ſupra v. 101. *Hyberno lætiſſima pulvere farra.*

181. *Exiguus mus.*) Mus ruſticus ac ſubterraneus, *ſorce*. 184. *Bufo.*) *Botta*.

186. *Curculio.*) Vermis frumenta corrodens: dictus quaſi *gurgulio*, quia nihil in eo ſere præter guttur, *Gorgoglione*.

187. Nux.)



Curculio, atque inopi metuens formica ſenectæ.
Contemplator item, cum ſe nux plurima ſilvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes:
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro prius & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.
Et, quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore,
Degenerare tamen; ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: ſic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri.
Non aliter quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit: ſi brachia forte remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis
Hædorumque dies ſervandi, & lucidus anguis;
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Libra

*& curculio, & formica, providens egenæ ſenectuti, corrodunt magnum cumulum frumenti. Præterea contemplare, cum in ſilvis multa nux veſtiet ſe floribus, & demittet ramos odoriferos: ſi flores plures ſint quam folia, ſimiliter frumenta ſuccedent, & veniet magna ubertas cum magno calore. At ſi rami abundent nimia copia frondium; fruſtra conteres in area manipulos, palea craſſos. Ego quidem vidi multos ſatores condire ſemina, & ſpargere prius nitro ac nigra amurca, ut grana majora eſſent in folliculis vulgo inanibus. At licet modico igne madefacta properarentur, tamen vidi ea, diu electa, & magna cura explorata, degenerare: niſi hominum induſtria ſingulis annis eligeret maxima quæque grana. Sic vidi omnia vi fatorum abire in pejus, & retro acta converti. Perinde ac ille, qui contrario flumine ægre impellit remis cymbam: ſi forte remittat brachia, ſtatim impetus rapit illum in profluentem, qua propendet fluvius. Præterea, nos agricolæ, tam debemus ſtellam Arcturi obſervare, & dies hædorum, & ſplendidum draconem; quam ii qui, vecti in patriam per ventoſum mare, exponunt ſe Helleſponto, & freto Abydi oſtrifero.*

Quan-

## NOTÆ.

187. *Nux.*) Nucis variæ ſunt ſpecies: amygdalam hic intelligunt rei ruſticæ ſcriptores, cujus flores fertilitatis indicium eſſe ſtatuunt.

190. *Tritura.*) Terendi actio, & hic pro fertilitate uſurpatur: ubi enim multæ fruges, ibi multa opus eſt tritura.

192. *Pingues palea.*) Alii legunt *paleæ*: & referunt ad *culmos*, *paleæ culmos*: melius alii cum Servio *palea* in ablat. & referunt ad *pingues*; ſenſuſque eſt, culmos, non granis & fructu, ſed inutili palea pingues fore.

193. *Semina vidi, &c.*) Aliud addit præceptum, *De ſeminum cura*. Qua de re duo conſulit, medicationem, & majorum electionem ſeminum, ſed illud magis.

194. *Et nitro prius &, &c.*) Nitrum, ſuccus calidæ naturæ, ſali affinis; frequens in ea Ægypti regione, quæ inde *Nitria* vocata eſt. Fitque, vel Nili aqua, vel pluvia Solis ardore concocta lapidis in modum. Vulgo ſal petræ dicitur, *ſalnitro*; ſed male. *Amurca*, fæces olivarum, ſive ſedimentum & ſordes olei.

195. *Fallacibus.*) Vulgo enim leguminum folliculi, laxiores & ampliores, minima grana continent.

196. *Properata maderent.*) Madeſcunt propter humorem vi caloris eductum: atque ita fieri dicitur, ut citius creſcant ſemina.

203. *Atque.*) Hic ſignificat *ſtatim*, ut explicat Gellius l. 10. 29.

204. *Præterea, &c.*) IV. PARS. *De temporibus operum ruſticorum*. Monet tam eſſe agricolis obſervanda ſidera, quam nautis: ea præſertim quæ tempeſtates cient, ut *Arcturus*, de quo v. 68. *Hædi*: ſtellæ duæ in humero aurigæ, ſive Erichthonii. *Anguis*, nempe ſeptentrionalis: nam triplex eſt; unus ad ſeptentrionem, alter in Ophiucho ſub æquatore circulo, tertius ad Auſtrum: de ultimo hic ſermonem eſſe putat Servius; de primo cæteri omnes, quia nobis magis eſt conſpicuus.

207. *Pontus & oſtriferi, &c.*) Plerique *Pontum* intelligunt *Euxinum*, latiſſimum illum

maris

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividet orbem:
Exercete, viri, tauros, ſerite hordea campis,
Uſque ſub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Necnon & lini ſegetem & Cereale papaver
Tempus humo tegere, & jamdudum incumbere aratris:
Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis ſatio: tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt ſulci, & milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & averſo cedens canis occidit aſtro.

At

*Quando Libra fecerit horas diei & noctis æquales, & jam diſtribuet medium mundum luci ac tenebris: exercete tauros, o agricolæ, ſeminate hordea in agris, uſque ad ultimas circiter pluvias duræ brumæ. Tempus quoque eſt abſcondere terra ſegetem lini, & papaver Cereris, & quamprimum incumbere aratris; dum terra ſicca id permittit, & nubes pluviæ ſuſpenſæ ſunt. Vere fit ſementis fabarum: tunc etiam ſulci molles excipiunt te, o Medica, & redit annuus cultus milii, quando taurus fulgens aureis cornibus inchoat annum, & canis occidit, dans locum ſideri retrogrado.*

*Quod*

## N O T Æ.

maris ſinum, inter Propontidem & Mæotidem paludem. Ego de *Helleſponto* accipio, *ſtretto di Gallipoli*, cujus in anguſtiſſima parte duæ ſunt arces, mille paſſuum trajectu diſſitæ, *Seſtos* in Europa, *Abydos* in Aſia, *li Dardanelli*. Totum illud litus oſtreis ferax, unde Ennius: *Mures ſunt Æni, aſt aſpra oſtrea plurima Abydi.*

208. *Libra die, &c.*) I. Præceptum, *De ſatione hordei, lini, papaveris.* Ab æquinoctio autumnali, ſive principio *libræ*, ad extremos uſque *brumæ* dies. Ubi *bruma*, non pro tota hyeme, ſed pro hyberno ſolſtitio ponitur, quod cadit in extremum Decembrem, atque ita Virgilium explicat Plinius l. 18. 24. *Die.*) *Diei*: antiquorum more, qui ſic genitivum illum efferebant. Probat enim exemplis Gellius lib. 9. 14. ab iis dictum eſſe, *hujus dies*, *hujus dii*, *hujus die*; quod nunc eſt, *hujus diei*.

212. *Cereale papaver.*) Sic dictum: vel quia inventum a Cerere, juxta Euſebium de Præpar. Evang. l. 3. Vel quod eo Ceres uſa fuerit, ad oblivionem doloris de amiſſa Proſerpina, juxta Servium. Vel quod ſimulacra Cereris illud in manu geſtarent; juxta Brodæum & Turneb. Vel quod frequens naſcatur in ſegetibus, quæ in Cereris tutela ſunt, juxta Probum. Vel potius, quia *papaveris candidi ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos dabatur, & panis ruſtici cruſta eo inſpergebatur*; juxta Plin. l. 19. 8. idque ad delicias & famem excitandam: unde *veſcum papaver*, *papavera*, id eſt *edule* dicitur G. 4. 131.

214. *Dum ſicca tellure licet, &c.*) Plerique poſt Servium interpretantur: Antequam pluat, dum imber imminet, necdum venit pluvioſa tempeſtas. Ego ſic: Quoties, in illa ipſa pluvioſa tempeſtate, terra erit paullo ſiccior, & imber ſuſpenſus. Et vero poeta ſationem illam aſſignat Autumno, cujus ultima pars pluvioſa eſt: eamdemque ſationem profert *uſque ſub extremum brumæ imbrem*: non igitur jubet prævenire tempeſtatem imbriferam; ſed illius tempeſtatis eos eligi dies, qui ſicci magis ac ſereni erunt.

215. *Vere fabis, &c.*) II. Præceptum, *De tempore ſerendæ fabæ, medicæ, milii. Medica*, herba eſt, in Græciam a Medis advecta, per bella Perſarum, quæ Græcis Darius intulit: ſimilis trifolio, optimum animalium pabulum, *gran trifoglio, o fien di Borgogna*; ſemel ſata, dicitur durare tricenis annis a Plin. l. 18. 16. Unde hic opponitur milio, Ital. *miglio*, cujus eſt *annua cura*, quia ſingulis annis ſerendum eſt.

217. *Candidus auratis, &c.*) Tempus illius ſationis aſſignat, non initium veris, ſed ver jam adultum: quando *Canicula* ſive *Sirius*, quæ ſtella eſt in ore canis majoris, occidit *acronyce* cum Sole, apud Taurum tunc exiſtente: id eſt, quando Sirius deſcendit infra horizontem noſtrum occidentalem, eodem momento, quo Sol in tauro exiſtens infra eumdem horizontem deſcendit. Hic eſt enim occaſus *acronycus*, ab ἄκρος *extremus*, & νὺξ *nox*, quia fit in primo noctis termino, ſeu initio. Porro occaſus ille canis exeunte Aprili tunc contingebat, nunc multo tardius.

*Aperit cum cornibus annum Taurus.*) Annum fuiſſe apertum ab *ariete* ſive menſe Martio, vulgare eſt; Virgilius tamen aperiri ait a *tauro*, ſive menſe Aprili: vel quod reſpexerit ad etymon Aprilis, qui ab *aperiendo* dictus eſt, quia tunc aperiuntur omnia molliori tempeſtate: vel quod, ut ait Joſ. Scaliger, locutus ſit ex mente Heſiodi & Bœotorum, qui annum ſuum, non ab ortu arietis, ſed ab ortu Vergiliarum ſive Pleiadum in tauro, inchoabant.

*Aura-*



At ſi triticeam in meſſem robuſtaque farra
Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſiaque ardentis decedat ſtella coronæ;
Debita quam ſulcis committas ſemina, quamque
Invitæ properes anni ſpem credere terræ.
Multi ante occaſum Maiæ cœpere: ſed illos
Exſpectata ſeges vanis eluſit ariſtis.
Si vero viciamque feres, vilemque faſelum,
Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis,
Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes:
Incipe, & ad medias ſementem extende pruinas.

Idcir-

*Quod ſi præparas terram ad ſegetem tritici & far robuſtum, & ſoli frumento intentus es: Pleiades tibi occidant matutinæ, & ardens ſtella coronæ Ariadnes recedat prius, quam deponas in ſulcis ſemina debita, & quam properes committere ſpem anni terræ repugnanti. Plurimi inceperunt ante occaſum Plejadum, ſed meſſis ſperata fefellit eos inanibus ſpicis. Si autem ſeminas viciam, & vilem faſelum; neque dedignaris cultum lentis Ægyptiæ; Bootes occidens dabit tibi ſigna non dubia: incipe* tunc, *& profer ſationem uſque ad mediam hyemem.*

*Ideo*

## N O T Æ.

*Auratis cornibus.*) Stigelius alludi putat ad morem Romanorum, qui triumphalium taurorum cornua inaurabant. Ego ſic dici puto, quia lucidiſſimam in utroque cornuum acumine ſtellam *taurus* gerit; alteram ſecundæ, alteram tertiæ magnitudinis.

218. *Averſo cedens canis occidit aſtro.*) Ita corrigit e MSS. N. Heinſius, cum antea legeretur, *adverſo*, difficili & ambiguo ſenſu, nunc plano. *Averſum* enim aſtrum eſt *navis Argo*, pone canem ſequens, & poſt eum occidens: illa autem, contra navium morem, averſa & poſteriore ſui parte incedens in cœlo deſcribitur, puppe ſcilicet, non prora.

219. *At ſi triticeam, &c.*) III. Præceptum, *De tempore ſerendi tritici & farris*: quæ dicuntur *robuſta*: tum quia frumenta omnia multo plus habent, quam legumina, virium, adeoque terram exigunt multo pinguiorem: tum quia inter ipſa frumenta primum locum tenent *far & triticum*.

221. *Ante tibi Eoæ, &c.*) Tempus illud aſſignat ex duplici indicio: nempe poſt occaſum *coſmicum* matutinum *Pleiadum*, & ortum *heliacum* matutinum *coronæ* ſeptentrionalis: id eſt, quando Pleiades deſcendunt infra horizontem noſtrum occidentalem; eo momento, quo Sol aſcendit ſupra horizontem noſtrum orientalem, & quando corona ſeptentrionalis ſatis diſtat a Sole; ut poſſit expedire ſe e fulgore Solis, & paulo ante ejus ortum in horizonte orientali apparere: quod utrumque contingebat Virgilii ætate ſub extremum Octobrem, nunc autem longe tardius. Occaſus *coſmicus* dicitur, a κόσμος *mundus*; ortus *heliacus*, ab ἥλιος *Sol*. *Atlantides.*) Pleiades, Vergiliæ, v. 138. *Eoæ.*) Non *orientales* hoc loco, quia agitur de earum occaſu verſus horizontem occidentalem; ſed *matutinæ*; quia occaſus ille mane contingit: ab ἠὼς *aurora*, *diluculum*.

222. *Gnoſia.*) Cretica. *Gnoſus* oppidum eſt Cretæ inſulæ, in qua regnavit Minos pater Ariadnes: quæ a Theſeo rapta, ab eodem relicta in inſula Naxo, nupſit deinde Baccho: quibus in nuptiis, cum a Diis omnibus dona accepiſſet, imprimiſque coronam a Venere; coronam Bacchus, ſive juxta alios ipſam Ariadnen, in cœlum tranſtulit.

*Decedat.*) Non a nobis, quibus tunc incipit fieri conſpicua ante ortū Solis, ſed a Sole, cui antea cum eſſet vicinior, nobis mane non apparebat, quia tunc ejus nimia luce delebatur.

225. *Ante occaſum Maiæ.*) Monet ad ſationem non eſſe præveniendum occaſum Vergiliarum: quarum unam appellat pro omnibus, nempe *Maiam*, quæ Mercurium ex Jove peperit in Cyllene monte Arcadiæ.

227. *Si vero viciamque &c.*) IV. Præceptum, *De tempore ſerendæ viciæ, faſeli, & lentis.* Vicia, Ital. *veccia*. Faſelus, *fagiuolo*. Lens, *lenticchia* frequens in Ægypto, præſertim apud *Peluſium* oppidum, a quo extremum e ſeptem Nili oſtiis, Peluſiacum dictum eſt.

229. *Cadens mittet tibi ſigna Bootes.*) Tempus hujus ſationis conſignat caſu Bootæ. Sed dubitatur quo Bootæ caſu. Duplex enim huic ſationi convenire poteſt *coſmicus*, & *acronycus*: *coſmicus* cum deſcendit Bootes infra horizontem occidentalem eo momento, quo Sol aſcendit ſupra orientalem; quod contingebat tunc initio Martii: *acronycus* cum deſcendit infra horizontem occidentalem, eodem momento, quo Sol ipſe; quod contingebat initio Novembris. Et vero Plinius l. 18. 25. triplicem agnoſcit viciæ ſationem: primam circa occaſum Arcturi, quem indicat

L men-

Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.
Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur,
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Divum, & via ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.
Mundus ut ad Scythiam Riphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.

Hic

*Ideo Sol aureus gubernat, per duodecim mundi ſigna, orbem diſtributum in certas partes. Quinque zonæ occupant cælum, quarum una ſemper rubet fulgente Sole, & ſemper incaleſcit ab ejus ardore. Circa illam, ad dextram & ad ſiniſtram duæ ultimæ ducuntur: rigentes glacie cærulea, & nigris pluviis. Inter illas & mediam, duæ beneficio Deorum datæ ſunt miſeris hominibus: & orbita ſciſſa eſt inter has duas, qua ordo duodecim ſignorum oblique ſe volveret. Sicut mundus ſublimis attollitur verſus Scythiam, & montes Riphæos, ita deprimitur inclinans in Auſtrum Africæ.*

*Hic*

## N O T Æ.

menſe Decembri priorem eſſe; ſecundam circa menſem Januarium; tertiam circa Martium. Igitur primæ ſationi cōveniet occaſus Arcturi, ſive Bootæ, *acronycus*; tertiæ *coſmicus*. Hujus itaque, & proxime conſequentis verſus, hic ſenſus eſt: Incipe primam ſationem a caſu *acronyco* Bootæ, menſe Novembri; & extende, ſive remitte ſecundam ſationem uſque ad mediam hyemem, menſemque Januarium. Tertiam ſationem menſis Martii, quæ convenit cum occaſu Bootæ *coſmico*, videtur poeta non admittere. De *Arcturo*, v. 68. De *Boota*, in quo Arcturus eſt, v. 138.

233. *Quinque, &c. Zonæ.*) *Zona* ζώνη. Latine *cingulum*, *faſcia*: quintuplex eſt: ſic dicta, quia mundum zonæ inſtar circumcingit. Media torrida, inter utrumque tropicum comprehenſa, ſemper itineri ſubjecta Solis, qui numquam ex ea excurrit: extremæ duæ frigidæ, circulis polaribus poliſque definitæ: duæ temperatæ, inter torridam & frigidam hinc inde interjectæ.

238. *Via ſecta, &c.*) *Zodiacus*, circulus obliquus, in quo duodecim ſigna cœleſtia ſpatiis æqualibus deſcripta ſunt. De eo iſta quinque notanda. I. Dividitur in partes, ſive gradus 360. ſigna ſingula in gradus 30. e quibus unum circiter gradum ſingulis diebus motu proprio Sol conficit, ab occidente in orientem procedendo; atque ita uno circiter anno duodecim ſigna decurrit. Interea dum communi motu, qui raptus dicitur, ab oriente in occidentem procedendo, quatuor & viginti horarum ſpatio orbem terrarum circuit. II. Signorum ordo & nomina his verſibus continentur. *Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, Libraque, ſcorpius, arcitenens, caper, amphora, piſces.* Quæ quia maxima ex parte animalia ſunt, hinc circulus *zodiacus* appellatur, a ζώδιον, *animal*. III. Menſi *Martio* reſpondet *aries*: in quem ingredi Sol dicitur circa vigeſimum Martii, ſignumque totum decurrere, uſque ſub vigeſimum Aprilis: quo tempore in *taurum* ſubit: atque ita fere de cæteris. IV. *Obliquus* dicitur, quia non diſtat æqualiter a polis: ſed per zonam torridam tranſverſus, utrumque tropicum attingit, & æquatorem circulum bis ſecat. Attingit in primo gradu cancri tropicum ſeptentrionalem, qui inde *tropicus cancri* dicitur, attingit in primo gradu capricorni tropicum meridionalem, qui inde vocatur *tropicus capricorni*. Secat æquatorem in primo gradu arietis, & in primo gradu libræ. V. Cum Sol pervenit ad tropicum cancri, circa 21. Junii, tunc nobis eſt æſtas ſumma, ſive *ſolſtitium*. Cum ad tropicum capricorni, circa 21. Decembris, tunc hyems ſumma, ſive *bruma*: iique tropici dicuntur a τρέπω *verto*; quia Sol quando eorum alterum attigit, ad alterum vertit curſum. Cum vero Sol pervenit ad ſectionem arietis, ſub 20. Martii, tunc eſt *æquinoctium vernum*; cum ad ſectionem libræ, 23. Septembris, tunc eſt *æquinoctium autumnale*.

240. *Mundus ut, &c.*) Nunc de polis diſſerit: qui ſunt puncta duo, circa quæ mundus volvitur, a πολέω *verto*, unde a Latinis *vertices* appellantur. De iis tria dicit, I. Duos eſſe, nempe Borealem, & Auſtralem. II. Borealem ſemper a nobis videri, Italis, Gallis, *&c.* Auſtralem numquam a nobis videri: ſed ab iis quos appellamus *antipodas*: Virgilius *manes profundos*, ex ignaræ vetuſtatis mente, quæ ſedem illam inferis tribuebat. III. Utrūque polū deſcribit: Borealem



Hic vertex nobis ſemper ſublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.
Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos:
Arctos, Oceani metuentes æquore tingi.
Illic, ut perhibent, aut intempeſta ſilet nox
Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ;
Aut redit a nobis Aurora, diemque reducit:
Noſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina Veſper.
Hinc tempeſtates dubio prædiſcere cœlo

Poſſu-

*Hic polus ſemper nobis altus eſt: ſed illum Styx nigra, & umbræ infernæ vident ſub pedibus. Ad polum* ſuperiorem *maximus draco volvitur flexu ſinuoſo, in modum fluvii circa* polum, *& inter duas urſas: urſas, quæ timent lavari aquis Oceani. Ad polum* inferiorem, *aut profunda nox ſemper ſilet, ut ajunt, & tenebræ denſantur offuſa nocte: aut Aurora, a nobis recedens, illuc revertitur, & refert lucem; & cum primus oriens nos afflat equis anhelantibus, illic rubens Heſperus accendit ſidera ſerotina. Ex his poſſumus prænoſcere tempeſtates, cœlo incerto:*

*ex*

## N O T Æ.

lem quidem a cœleſtibus ſignis, quæ inde apparent, *dracone* præſertim & *urſa* gemina: de Auſtrali, utpote ignoto, conjicit, aut Solem a nobis recedentem illuc abire, aut illic noctem eſſe perpetuam.

240. *Scythiam, Riphæaſque arduus arces.*) De *Scythia*, per quam intelligit partes mundi ſeptentrionales, Ecl. 1. 66. *Arces.*) Montes, ab ἄκρος, *ſummus*. Sic G. 4. 471. *Flerunt Rhodopeiæ arces. Riphæi.*) Montes Sarmatiæ Europææ, nunc *Moſcoviæ*: porrecti verſus Oceanum Scythicum, ad uſque oſtia *Obii* fluvii: a quibuſdam nunc appellantur *Stolp*.

241. *Libyæ devexus in Auſtros.*) Partes mundi meridionales deſignat per ventum, qui inde flat, *Auſtrum*: de quo Ecl. 2. 58. Deinde per ipſam *Libyam*, terrarum antiqui orbis verſus polum illum remotiſſimam. Certe *Libya* vulgo apud veteres pro tota Africa ſumitur, a Libya Epaphi filia, quæ huic nomen ſuum dedit: proprie tamen Africæ pars eſt ea, quæ mari mediterraneo, Ægypto, Tripolitana regione, & Æthiopia circumcluditur: nunc regnum & deſertum *Barca*.

243. *Styx atra, &c.*) De *Stige* inferorum fluvio, aut palude, Æn. 6. 323. De *Manibus* ſive umbris, Ib. 743.

244. *Anguis, &c.*) Sive *draco*, cuſtos orti Heſperidum a Junone conſtitutus, & ab eadem in cœlum translatus, cum ab Hercule occiſus eſſet. Ecl. 6. 61. Is circa polum vertitur: & majorem urſam cauda attingit, minorem corpore complectitur.

246. *Arctos, Oceani &c.*) Urſas geminas, quæ nunquam deſcendunt infra horizontem noſtrum: quia viciniores polo ſeptentrionali, qui ſemper nobis attollitur: ideo dicuntur nuſquam *æquore tingi*, id eſt, nuſquam occidere; more poetarum, qui Solem & aſtra, cum occidunt, in Oceanum decumbere fabulantur. Ovidius vero Faſt. 2. 191. de majore urſa cauſam affert, odium Junonis: quæ cum eam in cœlum admiſſam doleret, Tethyn rogavit, ne umquam aquis eam ſuis lavari permitteret. De *Arcto* utraque, v. 138.

*Metuentes æquore tingi.*) Id eſt, numquam tingendas. Et eſt familiaris poetis locutio. Sic Horat. Od 2. 2. *Illum aget penna metuente ſolvi Fama ſuperſtes*: id eſt, nunquam ſolvenda.

247. *Intempeſta ſilet nox.*) Quaſi *intempeſtiva* & ad agendum incommoda: definit enim eam Varro lib. 5. L. L. *cum tempus agendi eſt nullum*.

249. *Aurora.*) Titanis & Terræ filia, Memnonis mater ex Tithono, Laomedontis Trojani regis filio, quem ſic amavit, ut eum ſenem herbarum virtute ad juventutē revocaverit. Amavit & Cephalū. Roſeos ei digitos tribuit Homerus; roſeos equos alii, ſive bigas, ſive quadrigas: quibus aperire diem & Solem præcurrere dicitur. Idque ob colorem ſubrubentem & aureum, in quem deſinit ſæpe matutinum crepuſculum. Unde & *Aurora* vocata eſt, ab *auro*, juxta Varronem.

250. *Equis oriens afflavit, &c.*) Sol perfudit halitu & afflatu equorum, qui quatuor ipſi a poetis aſſignantur: *Pyrois*, a πῦρ, *ignis*; *Eous*, ab ἠώς *Aurora*; *Æthon*, ab αἴθω *ardeo*; *Phlegon*, a φλέγω *comburo*.

251. *Accendit lumina Veſper.*) Veſper, prima ſtellarum apparet ſero, unde cæteras dicitur accendere. De eo, Ecl. 6. 86.



256. *Tem-*

Poſſumus: hinc meſſiſque diem, tempuſque ſerendi:
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat; quando armatas deducere claſſes,
Aut tempeſtivam ſilvis evertere pinum.
Nec fruſtra ſignorum obitus ſpeculamur & ortus,
Temporibuſque parem diverſis quatuor annum.
Frigidus agricolam ſi quando continet imber,
Multa, forent quæ mox cœlo properanda ſereno,
Maturare datur. Durum procudit arator
Vomeris obtuſi dentem, cavat arbore lintres:
Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.
Exacuunt alii vallos, furcaſque bicornes,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiſcina virga:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.
Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt: rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,

Balan-

*ex his, & tempus meſſis, & tempus ſationis: & quandonam opportunum ſit agitare remis infidum mare, & quandonam* opportunum ſit *deducere claſſes armatas, aut cædere in ſilvis pinum tempeſtivam. Nec fruſtra conſideramus ortus & occaſus ſiderum, & annum dimenſum* æqualiter *in quatuor tempeſtates. Si aliquando pluvia frigida retinet* domi *agricolam*, tunc *licet multa præparare, quæ poſtea feſtinanter facienda eſſent ſudo tempore. Arator exacuit duram aciem vomeris hebetati, cavat naviculas e ligno, vel imponit notas pecudibus, vel numeros cumulis* frugum. *Alii acuminant palos, & furcas bicornes; & præparant Amerina ligamina viti flexili. Modo conficite leves caniſtros e vimine rubeo: modo coquite igne frumenta, modo* ea *terite ſaxo. Quia etiam fas & leges permittunt facere res aliquas feſtis diebus: nulla religio prohibet derivare aquas* ex agris, *cingere ſegetem ſepto, ſtruere dolos avibus, comburere ſpinas,*

*& la-*

## NOTÆ.

256. *Tempeſtivam, &c.*) Hoc eſt, tempore idoneo cædendis arboribus: nempe decreſcente luna, poſt meridiem, ſine vento Auſtro, ſine rore, ſemine maturo, menſibus præſertim Julio & Auguſto: quia tunc minus obnoxiæ ſunt putrefactioni, ac vermibus.

258. *Temporibuſque parem diverſis, &c.*) Veri, æſtati, autumno, hyemi. Quaſi *ſufficientem* quatuor illis temporibus, id eſt, qui poteſt eas quaſi ex ſeſe emittere, ac ſuppeditare: ſic apud Cicer. *par diſſerendo*; apud Quintil. *par laboribus corpus*. Vel quaſi *idem valentem*, atque quatuor ipſas tempeſtates: totum enim eſt æquale partibus: ſic apud Cicer. 2. De Fin. 13. *Verbum Latinum par Græco, & idem valens*. Vel quaſi *æqualiter dimenſum* in quatuor partes: quia ſingulæ tres menſes occupant. Sic apud Cic. in Orat. 38. *Verba verbis quaſi demenſa, & paria reſpondeant*.

259. *Frigidus, &c.*) V. Præceptum, *De iis quæ hiberna & pluvia tempeſtate agricolis facienda ſunt*.

261. *Maturare.*) Sæpe ſignificat, celeriter aliquid facere: ut Æn. 1. 141. *Maturate fugam*: apud Cicer. pro Cluentio 171. *Maturare mortem alicui*, &c. Hic tamen opponitur verbo *properare*; & ſignificat aliquid cum maturitate & otio, ſeu tempeſtive, facere; neque ſerius, neque citius.

262. *Lintres.*) *Linter*, vel navicula eſt fluviatilis, ex unica arbore excavata; vel vas aquando pecori comparatum, ex uno item ligno exſculptum.

263. *Numeros impreſſit acervis.* Modiorum numerum, vel teſſeris inſculpendo, vel ſaccis ipſis, quibus continentur, appingendo.

264. *Vallos,*) Sudes, *pali*.

265. *Amerina.*) Ex *Ameria*, civitate Umbriæ: ubi frequentes ſalices.

266. *Rubea virga.*) Vel quæ abundat circa *Rubos* oppidum Campaniæ; vel quæ fit ex *rubo*, virgulti ſpecie.

267. *Nunc torrete, &c.*) Panificium intelligit, quo frumentum molitur, ac deinde piſtum coquitur. Vel alludit ad morem veterum, qui frugibus ſine piſtura toſtis veſcebantur.

268. *Quippe etiam, &c.*) VI. Præceptum, *De iis quæ feſtis diebus exercere licet agricolis*.

272. *Salubri.*) Explicat Columella l. 2. 22. *Pontifices vetant feſtis diebus lanarum cauſa lavari oves, niſi propter medicinam. Virgilius idcirco adjecit, fluvio merſare ſalubri.* Nempe,

pe,



Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.
Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.
Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenideſque ſatæ: tum partu Terra nefando
Cœumque, Iapetumque creat, ſævumque Typhoea,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam
Scilicet, atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum:
Ter Pater exſtructos disjecit fulmine montes.
Septima poſt decimam felix, & ponere vitem,
Et prenſos domitare boves, & licia telæ
Addere. Nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius ſe nocte dedere,
Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves ſtipulæ melius, nocte arida prata
Tondentur: nocte lentus non deficit humor.

Et

*& lavare in aquis gregem ovium, ſanitatis* cauſa. *Sæpe ductor pigri aſini dorſum* illius *oleo onerat, vel fructibus vilibus: & rediens* domum *ex urbe refert molam inciſam, vel maſſam nigræ picis. Ipſa Luna præbet dies varios varia ſerie proſperos ad opera. Evita quintum* diem: illo die *Pluto pallidus, & Furiæ genitæ ſunt: præterea Terra ſcelerato partu produxit & Cœum, & Iapetum, & crudelem Typhoea, & fratres conjuratos evertere cœlum. Ter videlicet ſunt conati imponere Oſſam Pelio, & injicere Oſſæ frondoſum Olympum: ter Jupiter diſturbavit fulmine montes accumulatos. Septimus* dies *felix eſt, minus quam decimus, & ad plantandam vineam, & ad ſubigendos boves ligatos, & ad jungenda licia telæ. Nonus felix eſt ad peregrinationem & adverſus furtis. Multa etiam melius ſuccedunt noctu, aut cum* Lucifer *ſpargit rore terras oriente Sole. Noctu graciles ariſtæ, noctu fœnum ſiccum melius ſecatur, humor tenax non deeſt noctibus.*

Et

## NOTÆ.

pe, non ut purgetur lana, ſed ut curetur ſcabies.

274. *Lapidemque*, &c. *incuſum.*) Lapidem molarem, ſive molam, arte inciſam, ut ſit uſui terendis & molendis frugibus.

276. *Ipſa dies alios, &c.*) VII. Præceptum, *De obſervatione dierum felicium & infelicium*.

277. *Pallidus Orcus.*) Pro Plutone ſumitur a Cicerone, de Nat. Deor. 3. 43. A Silio Italico pro Cerbero cane. Ab aliis pro Charonte portitore. Male autem a plerisque pro Theſſaliæ fluvio, quem dicunt pinguem eſſe in modum olei, ideoque innatantem Peneo, in quem e Stygia palude influit. Fons erroris eſt Homeri verſus Iliad. 2. 755. Ὅρκου γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ. *Juramenti enim terribilis aquæ Stygiæ rivus eſt.* Pater vero legentibus id ab Homero de Titareſio amne, quem ante deſcripſit, omnino dici: neque illic, ὅρκος, aliud ſignificare, quam *juramentum*; non fluvium. Dicit quippe Stygiam paludem, cujus Titareſius rivus eſt, juramentum eſſe Deorum. Confirmatur vero hæc ſententia a Strabone, lib. 9.

278. *Eumenides.*) Furiæ, ſic dictæ per antiphraſim, quod minime ſint εὐμενεῖς: *benevolæ*: Acherontis fluvii & Noctis filiæ, vipereis crinibus & facibus inſtructæ, ultrices criminum, numero tres: *Alecto* ab α privante, & λήγω *ceſſo*. *Tiſiphone*, a τίω *ulciſcor*, & φόνος, *cædes*. *Megæra*, a μεγαίρω, *invideo*.

279. *Cœumque, &c.*) Gigantum præcipuos, qui adverſus Deos, ad Phlegram Macedoniæ urbem, auſi pugnare: aggeſtis ejus regionis, vicinæque Theſſaliæ montibus, *Pelio*, *Oſſa*, *Olympo*. De *Olympo*, Ecl. 5. 57. *Typhoea.*) Non Typhœa, ut paſſim ſcribitur: neque enim in eo nomine *o* & *e* in unum coaleſcunt; ſed *e* & *a*: quippe eſt a Græco τυφωεύς, ubi ω cum ε non facit diphthongum, ſed ε cum υ. Notetur verſus Græco more bis hians; *Ter ſunt conati*, &c.

280. *Fratres.*) Gigãtes, Terræ & Titanis filios.

285. *Licia telæ.*) Ecl. 8. 74.

286. *Fugæ melior, contraria furtis.*) Opportuna ſervis aut captivis fugientibus, inquiunt aliqui. Melius opportuna itineribus & peregrinationi: velox enim curſus *fuga* poetis dicitur, G. 3. 201. *Ille volat, ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.*

287. *Multa adeo, &c.*) VIII. Præceptum, *De iis quæ noctu ac diu, æſtate atque hieme melius præſtantur*. *Eous.*) Lucifer, Ecl. 6. 86.

292.

Et quidam ſeros hyberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inſpicat acuto.
Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas:
Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.
At rubicunda Ceres medio ſucciditur æſtu,
Et medio toſtas æſtu terit area fruges.
Nudus ara, ſere nudus; hyems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter ſe læti convivia curant.
Invitat genialis hyems, curaſque reſolvit.
Ceu preſſæ cum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.
Sed tamen & quernas glandes tum ſtringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta:
Tunc gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritoſque ſequi lepores; tum figere damas,
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.
Quid tempeſtates autumni & ſidera dicam?
Atque ubi jam breviorque dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver: Spi-

*Et aliqui vigilant ad lucem nocturnam hyberni ignis, & acuto ferro incidunt faces. Interim uxor leniens cantilenis longum laborem addenſat telam ſtridulo pectine, aut coquit igne liquorem dulcis vini, & frondibus auſert ſpumam ex unda cacabi bullientis. At ſegetes flavæ ſecantur media die, & media die frumenta exſiccata teruntur in area. Ara nudus, ſemina nudus: frigus pigrum reddit agricolam. Per hyemem vulgo agricolæ utuntur rebus* per æſtatem *comparatis: & hilares agitant inter ſe mutuas epulas. Suadet* hoc *hyems voluptaria, & curas relaxat. Veluti cum naves oneratæ jam attigere portum, & nautæ hilares impoſuere coronas puppibus. Attamen tunc tempus eſt colligere & glandes quercinas, & baccas lauri, & olivas, & myrta ſanguinea. Tunc* tempus *eſt objicere pedicas avibus, & retia cervis, & perſequi lepores auritos: tunc* tempus eſt *occidere damas, intorquendo lora ſtupea Balearis fundæ: cum nix alta jacet, cum fluvii propellunt glaciem. Quid enumerem procellas & aſtra autumni? & quænam ſint providenda ruſticis, cum dies jam decreſcunt, & æſtas eſt mitior: vel cum ver pluvium deſinit,* cum

NOTÆ.

292. *Faces inſpicat.*) Faces e ligno minutas in virgulas incidit ſpicarum & ariſtarum in modum, Ecl. 8. 29.

294. *Pectine.*) Pecten eſt inſtrumentum, quo denſatur tela, Æn. 3. 483.

295. *Muſti.*) Vini novi. Deſcribit autem hic vini coctionem, quod ſi ad tertiam partem menſuræ decoquatur, *ſapa* dicitur: ſi ad dimidium, vocatur *muſtum*, ex Plin. l. 14. 5. Nota redundantem ultimam verſus ſyllabam, quæ cum prima ſequentis verſus elidenda eſt.

*Vulcano.*) Pro igne ſumitur, qui in ejus eſt tutela. Jovis & Junonis filius fuit; ab iis e cœlo propter deformitatem dejectus in inſulam Lemnum, claudus e caſu factus eſt, & ferrariam ibi fabricam exercuit, uxoremque duxit Venerem. Quamquam ejus officinam Virgilius alibi conſtituit. Æn. 8. 416.

297. *Ceres.*) Pro ſegete hic accipitur: alibi pro pane. De ea, Ecl. 5. 79.

302. *Genialis hyems.*) Ea, quibus ineſt voluptas, *genialia* dicuntur: a *Genio* voluptatis Deo: unde dicimus *genio indulgere*, voluptati indulgere; & *genium defraudare*, voluptate abſtinere.

303. *Preſſæ.*) Jactatæ mari & afflictæ ſcopulis, juxta Ramum: oneratæ mercibus, juxta Taubmannum: ſic Tibul. l. 1. El. 3. 40. *Preſſerat externa navita merce ratem.*

304. *Coronas.*) Reduces e navigatione coronabant naves, puppes præcipue, quia in poſtrema illa navis parte ſacrarium erat.

305. *Stringere.*) Ecl. 9. 61.

306. *Myrta.*) Fructus myrti arboris, qui maturi denſo rubore nigreſcunt.

307. *Gruibus pedicas.*) Laqueos, quibus implicantur pedes; & *gruibus* poſuit pro quibuſcunque avibus, ſpeciem pro genere.

308. *Figere damas ſtupea, &c.*) Ordo eſt, tempus eſt, torquentem, id eſt, eum, qui torquet verbera fundæ, figere damas. Negat Philargyrius figi poſſe damas funda; ſed tantum eum in locum compelli, ubi deinde jaculis figantur. Quidni tamen plumbo e fundis excuſſo perinde figantur, ut nunc figuntur



Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent?
Sæpe ego, cum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam ſtringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ gravidam late ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque levem, ſtipulaſque volantes.
Sæpe etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
Diluit: implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu, fervetque fretis ſpirantibus æquor.
Ipſe Pater, media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor. Ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit; ingeminant Auſtri, & denſiſſimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, cœli menſes & ſidera ſerva:
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet: Quos

*cum ſpicæ ſegetum jam intremiſcunt per agros, & cum frumenta plena lacte tumeſcunt in culmo* adhuc *herbeſcente. Sæpe cum colonus introduceret meſſorem in ſegetes maturas, & jam ligaret hordea paleis fragilibus: ego vidi miſceri pugnas omnium ventorum: quæ diſſiparent in auras plenam ſegetem exſtirpatam radicitus: tam denſo nimbo jactabat procella calamos leves, & ſtipulas volantes. Sæpe etiam ingens copia imbrium cadit e cœlo, & nubes e mari advectæ colligunt tempeſtatem nigræ pluviæ: cœlum altum minatur ruinam, evertitque largo imbre opera boum & campos fertiles: foſſæ implentur* aquis, *& fluvii profundi augentur cum ſtrepitu: & mare æſtuat fluctibus* quaſi *ebullientibus. Jupiter ipſe mediis in tenebris nullum vibrat rubente manu tonitrua: quo tumultu terra late concutitur, feræ fugiunt, & humilis timor dejicit undique mentes hominum. Ille ferit ardenti fulmine vel Atho, vel Rhodopen, vel ardua Ceraunia: invaleſcunt Auſtri & pluvia copioſiſſima: jam ſilvæ, jam litora ſonant magno vento. Hoc timens, obſerva menſes & ſigna cœli: quam in partem abeat tardum aſtrum Saturni:* *Quos*

NOTÆ.

tur exploſo ex æreis tubulis plumbo? Sic enim Ovid. Met. 2. 729. *Non ſecus exarſit, quam cum Balearica plumbum Funda jacit; volat illud, & incandeſcit eundo.* Balearides autem inſulæ circa Hiſpaniam ſunt, *Majorca* & *Minorca*: quarum incolæ fundæ uſu præ cæteris inſignes, inde nomen habere memorantur, a *βάλλειν jacere*. *Stupea verbera.*) Funes e ſtupa contexti, ſive lora, quibus lapis aut plumbum intorquetur.

311. *Quid tempeſtates, &c.*) V. PARS. *De tempeſtatum prognoſticis*, quibus præmittit tempeſtatum ipſarum deſcriptionem.

322. *Agmen Aquarum.*) Vel, juxta Servium, motum & impetum ſignificat: ut Æn. 2. 782. *Leni fluit agmine Tybris.* Vel juxta Pomponium, copiam & multitudinem: cui aſſentior propter epithetum *immenſum*, quod potius copiæ, quam motui convenit.

324. *Collectæ ex alto nubes.*) I. Collectæ *ex ſeptentrione* & Aquilone, juxta Servium: quia ſeptentrio ſublimis nobis; Auſter, ſive meridies, depreſſus eſt: at procellæ tamen e meridionali parte, Auſtro flante, præſertim ingruunt; & mox dicetur, *Ingeminant Auſtri.* II. Collectæ *e mari*, juxta Pomponium; quia nubes e mari & lacubus aquas colligunt. III. Collectæ *ex aere ſublimi*: juxta alios communiter.

327. *Fervetque fretis.*) Etymon *freti* appoſuit. *Fretum* enim eſt mare inter gemini litoris anguſtias compreſſum, ibique quaſi *ferveſcens*, & *ſpirans*, & ebulliens.

332. *Aut Atho, aut, &c.*) *Athos*, mons eſt in Macedonia, imminens mari Ægæo: *Rhodope* in Thracia; *Ceraunia* in Epiro, ſic dicta, quia frequenti fulmine propter altitudinem feriuntur, a *κεραυνὸς fulmen*. Legitur in aliquot codic. *Athon*: & vero accuſativus Græca lege eſt *ἄθων*. Uſu tamen Theocriti, Iſocratis, Strabonis, &c. receptus eſt accuſativus *ἄθω*: cujus ultima hic brevis fit, nec eliditur, Græco more; ut v. 281. *Imponere Pelio Oſſam.*

336. *Frigida Saturni, &c.*) Vis aſtrorum, planetarum imprimis, ad procellas & anni tem-

Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
Imprimis venerare Deos; atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hyemis jam vere ſereno.
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina:
Tunc ſomni dulces, denſæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus & ſocii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.
Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis,
Æſtuſque, pluviaſque, & agentes frigora ventos;
Ipſe Pater ſtatuit, quid menſtrua Luna moneret,
Quo ſigno caderent Auſtri, quid ſæpe videntes

Agri-

*Quos per circulos planeta Mercurii vagetur. Præcipue cole Deos, & annua ſacrificia perſolve magnæ Cereri, ſacrificans in herbis fertilibus, ſub exitum ultimæ hyemis, jam ſudo vere. Tunc agni ſunt pingues, tunc vina ſuaviſſima, tunc ſomni dulces, & umbræ opacæ in montibus. Omnis ruſtica juventus adoret tibi Cererem: cui tu miſce mel cum lacte & vino leni, & victima propitia ter ducatur circa novas fruges, quam totus chorus, & ſocii læti comitentur; & clamoribus invocent Cererem in domum ſuam: nec ullus ſubjiciat falcem maturæ ſegeti, priuſquam edat motus inconditos, & canat carmina in honorem Cereris. Et ut poſſimus hæc cognoſcere certis indiciis, calorem, & imbres, & ventos adducentes frigora; Jupiter ipſe definivit, quid menſtrua Luna indicaret, quo indicio Auſtri quieſcerent, quid videntes*

*ruſti-*

## N O T Æ.

temperiem ſane maxima, augetur aut minuitur, vel prout variis zodiaci ſignis quiſque reſpondet, & hoc ſignificat *quoſe recipiet*; vel prout planetis aliis conjungitur, & hoc ſignificat *quos erret in orbes*. Aſſignatur enim planetis *orbis* ſive circulus cuique ſuus. Itaque *Saturnus* noxius eſt, & reſpondens Capricorno, ciet pluvias, reſpondens Scorpio grandines. *Mercurius* præſertim nulla virtute peculiari inſignis, talis eſt, qualis planeta, cui ſeſe admovet; ſi *Jovi*, felix eſt; ſi *Saturno* funeſtus: unde *miniſter deorum* dicitur. De *Saturno*, Ecl. 4. 6.

337. *Cyllenius.*) Mercurius, a Cyllene Arcadiæ monte, in quo natus eſt, patre Jove, matre Maja, una ex Plejadibus. Bene *erret*: planetæ enim ſeptem, ex quibus unus eſt, nomen habent a πλάνη *error*: quia non fixa, ſed errantia ſidera ſunt.

339. *Sacra refer Cereri.*) Cereri duo indicit ſacrificia, vernum unum, *jam vere ſereno*: alterum æſtivum, *neque ante Falcem maturis quiſquam*, &c. *Operatus.*) *Operari* & *facere*, ſine addito, eſt facere ſacrificium: Ecl. 3. 77.

343. *Cuncta tibi, &c.*) Ritum deſcribit ſacrificii *ambarvalis*, quo ſolebant *arva ambire*, & circuire cum hoſtia. Quæ vide fuſius apud Tib. l. 2. 1. *Tibi.*) Tuo juſſu, tui cauſa, *&c.* eſtque Latinis, ut & Gallis, familiaris locutio. Sic ſupra v. 45. *Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere.*

344. *Cui tu lacte favos, &c.*) Sacrificii materiam explicat: lac, mel, vinum, hoſtiam: quæ juxta Virg. Ecl. 3. 77. *vitula* erat: juxta Tibul. l. 2. 1. *agnus*; juxta eumdem, l. 1. 11. 26. *porcus*: juxta Servium, *ſus gravida*.

*Miti dilue Baccho.*) Conſtat ex Plauto Aulul. act. 2. 6. 5. vinum a ſacrificiis Cereris abfuiſſe: cur igitur hic adeſt? Douza in illum Plauti locum diſtinguit duo Cereris ſacrificia; *ambarvalia*, quæ cum vino fiebant: quod patet ex Tibulli loco citato. *Eleuſina*, quæ nuptiarum ejus memoriam celebrabant, & hæc fiebant ſine vino: de iis Plautus explicandus eſt: *Cererine has ſunt facturi nuptias? quia temeti*, id eſt vini, *nihil allatum intelligo*.

347. *Cererem clamore vocent in tecta.*) Ut eorum domino propitia ſit, velitque copioſam ſegetem, quæ & Ceres ipſa dicitur, in ejus horreum inferri.

349. *Quercu.*) Ob memoriam victus prioris, nempe glandium; a quibus ad frumenta revocati ſunt, beneficio Cereris.

353. *Quid menſtrua Luna.*) Quæ ſingulis circiter menſibus curſum conficit: ut enim Sol anni; ſic Luna menſium eſt præſes: unde & *menſis* dictus eſt a μήνη *Luna*. Monetque poeta, tempeſtatum prognoſtica repeti poſſe duplici e capite: ex aſtrologia & experientia. Aſtrologiam exprimit his verbis: *Quid*

*men-*



Agricolæ propius ſtabulis armenta tenerent.
Continuo ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor; aut reſonantia longe
Litora miſceri, & nemorum increbeſcere murmur.
Jam ſibi tum a curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora, cumque marinæ
In ſicco ludunt fulicæ: notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.
Sæpe etiam ſtellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctiſque per umbram
Flammarum longos a tergo albeſcere tractus;
Sæpe levem paleam & frondes volitare caducas,
Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis cum fulminat, & cum
Eurique Zephyrique tonat domus, omnia plenis
Rura natant foſſis, atque omnis navita ponto

Hu-

*ruſtici ſæpe continerent greges non longe a ſtabulis. Statim ventis orientibus, aut æquor maris commotum incipit inflari, & ſiccus fragor audiri ex altis montibus; aut ripæ procul reſonantes perturbari, & murmur ſilvarum augeſcere. Jam tunc fluctus difficile ſe abſtinent a curvis navibus* vorandis, *cum mergi revolant celeriter e medio mari, & emittunt vocem ad litora: & cum marinæ fulicæ ludunt in arena: &* cum *ardea relinquit paludes* ſibi *notas, & volat ſupra altam nubem. Sæpe etiam, vento imminente, videbis ſtellas præcipites cadere e cœlo: & longos tractus lucis albeſcere a tergo, per tenebras noctis: ſæpe paleas leves, & folia caduca volitare, aut plumas natantes in ſuperficie aquæ agitari. Si quando fulmen cadit a regione Boreali, & quando regio Euri & Zephyri tonat; omnes campi inundantur foſſis plenis: & omnis nauta per mare*

*colli-*

## N O T Æ.

*menſtrua Luna moneret: quo ſigno, &c.* Experientiam his verbis: *Quid ſæpe videntes agricolæ, &c.* Incipit a prognoſticis experientiæ verſu 356. tum exequitur prognoſtica aſtrologiæ, de Sole & Luna verſu 424.

354. *Quo ſigno, &c.*) Vel *quo ſub ſidere*; vel melius, *quo indicio* intelligi poſſet ventos deficere. *Auſtri* pro quibuslibet procelloſis ventis: de iis Ecl. 2. 58.

356. *Continuo ventis ſurgentibus, &c.*) Ventorum affert prognoſtica XI. 1. Agitationem maris. 2. Fragorem e montibus. 3. Sonitum litorum. 4. Murmur ſilvarum. 5. Volatum mergorum e mari. 6. Ludos fulicarum in arena. 7. Fugam ardearum. 8. Lapſum ſtellarum. 9. Nocturnos lucis tractus. 10. Palearum volatum. 11. Plumarum in aqua colluſionem.

357. *Aridus fragor.*) Epithetum e Lucretio l. 6. 118. *Aridus unde aures tergit ſonus.* Siccus & acutus: qualis eſt arboris cum frangitur.

361. *Mergi.*) Ital. *Smergi*; aliis corvi aquatici dicuntur.

363. *Fulicæ.*) *Folaghe*; anatibus non admodum abſimiles.

364. *Ardea.*) *Airone*: e præpetum genere, quæ altius volant; unde dicta quaſi *ardua*.

365. *Sæpe etiam ſtellas, &c.*) Conſentiunt omnes nullam cœlo ſtellam labi, ſed hoc e vulgi mente dictum eſſe, cui labi videtur. Lapſus autem illi juxta Plinium l. 1. 8. ſunt redundationes quædam humoris illius, quo aluntur ſtellæ; ut in luminibus accenſis liquore olei videmus accidere. Juxta Servium, ſunt particulæ quædam ignis ætherei, quæ decutiuntur a vento vehementiore, cum altiora conſcenderit. Nugæ. Juxta Ariſtotelem, ſunt terræ exhalationes aptæ ad concipiendum ignem: quæ ad mediam uſque aeris regionem eductæ, illic circumfuſi aeris frigore compreſſæ igneſcunt.

370. *At Boreæ de parte, &c.*) Prognoſtica pluviarum colligit XII. 1. Fulmen a Borea, id eſt ſeptentrione. 2. Concurſum Euri venti orientalis, & Zephyri venti occidentalis. 3. Fugam gruum e vallibus. 4. Buculam captantem naribus auras. 5. Hirundinem lacus circumvolitantem. 6. Ranas coaxantes. 7. Formicas ova e latebris educentes. 8. Arcum cœleſtem. 9. Corvos rauce crocitantes. 10. Marinarum avium & cycnorum frequentes ſub aquis demerſiones. 11. Solitariam cornicum in arena diſcurſationem. 12. Fungos in lucerna concreſcentes.

371. *Eurique, &c.*) Spirat ab oriente brumali. Latinis *Vulturnus* appellatur ex Plin. l. 2. 47. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5. De *Borea*, Ecl. 7. 51.

M 733. *Nun-*

Humida vela legit. Nunquam imprudentibus imber
Obfuit. Aut illum ſurgentem vallibus imis
Aeriæ fugere grues: aut bucula cœlum
Suſpiciens, patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit ova
Anguſtum formica terens iter: & bibit ingens
Arcus: & e paſtu decedens agmine magno
Corvorum increpuit denſis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivere hyemem: teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.
Nec minus ex imbri ſoles, & aperta ſerena
Proſpicere, & certis poteris cognoſcere ſignis.

395. Nam

*colligit vela humida: nunquam pluvia incautis nocuit. Vel iſtam venientem grues aeriæ fugiunt ex imis vallibus: vel juvenca cœlum aſpiciens hauſit aerem naribus patentibus: aut hirundo canora volat circa lacus: & ranæ in limo canunt antiquam querelam. Sæpe formica fodiens parvam viam exportat ova ex intimis cavernulis: & bibit aquam magnus arcus* cœleſtis*: & turba corvorum rediens e paſtu magno numero, ſtrepit denſis alis. Præterea videre potes diverſas aves maris, & quæ circum veſtigant Aſiana prata in mollibus paludibus Cayſtri, certatim aſpergere humeros multa aqua: nunc objicere caput fluctibus, nunc currere per undas, & fruſtra agitari deſiderio lavandi ſe. Tunc cornix importuna advocat imbrem alta voce, & ſola privatim vagatur in arena arida. Ac ne puellæ quidem noctu nentes lanam ignorant pluviam* futuram*: cum vident oleum emittere ſcintillas in lucerna ardente, & putrides fungos cumulari. Pariter poſt imbrem poteris prævidere, & certis indiciis diſcere dies* ſudos *& cœlum apertum & ſerenum.*

Tunc

N O T Æ.

373. *Nunquam imprudentibus imber Obfuit, &c.*) Nunquam incautis nocuit: quia tam clara dat ſui ſigna, ut quibuſcunque nocuit, ii cavere potuerint.

378. *Et veterem, &c.*) Alluditur ad metamorphoſim, qua Lyciæ ruſtici in ranas commutati ſunt: cum Latonæ, Dianam & Apollinem liberos ſinu gerenti, & ad lacum præ ſiti accedenti, convicium feciſſent. Ovid. Met. 6. 374. *Nunc quoque turpes litibus exercent linguas; pulſoque pudore, Quamvis ſint ſub aqua, ſub aqua maledicere tentant, &c.*

380. *Et bibit ingens Arcus.*) Vulgus veterum putabat arcum cœleſtem, ſive *Irim* haurire ſuis cornibus aquam e fontibus, eaque nutriri. Unde & eam *Junonis* nunciam finxere, id eſt *aeris*.

383. *Et quæ Aſia circum, &c.*) *Cycnos* intelligit, frequentes in Cayſtri ripis: *Cayſter*, vel *Cayſtrus* fluvius Aſiæ minoris, naſcens in Phrygia majore, trajectaque Lydia per Ioniæ litus in Ægæum mare defluens. *Aſia* palus & oppidum inter *Cayſtrum* fluvium, & montem *Tmolum*, qui eſt in confinio Lydiæ & Phrygiæ majoris: primam ſyllabam habet longam: *Aſia* vero mundi pars, brevem. *Rimari* eſt cibum per terræ rimas veſtigare, vermiculos, &c. *Stagna* hic prata ſunt, in quæ Cayſter exundat, & in quibus ſtant reſides aquæ.

387. *Incaſſum.*) Fruſtra. Quia cycnorum candori nihil addi per lotionem poteſt. *Geſtire.*) Eſt lætitiam & contentionem ſuam motu, geſtuque corporis exprimere.

388. *Tum cornix plena, &c.*) Ita vulgo legitur: Servius tamen *rauca*. Corvi itaque in utriſque prognoſticis locum habent: ad pluviam quidem, *Corvorum increpuit denſis, &c. Cornix plena pluviam, &c.* Ad ſerenitatem vero v. 410. *Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces, &c.* Nempe ſi *plena* voce, ac rauca diu crocitent, pluviam indicant; ſi *ter* aut *quater*, & *preſſo gutture*, & *liquida voce*, ſerenitatem nuntiant.

390. *Penſa.*) Lanas, quæ puellis datur ad penſum, id eſt, intra conſtitutam diem expediendæ.

391. *Teſta.*) Lucerna teſtacea.

392. *Fungos.*) Scintillas; quæ circumfuſi aeris humore & craſſitie erumpere cum fumo prohibitæ, in lucernis reſident, & cumulantur in quamdam fungorum ſimilitudinem.

393. *Nec minus ex imbri, &c.*) Enumerat prognoſtica ſerenitatis ix. 1. Nitorem ſtellarum.

rum.



Nam neque tum ſtellis acies obtuſa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna,
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad Solem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones: non ore ſolutos
Immundi meminere ſues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt:
Solis & occaſum ſervans de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.
Apparet liquido ſublimis in aere Niſus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacumque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.
Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant: & ſæpe cubilibus altis,
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti,
Inter ſe foliis ſtrepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam, dulceſque reviſere nidos.
Haud equidem credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.

Ve-

*Tunc enim, nec lux ſtellarum apparet languida, nec Luna* videtur *oriri, debens* lucem ſuam *luci Solis, nec levia vellera lanæ volare per aerem. Halcyones charæ Thetidi non explicant Soli alas in litore. Fœdi porci non meminerunt diſſipare roſtro faſciculos* palearum *laceratos. Sed potius nubila deprimuntur in valles, & reſident in campis. Et noctua, obſervans occaſum Solis ex alto cacumine, non emittit ſerotinos cantus. Falco videtur ſublimis puro in aere, & alauda ſolvit pœnas pro crine purpureo* a ſe ſecto*: quacumque alauda fugiens findit alis tenuem aerem, ecce falco hoſtis crudelis magno murmure perſequitur* eam *per aerem; alauda fugiens celeriter findit alis tenuem aerem. Præterea corvi ter aut quater iterant claras voces compreſſo gutture: & ſæpe in nidis excelſis, neſcio qua lætitia pleni præter morem, inter ſe frondes commovent: placet redire ad parvam prolem, & gratos nidos, pluvia exacta. Sane non puto quod ſit illis* datum *a Diis ingenium, & rerum prudentia,* quæ *potentior* eſt *fato.*

Sed

N O T Æ.

rum. 2. Nitorem Lunæ exorientis. 3. Cœlum ſine velleribus & nubeculis. 4. Halcyones alas ad Solem non explicantes. 5. Sues non jactantes manipulos. 6. Nebulas ad terram depreſſas. 7. Noctuam cadente Sole ſilentem. 8. Falconis in alaudam incurſus. 9. Corvorum lætos ſtrepitus. *Ex imbri.*) Vel poſt *imbrem*. Vel ex ipſo imbre, ſive obſervatione indiciorum pluviæ tempeſtatis, cognoſces oppoſitam temperiem: ſi nimirum indicia illa abfuerint. *Aperta ſerena.*) Supra v. 153.

396. *Obnoxia.*) Quia tam clare lucet, ut lucem tunc, non a Sole, ſed a ſe ipſa habere videatur. Sol & Luna, Latonæ liberi, Ecl. 3.67.

399. *Dilectæ Thetidi Halcyones.*) Ceyx, Luciferi filius, Trachiniæ rex, ob multa domeſtica portenta profectus ad Clarii Apollinis oraculum, in Ægæo mari naufragium fecit. Uxor ejus Halcyone, Æoli filia, cum in mariti cadaver appulſum litori involaret amoris impetu, ambo in aves converſi ſunt, uxoris nomine *Halcyones* dictas: & in fidei præmium quotannis ipſarum fœturæ mare placidiſſimũ ſubſternitur per 7. vel 11. vel 14. dies, qui inde *Halcyonii dies* appellatur, & contingunt circa brumam. Hinc *dilectæ Thetidi* ſunt. De *Thetide*, Ec. 4. 32.

*Meminere ſues.*) Non memoria proprie dicta, quæ fit per ſpecies, ſeu imagines rerum, uſu & ſenſu comparatas: ſed memoria improprie dicta, quã vocant *inſtinctum*, quæ fit per ſpecies in ortu ingenitas, quibus animãtes ad rem aliquam fugiendam, aut appetendam, moventur; quoties ſpecies illæ, rei ſimilis objectu & præſentia excitantur. Ita ſpecies ingenita agitandi luti, ſolvendique manipuli movet ſuem, quoties luti, aut manipuli objectu excitatur.

403. *Nequicquam exercet.*) Id eſt, hoc loco, *non exercet*; juxta Servium, qui ſic explicat Perſium Sat. 2. 51. *Nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo*, id eſt, *non ſuſpiret*. *Noctua*, avis & funeſta & nocturna, Ital. *civetta*.

404. *Niſus, &c.*) *Haliæetus*, ſive falco, Ital. *falcone*, olim Niſus Megarenſium rex: *Scylla*, *Ciris*, ſive *alauda*, *lodola*, ejus filia: aves inimiciſſimæ. De earum metamorph. Ecl. 6. 74.

415. *Haud equidem, &c.*) Cauſam affert, cur aves, cæteræque animantes mutationem aeris præſentiant: non item homo. Ac negat eas habere rationem, & ingenium divinitus datum: indeque diſcrimen repetit; quia

M 2 homo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Verum, ubi tempeſtas & cœli mobilis humor
Mutavere vias: & Jupiter uvidus Auſtris
Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat:
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.
Si vero Solem ad rapidum Lunaſque ſequentes
Ordine reſpicies; nunquam te craſtina fallet
Hora, neque inſidiis noctis capiere ſerenæ.
Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aere cornu:
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.
At, ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus auctor)
Pura, neque obtuſis per cœlum cornibus ibit;
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo
Exactum ad menſem, pluvia ventiſque carebunt:
Votaque ſervati ſolvent in litore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoque & exoriens, & cum ſe condit in undas,
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequuntur:
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum Con-

*Sed quando temperies & humor mutabilis cœli mutavit qualitates aeris: & quando aer humectatus Auſtris condenſat ea, quæ prius erant rara, & rarefacit ea, quæ prius erant denſa: tunc ſpecies animorum mutantur, & corda nunc ſuſcipiunt affectus alios, & alios, dum ventus turbabat nubes. Hinc oritur ille cantus volucrum in campis, & lætæ ſunt pecudes, & corvi exſultant gutture. Si autem conſideres Solem rapidum, & ordinem Lunarum ſequentium, nunquam dies craſtinus te decipiet, nec decipieris fraude noctis ſerenæ. Cum primum Luna colligit lucem renaſcentem, ſi amplectatur aerem obſcurum nigris cornibus, maxima pluvia imminet colonis & mari. Sed ſi ſparſerit in vultu ſuo ruborem virginalem, ventus erit: Luna aurea ſemper rubeſcit ex vento. Si vero quarto die (nam hic eſt index certiſſimus) incedit per aerem clara, & cornibus non hebetatis; & ille dies totus, & qui ſequuntur poſt illum uſque ad menſem tranſactum, erunt abſque imbre & vento: & nautæ ſervati a tempeſtate reddent in litore vota Glauco, & Panopeæ, & Melicertæ filio Inus. Sol quoque, & oriens, & quando ſe abſcondit in mare, præbebit indicia: certiſſima indicia ſequuntur Solem, & quæ dat mane, & quæ ſtellis apparentibus. Cum Sol abditus in cavo nubis, diſtinxerit primum ortum maculis, &*

N O T Æ.

homo ratione pollet, atque adeo judicio & ratione, præter naturam & qualitatem aeris, poteſt eſſe triſtis & lætus; at vero animantes reliquæ, cum ratione careant, obſequuntur naturæ aeris; atque adeo quoties vel triſtes, vel lætæ apparent, id ex aliqua cœli aeriſque affectione fieri probabilius eſt, qua neceſſario commoventur.

418. *Mutavere vias.*) Mutavere rationem & qualitatem aeris. *Via* enim eſt ſæpe *ratio* & *modus*. Sic G. 2. 22. *Sunt alii quos ipſe via ſibi repperit uſus.*

419. *Denſat, &c.*) *Denſare* eſt aliquid in minorem dimenſionem contrahere: *relaxare* ſeu *rarefacere*, eſt in majorem dimenſionem dilatare. Quæ duo imprimis cadunt in aerem, qui naturæ eſt facile mobilis: aeris autem vis eſt in animantes maxima. Itaque mutato aere mutantur, variæque agitantur ſpecies, & imagines rerum, in animantium memoria ſuperſtites: mutatis ſpeciebus, mutatur cognitio: mutata cognitione, appetitus quoq; varie movetur; ſive ad triſtitiam, ſive ad lætitiam; ſive ad proſecutionem, ſive ad fugam. Per *ſpecies animorum*, cognitio exprimitur; per *motus*, affectio diverſa appetitus, cujus ſedes eſt in corde, ſeu *pectore*.

423. *Ovantes.*) Lætantes, Æn. 3. 189.

427. *Luna revertentes.*) Proponit ea prognoſtica, quæ ab aſtrologia petuntur. I. A *Luna* tria. 1. Si nova ſit obſcura, pluviam notat. 2. Si rubeſcat, ventum minatur. 3. Si quarta die ſerena ſit, menſem ſerenum promittit. Unde vulgare eſt: *Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.* II. A *Sole* octo. 1. & 2. Si in ortu aut ſit maculoſus, aut media tantum ſui parte appareat, imbrem nuntiat. 3. & 4. Si in ortu diviſi ſint radii, aut Aurora palleat, ventos prædicit. 5. & 6. In occaſu ſi ſit cæruleus, pluviam; ſi igneus, ventos. 7. Si maculoſus, pluviam & ventos. 8. Si in ortu & occaſu lucidus, ſerenum ac ſudum Aquilonem.

427. *Col-*



Conditus in nubem, medioque refugerit orbe;
Suſpecti tibi ſint imbres: namque urget ab alto
Arboribuſque ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter.
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi erumpent radii, aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu male tum mites defendet pampinus uvas,
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo cum jam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis: nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluviam denunciat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbiſque videbis
Fervere. Non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At ſi, cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit, fruſtra terrebere nimbis,
Et claro ſilvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid Veſper ſerus vehat, unde ſerenas
Ventus agat nubes; quid cogitet humidus Auſter,
Sol tibi ſigna dabit. Solem quis dicere falſum
Audeat? ille etiam cœcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumeſcere bella.
Ille etiam exſtincto miſeratus Cæſare Romam, Cum

*& media ſui parte latuerit: tunc pluvia ſit tibi ſuſpecta. Nam Notus funeſtus & arboribus, & ſegetibus, & pecudibus imminet e mari. Vel cum ſub initium diei radii ſeparati emittent ſe ex opacis nubibus: vel cum Aurora, relinquens aureum lectum Tithoni, orietur pallida: Heu! tunc frondes male tuebuntur maturos racemos: tam multa & horrida grando ſaliet crepitans in tectis. Præterea magis proderit hæc alia annotare, cum Sol occidet cœlo decurſo: nam ſæpe videmus diverſos colores ſpargi in ejus vultu. Cæruleus ſignificat imbrem, flammeus ventum. Si vero maculæ incipiant miſceri cum micanti lumine, tunc videbis omnia æque turbari vento & pluvia. Nullus me hortetur ire illa nocte per mare, & ſolvere funem a terra. Sed ſi globus Solis nitidus ſit, & quando reducet diem, & quando reductum abſcondet: fruſtra timebis pluviam, ſed videbis ſilvas agitari ſudo Aquilone. Denique Sol tibi ſignificabit, quid ferat Veſper ſerotinus: qua ex parte ventus pellat ſiccas nubes: quid humidus Auſter præparet. Quis audeat Solem appellare fallacem? Ille quoque ſæpe declarat ſecretos tumultus imminere, inſidiaſque & bella occulta parari. Ille quoque miſertus eſt Romæ, quando occiſo Cæſare,*

N O T Æ.

427. *Colligit ignes.*) Quos decreſcens amiſiſſe videbatur, & quaſi diſſipaſſe.

437. *Glauco & Panopeæ, &c.*) Marinis numinibus. Verſus bis hiat Græcum in morē. *Glaucus* piſcator fuit: qui cū piſces a ſe captos fortuito cujuſdam herbæ attactu reſilire in aquā vidiſſet, eadēque ipſe deguſtata, piſces in mare ſecutus eſt, & in marinum Deū eſt converſus. *Panope*, vel *Panopea*: Nympha maris, Nerei & Doridis filia. *Melicerta* vel Melicertes *Inus* filius fuit. *Ino* autē Cadmi filia, Athamantis Thebarū regis uxor, quæ maritū fugiens, in mare ſe cum filio præcipitem dedit: ambo maris numinibus additi: & *Ino* quidem Græcis *Leucothea*, Romanis *Matuta*; *Melicerta* illis *Palæmon*, his *Portunus* appellatus eſt. Alii tamen Auroram his nominibus deſignatam putant: & *Leucotheam* Græco nomine, quaſi *albam Deam*; *Matutam* Latino dictā eſſe, quaſi *matutinam*. *Inoo.*) *Inous*, adjectivum nomen, id eſt, *filius Inus*.

443. *Ab alto.*) Supra v. 324. *Notus.*) Idem qui Auſter, ventus meridionalis, Ecl. 2. 58.

446. *Seſe erumpent, &c.*) Hic active ſumitur, auctore Lucretio l. 4. 1108. *Tandem ubi ſe erupit nervis collecta cupido.*

447. *Tithoni croceum, &c.*) De *Tithono*, deque *Aurora*, ſupra v. 249. *Croceus* color, Ital. *Zafferano*. Ecl. 4. 44. De *Olympo*, Ecl. 5. 56.

456. *Fervere.*) Penultima brevi ſemper apud Virgilium: ut & *fulgere*, *ſtridere*, *effulgere*, *effervere*.

460. *Aquilone.*) Vento ſeptentrionali, qui & *Boreas* dicitur: ſiccat nubes & cœlum abſtergit, Ecl. 7. 51.

464. *Ille etiam, &c.*) VI. PARS. *Digreſſio de prodigiis, quæ cædem J. Cæſaris, aut præceſſerunt, aut ſubſecuta ſunt.* Quæ ſingula Scriptorum aliorū auctoritate quoad poterit fieri confirmabo. Videndus Ovid. Met. 15. 782. qui prodigia illa recenſuit, & Virgilium imitatus eſt.

467. *Cum*

Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque, & æquora ponti,
Obſcœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa?
Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audiit, inſolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens, & ſimulacra modis pallentia miris

Viſa

*quando velavit lucidum caput obſcura ferrugine*, & quando *homines ſcelerati timuerunt perpetuam noctem. Quamquam illo tempore terra quoque, & æquor maris, & fœdi canes, & funeſtæ aves dabant ſigna. Quoties vidimus Ætnam exundantem, caminis effractis erumpere in arva Cyclopum, & eructare globos flammarum ac lapides comminutos? Germania audiit toto aere ſtrepitum armorum, & Alpes tremuerunt inſuetis motibus. Voces etiam magnæ auditæ ſunt paſſim per lucos tacitos: & ſpectra pallentia miris modis*

*viſa*

## NOTÆ.

467. *Cum caput obſcura ferrugine, &c.*) Servius de vero Solis defectu interpretatur, ſive eclipſi; quam tamen aut illo, aut ſequente anno fuiſſe ullâ negat Scaliger, & explicat de inſolito Solis pallore: de quo ſic Plin. l. 2. 80. *Fiunt prodigioſi & longiores Solis defectus, qualis occiſo Dictatore Cæſare, & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo.* Ita quoque Plutarchus in Cæſare: [illegible] &c. *Circa Solem quoque hebetatio ſplendoris: nam toto illo anno pallens ejus globus, & ſine fulgore oriens, debilem & tenuem emiſit calorem: itaque nubilus aer & gravis exſtitit; unde fructus crudi immaturique elanguerunt ob cæli rigorem, & flaccidi evaſere. Ferrugine.*) Non proprie caligine, ſed rubore nigricante; de eo colore, Ecl. 2. 18.

468. *Sæcula.*) Genus hominum, homines, Lucretii more: cui nihil eſt illa locutione familiarius, l. 1. 1090. *Quippe etiam veſci e terra mortalia ſæcla:* l. 5. 986. *Mortalia ſæcla Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.* Sic l. 4. 1220. *Et muliebre oritur patrio de ſemine ſæclum*; id eſt, mulieres: l. 3. 754. *Deſſperent homines, ſperent fera ſæcla ferarum*, id eſt, feræ: l. 5. 860. *Leonum ſæcla*; id eſt leones: l. 5. 864. *Bucera ſæcla:* id eſt boves, &c. Suſpicatur Giſanius id e Græcis hauſtum eſſe, apud quos γενεά, & *genus* & *ſæculum*, aut certe ſpatium aliquot annorum ſignificat.

470. *Obſcœnique canes, &c.*) Mali ominis: ſic paſſim a probatis auctoribus *fœda* dicuntur omina & auguria, quæ funeſta ſunt. De hac voce Æn. 3. 262. Appianus autem l. 4. civil. inter oſtenta, quæ triumviratum, in ultionem Julianæ cædis inſtitutum, præceſſere, hoc quoque recenſet. [illegible] *Canes vero ululabant ex compoſito, inſtar luporum.*

*Importunæque volucres.*) Plutarchus habet inter prænuncia necis illius prodigia, [illegible], *aves ſolitarias in forum delatas.* Svetonius vero in Julio c. 81. *Pridie eaſdem Idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inferentem volucres varii generis ex proximo nemore perſecutæ ibidem diſcerpſerunt.*

471. *Cyclopum effervere in agros, &c.*) De hoc prodigio nemo ſingulatim hoc tempore. *Ætna*, mons eſt Siciliæ, Ital. *Etna*: de quo Æn. 3. 571. *Cyclopes*, juxta Diodorum, primi Siciliæ habitatores fuere: juxta fabulas, Neptuni & Amphitrites filii; ſic dicti, quia unicum habebant in fronte oculum orbicularem, unde nomen ipſis inditum a κύκλος *circulus*, & ὤψ *oculus, vultus*: iidem Vulcano miniſtri & opifices attributi; tres præcipue, Brontes, Steropes, & Pyracmon; officinam habent apud Ætnam, ſupra v. 295.

473. *Liquefactaque volvere ſaxa.*) Saxa exeſa, & igne comminuta, ſeu pumices aridos, ac ſpongioſos, vel cineres: quod inde conſtat magna interdum copia erumpere.

474. *Armorum ſonitum, &c.*) Appianus l. 4. [illegible], &c. *Exaudiebantur magni clamores virorum, & armorum ſtrepitus, & curſus equorum, cum nihil tale cerneretur.* De *Germania*, quæ bello tentata, & aliqua ex parte victa a Cæſare fuerat, vide Ecl. 1. 63.

475. *Motibus Alpes.*) Ovidius, non Alpes, ſed Romam tremore concuſſam dicit. Met. 15. 799. *Motamque tremoribus urbem.* De *Alpibus*, Ecl. 10. 47.

476. *Vox quoque per lucos, &c.*) Ovid. ibidem v. 793. *Cantuſque feruntur Auditi, ſanctis & verba minacia lucis.*

477. *Simulacra modis, &c.*) Plutarchus in Cæſare. [illegible], *imagines noctu paſſim diſcurrentes.*

478. Pe-



Viſa ſub obſcurum noctis: pecudeſque locutæ,
Infandum! ſiſtunt amnes, terræque dehiſcunt:
Et mœſtum illacrymat templis ebur, æraque ſudant.
Proluit inſano contorquens vortice ſilvas
Fluviorum rex Eridanus, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit; & alte
Per noctem reſonare, lupis ululantibus, urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.
Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:

Nec

*viſa* ſunt *circa crepuſculum noctis; & pecora locuta* ſunt: *dira res! Fluvii conſtiterunt, & terræ hiaverunt.* Præ *triſtitia* ſtatuæ *eburneæ lacrymatæ ſunt in templis, & æreæ ſudaverunt. Padus rex fluminum inundavit ſilvas, eas provolvens magnis verticibus; & per omnes agros rapuit armenta cum ſtabulis: nec eodem tempore, aut venæ minaces* ceſſaverunt *apparere in triſtibus viſceribus* hoſtiarum, *aut ſanguis ceſſavit fluere e puteis, aut urbes* ceſſaverunt *reſonare alte per noctem ululatibus luporum. Aliis* temporibus *nunquam plura fulgura ceciderunt cælo ſereno, nec toties cometæ funeſti effulſerunt. Itaque* campi *Philippici viderunt Romanos exercitus pugnare iterum inter ſe armis paribus.*

*Nec*

## NOTÆ.

478. *Pecudeſque locutæ, infandum.*) Appian. l. 4. [illegible], &c. *Bos etiam humanam vocem emiſit, & infans recens natus locutus eſt.*

479. *Siſtunt amnes.*) Unde ſequitur inundatio redundantium fluctuum. Horat. Od. 1. 2. *Vidimus flavum Tyberim, retortis Litore Hetruſco violenter undis, Ire dejectum monumenta regis, Templaque Veſtæ*, &c. Huc adde, quæ mox dicentur, v. 482. de inundatione *Eridani*. De ſequenti prodigio, nempe *terræ hiatu*, nuſquam mentio.

480. *Et mœſtum illacrymat, &c.*) Appian. l. 4. [illegible]. *E ſimulacris alia quidem ſudabant; alia etiam ſanguinem ſudabant.*

482. *Fluviorum rex Eridanus.*) Ἠριδανὸς Græcis, Latinis *Padus*, Ital. *il Po*: ex Veſulo monte in Alpibus Cottiis exoriens; Galliam Ciſalpinam, quæ nunc Italiæ pars eſt, in *Transpadanam & Ciſpadanam* dividens: in mare Hadriaticum multis oſtiis influit. *Rex.*) Vel quia fluviorum Italiæ maximus eſt: vel quia inſignitum eſt ejus nomine ſignum cœleſte vaſtæ magnitudinis, ab æquatore verſus Oriona, ad circulum uſque polarem antarcticū, vario anfractu pertinens. *Fluviorum.*) Vel pes anapæſtus pro dactylo hic appoſitus; vel duæ breves *fluvi*, in unam longam coaleſcunt, ut ſupra v. 399. *tenuia nec lanæ*, &c.

484. *Triſtibus aut extis fibræ, &c.*) Cicero de divinat. l. 1. 119. de J. Cæſare. *Cum immolaret illo die, quo primum in ſella aurea ſedit, & cum purpurea veſte proceſſit, in extis bovis opimi cor non fuit. Qua ille rei novitate perculſus, cum Spurina diceret, timendum eſſe, ne conſilium & vita deficeret, earum enim rerum utramque a corde proficiſci: poſtero die caput in jecore non fuit. Quæ quidem illi portendebantur a Diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret.* Eadem fere habent Plutarchus, Valerius Maximus, &c. *Exta*, dicta juxta Feſtum, quia e viſceribus ea Diis præſecantur, quæ maxime *extant*, eminentque. *Fibra* quoque dicta eſt antiquis juxta Varronem, cujuſque rei *extremitas*: unde pro venulis, & nervulis, & radiculis vulgo uſurpatur: & veſtium extremitates appellantur *fimbriæ*.

485 *Aut puteis &c. & alte per noctem, &c.*) De primo portento tacent hiſtoriæ: de ſecundo ſic Appian. l. 4. [illegible] *lupi per forum diſcurrebant.*

487. *Cœlum ceciderunt plura ſereno, &c.*) Appian. l. 4. [illegible]. *Et fulmina crebra in templa & ſtatuas cadebant.* Fulmen & fulgor *ſereno cælo*, aliquando mali ominis fuit, ut hic; aliquando etiam boni, ut Æn. 9. 630. *Audiit, & cæli genitor de parte ſerena Intonuit lævum.*

488. *Cometæ.*) Plutarchus in Cæſ. [illegible]: *Grandis cometa poſt Cæſaris necem eximie fulgens ſeptem noctes apparuit.* Hic autem cometa, ſtella eadem illa fuit, de qua Ecl. 9. 47. *Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum*: Sic enim Sveton. in Cæſ. 88. *Ludis, quos primo conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit exoriens circa undecimam horam; creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti.*

489. *Paribus telis.*) Quia Romani contra Romanos bello civili certabant.

490. *Romanas acies iterum videre Philippi, &c.*) Nodus difficilis. Hæc certa præmitto. 1. *Philippi* urbs eſt in confinio Thraciæ & Macedo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nec fuit indignum ſuperis, bis ſanguine noſtro
Emathiam & latos Hæmi pingueſcere campos.
Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra rubigine pila:
Aut gravibus raſtris galeas pulſabit inanes,
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa ſepulcris.
Dii patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Tuſcum Tiberim & Romana palatia ſervas,
Hunc ſaltem everſo juvenem ſuccurrere ſæclo
Ne prohibete. Satis jampridem ſanguine noſtro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.
Jampridem nobis cœli te regia, Cæſar, Invi-

*Nec viſum eſt indecorum Diis, bis Macedoniam, & præſertim vaſtos Hæmi agros, fœcundari noſtro cruore. Nempe futurum eſt, ut aliquando colonus, vertens in illis regionibus terram curvo aratro, reperiat tela corroſa rubigine aſpera: vel pulſet raſtris gravibus caſſides inutiles, & apertis tumulis, admiretur oſſa ingentia. O Dii patrii, Semidei, & Romule, & Veſta mater, quæ cuſtodis Etruſcum Tiberim & Romanas arces: ne impedite, quominus hic adoleſcens ſubveniat mundo ruenti. Jamdudum ſatis expiavimus noſtro cruore perfidiam Laomedontis Trojani. Jamdudum, o Cæſar, aula Deorum* dolet

N O T Æ.

cedoniæ, ad radices Pangæi montis, qui pars eſt *Hæmi*. II. *Pharſalus*, urbs eſt in ea parte Theſſaliæ, quæ ad Macedoniam vergit. III. Emathiæ nomen, ab Emathione rege, Memnonis fratre, datum eſt Macedoniæ locisque confinibus. IV. Octavianus Cæſar haud dubie Brutum & Caſſium delevit, ad Hæmum & Philippos Thraciæ: Julius vero Cæſar Pompeium, ad Pharſalum Theſſaliæ. Atque ita locus utriuſque pugnæ, tota Macedonia intermedia, immo leucis admodum octoginta, diſſitus eſt: ut conſtat e Græcis ſcriptoribus. V. Auctores tamen Romani, Virgilio poſteriores, Lucanus, Florus, &c. utramque pugnam eidem omnino addicunt loco. Ovidius ipſe Metam. 15. 823. de Octaviano, futuro Bruti victore, vaticinatur: *Pharſalia ſentiet illum, Emathiaque iterum madefient cæde Philippi*: plane quaſi unum idemque ſit, *Pharſalia & Philippi*.

Hic nodus. Hæc ſolutio multiplex. I. Reperierunt aliqui apud Stephanum, Scriptorem Græcum nobilem, Thebas Theſſalicas aut Phthioticas, Pharſalo vicinas, etiam vocatas eſſe *Philippos*. Hinc utramque cladem, & Pompejanam, & Brutianam, uni eidemque, ut ait Florus, arenæ addixerunt, Pharſalicæ nimirum: & Philippis, non Thracicis, at Theſſalicis. Errant illi: quippe, qui Bruti cladem Philippis illis Thracicis, & Hæmo monti abjudicant, quibus conſtanti totius hiſtoriæ fide tribuitur. II. Cenſent alii, Theſſaliæ Thraciæque fines, ac proinde Pharſalum & Philippos, Hæmumque adeo montem, Emathiæ ſive Macedoniæ nomine comprehendi: præſertim cum hæc omnia Macedonum regum, Philippi, Alexandri, aliorumque ditione tenerentur. Idque more poetarum, imprimiſque Virgilii, cui familiare eſſe regionum fines quam latiſſimos deſcribere jam vidimus Ecl. 1. 63. Recte quidem illi, ſi Virgilius, & cæteri, pugnam utramque univerſim Emathiæ aſſignaſſent, non Philippis nominatim, aut Pharſaliæ. Quis vero id capiat? urbes duas, octoginta leucarum ſpatio diſſitas, unum eumdemque locum eſſe. III. Exiſtimavi aliquando Virgilium, nullam hic de Pompejano caſu facere mentionem; ſed tantum de gemina Bruti & Caſſii clade; quæ utraque apud Philippos Thraciæ, ad radices Hæmi contigit: & prima quidem Caſſius, ſecunda Brutus periit: utraque menſis fere unius intervallo diſcreta: ut liquet ex Plutarcho in Bruto. At viſum eſt accuratius deinde meditanti, clades illas duas ita vicinas, atque conjunctas eſſe, ut agri dici non poſſint inde *bis pingueſcere*, quod annorum diverſitatem innuit. IV. Igitur ſimplicius & ſanius ita explico. Adverbium *iterum*, non ad *Philippos*, ſed ad Romanorum exercituum concurſum refero. Unde ſit hic ſenſus, meo judicio planiſſimus. *Ergo Philippi viderunt Romanas acies iterum concurrere*. Philippi quidem tunc ipſi *primum* viderunt: pugnam tamen *ſecundam*, de ſummo terrarum imperio decretoriam, inter Octavianum & Brutum, cum prima jam ante commiſſa eſſet apud Pharſalum inter Pompeium & Cæſarem.

491. *Bis ſanguine noſtro Emathiam, & latos Hæmi pingueſcere campos.*) Admiſſa explicatione proxime allata, ſenſus eſt facilis: Bis ſanguine noſtro Emathia, ſive Macedonia, redundavit: primum ad Pharſalum, victo Pompeio; iterum ad Philippos, victo Bruto & Caſſio. Pharſalus enim & Philippi, etſi non in Macedonia ſtri-



Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas verſum atque nefas, tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, ſqualent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt: ſævit toto Mars impius orbe.
Ut cum carceribus ſeſe effundere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia: & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

*dolet te eſſe apud nos, & indignatur te delectari mortalibus triumphis. Si quidem hic fas ac nefas confuſum eſt: tot bella ſunt per orbem, tot criminum formæ: non habetur agriculturæ debitus honor, horrent agri cultoribus abreptis ad militiam, & curvæ falces cuduntur in crudelem gladium: hinc Euphrates, illinc Germania parat bellum: urbes finitimæ violatis fœderibus capiunt arma invicem: Mars ſceleſtus furit toto orbe. Veluti cum quadrigæ eruperunt e ſeptis, per ſpatium circi; & auriga incaſſum adducens habenas abripitur ab equis, nec equi obtemperant habenis.*

N O T Æ.

ſtricte ſumpta, tamen in ejus confinio ſunt. Vox autem illa, *bis*, in Emathiam tantum cadit; non in Hæmi campos Philippicos, ubi ſemel dumtaxat pugnatum eſt: ſed Hæmum præcipue ſignat, ut inſignem recentiore plaga, nimirum clade Bruti & Caſſii, quæ nuper contigerat. Quaſi dicat: *Bis ſanguine Romano rigata fuit Emathia, ſed præſertim ſemel Hæmus mons*. Sic G. 2. 192. *Pateris Libamus, & auro*: id eſt pateris variis, ſed præcipue aureis. Sic G. 3. 56. *Maculis inſignis, & albo*, id eſt, maculis variis, ſed præcipue albis.

498. *Dii patrii indigetes, &c.*) Alii conjungunt, ut iidem ſint *patrii* & *indigetes* Dii: alii diſtinguunt: primi melius: & *indigetes* dicti, vel quia eos *indigitare*, id eſt, appellare & invocare mos erat; vel quia homines fuerant, *in* eodem ſolo cum hominibus *degentes*; vel jam inter Deos *in* cœlo *degentes*; vel quia beati, nullius rei *indigentes*. Talis Romulus, & Æneas: *Quem turba Quirini nuncupat indigetem, temploque ariſque recepit*. Ovid. M. 14. 608. De *Romulo*, Æn. 1. 280.

*Veſtaque.*) Geminam eſſe volunt, alteram Saturni matrem, quam pro terra accipiunt; de qua Ovid. Faſt. 6. 299. *Stat vi terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur*: alteram Saturni filiam, quam virginem & ignis præſidem ſtatuunt; ab *ἑστία focus*, de qua Cicero, de Nat. 2. 67. Vulgo tamen utraque confunditur. Hanc volunt advectam ab Ænea inter Deos Penates, ut videbitur Æn. 2. 717. ejuſque ſacra tradita deinde Albanis, & a Numa Pompilio illata Romam, collegio virginum inſtituto, quæ perpetuum ignem ad ſalutem imperii alerent.

499. *Tuſcum Tiberim.*) Italiæ fluvius eſt Tuſciam, ſive Etruriam, a Latio dividens. De eo Æn. 8. 330. de *Palatiis* Romanis, Æn. 9. 9.

500. *Juvenem.*) Octavianum Cæſarem. Ecl. 1. De *ſæclo*, ſupra v. 468.

502. *Laomedonteæ, &c.*) Laomedon Priami pater, Trojanorum rex, cum urbem ſuam hactenus immunitam cingeret mœnibus, Neptunum, & Apollinem, qui fabricam illam ſuſceperant, pacta mercede fraudavit. Ideo peſte & inundatione vexatus, cum ad placandos Deos, Heſionem filiam juſſu oraculi marinæ expoſuiſſet belluæ: eaque per Herculem liberata eſſet: equos eidem liberatori, quos promiſerat, abnuit: ideo capta urbs ab Hercule ac direpta: Diique complures Trojanis infeſti, quorum odio Romanas quoque calamitates attribuit.

509. *Hinc movet Euphrates, illinc &c.*) Significat bellum ab oriente, ab occidente, ab ipſa Italia imminere, a civibus viciniſque urbibus; a Parthis, quorum terminus erat Euphates, & a Germanis: de utraque gente, Ecl. 1. 63. Et vero de Parthis paulo ante triumpharat Ventidius, & adhuc adverſus eos bellum movebat Antonius.

*Euphrates.*) Nobilis fluvius ex Armeniæ montibus ortus: Meſopotamiam deinde, Nili inſtar, inundatione fœcundat: denique cum Tigride conjunctus, in Perſicum ſinum influit.

512. *Ut cum carceribus, &c.*) Septis, ſive repagulis, quibus continebantur equi ad curſum parati. *Quadrigæ.*) Quatuor equi ſimul juncti, dicti, vel quod ſub eodem jugo ſint, quaſi *quadrijugæ*, ut eſt apud Gell. l. 11. Vel quod impellantur & agantur ſimul, quaſi *quadriagæ*: ut recentioribus magis placet. De illo equeſtri decurſu, ludiſque Circenſibus, Æn. 5. 288.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# P. VIRGILII MARONIS
# GEORGICORUM
## LIBER II.

### ARGUMENTUM.

*HABET hic liber de plantatione partes ſeptem, I. Modos omnes producendarum arborum, tam ex natura, quam ex arte. II. Varias earum ſpecies, & quo ſingulæ modo tractandæ ſint, naturali, an artificioſe. III. Quibus ſingulæ locis felicius perveniant: ubi excurritur in laudes Italici ſoli. IV. Artem diſcernendæ naturæ cujuſque ſoli. V. Culturam vitis. VI. Culturam oleæ, & aliarum aliquot arborum. VII. Epilogum de vitæ ruſticæ felicitate.*

HActenus arvorum cultus, & ſidera cœli:
Nunc te, Bacche, canam, necnon ſilveſtria tecum
Virgulta, & prolem tarde creſcentis olivæ.
Huc, pater o Lenæe: tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris.
Huc, pater o Lenæe, veni: nudataque muſto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Prin-

### INTERPRETATIO.

*Huc uſque* locutus ſum *de cultura agrorum, deque ſignis cœleſtibus: jam loquar de te, o Bacche: & de ſilveſtribus arbuſculis tecum, deque ſobole oleæ lente creſcentis. Huc adſis, o Bacche pater: hic omnia repleta ſunt tuis donis: ager floret tibi onuſtus pampinis autumnalibus: vindemia ſpumat plenis vaſis. Huc adſis, o pater Bacche; & mecum tinge novo vino ſuras nudas detractis calceamentis.*

Primo

### NOTÆ.

2. *Nunc te, Bacche, &c.*) Argumenta proponit hujus libri præcipua. Per *Bacchum*, vinum intelligit: per *prolem olivæ*, vel fructum, vel propaginem olearum: per *virgulta*, generatim ſilveſtres omnes arbores

3. *Tarde creſcentis olivæ.*) *Oliva* tam tarde creſcit, ut per ducentos annos creſcere a quibuſdam dicatur: tam tarde fructum olim tulit, ut ex Plin. l. 15. c. 1. *Heſiodus negaverit oleæ ſatorem fructum ex ea percepiſſe quemquam*; ſua tamen ætate baccas ſecundo anno decerpi, ait idem Plinius. Hinc dicta Græcis [illegible] *ſero genita*, [illegible] *ſero fructum ferens*.

4. *Pater o Lenæe.*) Invocatio Bacchi ſolius; quia præcipuum hoc libro ſtudiũ impendit in vinearum cultu præſcribendo. *Lenæus*, Bacchi nomen; non a *leniendæ* mente, ut Donatus putat, ſed a [illegible] *torcular*. At *Pater*, licet de omnibus Diis comuniter, tamen de Baccho præſertim dicitur. Ita Vellejus de M. Antonio l. 2. *Cum curru velut Liber pater vectus eſſet Alexandriæ*. Hor. Epiſt. 2. 1. 5. *Romulus, & Liber pater, & cum Caſtore Pollux*. De *Baccho* ejuſque inſignibus, Ecl. 5. 29. 69.

5. *Pampineo gravidus autumno, &c.*) Diomedes *exilem* vocat hunc verſum, quod in quinta ſede iambum pro ſpondæo habeat.

6. *Floret ager.*) Vites autumno non florent: adeoque hic *florere*, non proprium, ſed metaphoricum eſt. Sic Æn. 7. 804. *florentes ære catervas*. Lucret. l. 5. *floret mare navibus*, id eſt, *abundat*, *gaudet*, &c.

*Labris.*) *Labrum* vaſis genus, in quo lavabant, quaſi *lavabrum*.

7. *Muſto tinge novo.*) Redundat hic *novo*, juxta aliquos: *Muſtum* enim ſine addito *vinum novum eſt*, immo *novum* ſimpliciter, ut ſcribit Nonius, citaturque in illa ſignifica-

tione



Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipſæ
Sponte ſua veniunt, campoſque & flumina late
Curva tenent: ut molle ſiler, lentæque geniſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, ut altæ
Caſtaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Æſculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſilva:
Ut ceraſis, ulmiſque: etiam Parnaſſia laurus
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.
Hos natura modos primum dedit: his genus omnè
Silvarum fruticumque viret, nemorumque ſacrorum.
Sunt alii, quos ipſe via ſibi repperit uſus.
Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum

De-

*Primo natura diverſa eſt in producendis arboribus. Aliæ enim, nullis hominibus per artem compellentibus, ipſæ ultro naſcuntur, & late occupant agros, & amnes flexuoſos: ut ſiler tenerum, & geniſtæ flexibiles, & populus, & ſalices albentes foliis virentibus. Aliæ vero oriuntur ex jacto ſemine: ut caſtaneæ ſublimes, & æſculus, quæ maxima in ſilvis frondeſcit* ad honorem *Jovis, & quercus quæ exiſtimatæ* ſunt *a Græcis oracula. Aliæ emittunt a radice ſpiſſiſſimam multitudinem* ramorum: *ut ceraſi, & ulmi: laurus etiam Apollinea parva attollit ſe ſub grandi umbraculo matris* ſuæ. *Natura primo ſuppeditavit* tres *illos modos, quibus vireſcit omne genus ſilvarum, & virgultorum, & lucorum ſacrorum. Sunt alii* modi, *quos ipſa experientia ſibi invenit* certa *ratione. Hic avellens ramulos e trunco tenero matrum*

com-

### NOTÆ.

tione ex Nævio *virgo muſta*: ex Catone Cenſorio, *agna muſta*: pro quo magis placuit Plinio: *muſteum piper*, *muſteus caſeus*: Plinius junior, *muſteus liber*, id eſt, *novus*, *recens*. De *cothurnis*, Ecl. 7. 32.

9. *Principio arboribus.*) I. PARS. De *modis quibus arbores proveniunt, tam a natura, quam ab arte.* A natura tribus modis oriuntur, ſponte ſua, ſemine fortuito, & radice: ſemine, inquam, fortuitò; eſt enim quædam ſeminatio, quæ ad artem etiam pertinet. Ab arte quot modis oriantur, vide v. 22.

12. *Siler, lentæque geniſtæ.*) Siler, frutex humilis & lentus, *Arbore ſenza fronde*: ut & geniſta, Ital. *Gineſtra*.

13. *Populus.*) Ital. *pioppo*. *Tria hujus genera*: ex Plinio l. 16. c. 23. *alba, nigra, & quæ Libyca appellatur, minima folio ac nigerrima. Alba folio bicolor ſuperne candicans, inferiore parte viridis.* Imo contra, inferne candicans, ſuperne viridis, ut notat Matthiol. Cauſam duplicis hujus coloris repete ex Ecl. 7. 61.

*Glauca canentia fronde ſalicta.*) Loca arboribus conſita dixit, pro ipſis arboribus, *ſalicta* vel *ſalicete*, pro *ſalicibus*, It. *ſalici*. Multiplex earum ſpecies: præcipua *alba*, quæ validioribus aſſurgit ramis: & quemadmodum populus, foliis hinc virentibus, inde albentibus notabilis eſt. Reliquæ gracilioribus virgis fere conſtant, & inter vimina recenſentur.

15. *Caſtaneæ.*) Ital. *Caſtagne*. *Æſculus*, arbor glandifera, frequens in Dodonæo nemore, quod Jovi dicatum eſt; quidam cum fago confundunt. Ecl. 1. 1. De quercubus ejus nemoris, e quibus oracula repeti ſolebant, Ecl. 9. 13.

18. *Ceraſis ulmiſque.*) *Ceraſus*, Ital. *Ciriegio*, arbor ex Ceraſunte, urbe Cappadociæ maritima, deportata primo Romam a L. Lucullo, & in ejuſdem de Mithridate Ponti rege triũpho circumlata. Scite autem notat Caſaubonus in Athenæum, non arbori nomen ab urbe, ſed urbi potius ab arborum ejuſmodi multitudine inditum eſſe; ut & aliis compluribus locis. Sic enim *Rhamnus, untis*, vicus in Attica, a *rhamnis*; *Achradus, untis*, Atticæ tribus, ab [illegible], quæ *pyrus ſilveſtris* eſt; *Silenus, untis*, in Sicilia, itemque in Cilicia, a [illegible] *apium*. *Ulmus* arbor nota, *olmo*. *Laurus*, Ecl. 2. 54. *Parnaſſia*, quia frequens in Parnaſſo, vel quia in tutela eſt Apollinis, cui ſacer eſt Parnaſſus.

21. *Fruticum.*) Frutices, qui & *virgulta*: ſunt ea quæ ſtatim a radice ſe in ramos, ac veluti virgulas effundunt, & numquam arboreſcunt. Mediæ naturæ ſunt, inter arbores & herbas ſive olera: quæ vero propius ad herbas accedunt, vocantur a Plinio *ſuffrutices*.

22. *Sunt alii.*) Modos enumerat ſeptem, quibus arbores per artem proveniunt.

23. *Hic plantas, &c.*) I. Modus, *Avulſio*; qua ſtolones, Ital. *i rampolli*, una cum fibris, & radiculis, e ſtirpe aut corpore arboris abſcinduntur, & ſulcis ſive ſcrobibus mandantur.

 24. *Hic*

Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos:
Silvarumque aliæ preſſos propaginis arcus
Expectant, & viva ſua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: ſummumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus ſectis, mirabile dictu,
Truditur e ſicco radix oleagina ligno.
Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.
Quare agite o proprios generatim diſcite cultus,
Agricolæ, fructuſque feros mollite colendo.
Neu ſegnes jaceant terræ: juvat Iſmara Baccho
Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.

Tuque

*committit eos foſſulis. Iſte ſepelit terra radices, & perticas fiſſas in quatuor partes, & palos trunco acuminato. Aliæ arbores deſiderant ad propagationem palmites arcuatos deprimi, & plantas vivas in propria terra defodi. Aliæ non indigent radice, & amputator non timet reddens terræ committere ſummum faſtigium rami. Præterea ex ſicco ſtipite oleæ, ramis circumciſis, emittitur radix oleacea: quod mirum eſt dictu. Et ſæpe cernimus ramos unius arboris ſine damno mutari in ramos alterius, & pyrum transformatam producere mala ſibi inſita, & dura corna rubeſcere in pruno arbore. Agite igitur, o coloni: diſcite culturam ſingulis generibus congruam, & manſuefacite per cultum fructus ſilveſtres. Cavete vero ne terræ ſint inutiles: prodeſt Iſmarum vitibus implere, & tegere oleis magnum Taburnum.*

*Tu*

## NOTÆ.

24. *Hic ſtirpes.*) II. Modus. *Defoſſio ſtirpium*, id eſt, imi & craſſioris trunci cum radicibus, Ital. *le radici.*

25. *Quadrifidaſque ſudes &, &c.*) III. Modus. *Infoſſio palorum*, ſive in quatuor partes, ſive in acumen inciſorum, Ital. *Pali. Robore.*) Hic truncum ipſum pali ſignificat, qua parte durior eſt: ſic enim Plin. l. 17. 17. *Ramo ſeruntur & punica, item myrtus, longitudine trium pedum, trunco prius exacuato.* Alibi aliud eſt *robur*. G. 1. 162.

26. *Silvarumque aliæ, &c.*) IV. Modus. *Propagatio*, quæ prætertim in vitibus uſui eſt, Ital. *putare*. Cum palmites e trunco in terrã arcuatim inflectuntur, evaduntque novas in plantas: quæ *ſua*, id eſt, propria nativaque *terra* deinde pullulant; & *vivæ* dicuntur, quia non reciduntur e matris corpore, ſed ei ſemper adhærent. *Propago*, eſt palmes ille inflexus, quo vitis propagatur & multiplicatur, Ital. *innesto.*

28. *Nil radicis, &c.*) V. Modus. *Infoſſio ſummi ſurculi*, ſive taleæ e cacumine rami amputatæ, quæ abſque radice creſcit & vigeſcit.

30. *Quin &, &c.*) VI. Modus. *Infoſſio circumciſi ſtipitis*, qui non acuminatus, non e cacumine deciſus, ut in tertio, quartoque modo dictum eſt; ſed præciſus ab utraque parte, & ramulis undecumque ſpoliatus, radicem ex ſeſe progignit. *Caudex* in arboribus idem eſt quod caulis in herbis: nempe id, quod e terra ſimplex aſſurgit, ex quo rami, & folia circum erumpunt, Ital. *la pianta.*

32. *Et ſæpe alterius, &c.*) VII. Modus. *Inſitio*, cum ſurculus unius arboris alteri immittitur, quæ quaſi in ejus naturam tranſit: Ital. *innestamento*. De ea fuſius infra v. 73.

33. *Vertere.*) Id eſt, vertere ſe, ut G. 3. 365. *In glaciem vertere lacunæ*, id eſt verterunt ſe. Et Æ. 1. 108. *tum prora avertit*: id eſt, avertit ſe. Et Æn. 2. 229. *novus per pectora cunctis inſinuat pavor*; id eſt, inſinuat ſe.

34. *Prunis ... rubeſcere corna.*) *Cornum*, fructus eſt; *cornus*, arbor, Ital. *corno albore*. Senſus ambiguus: vel enim dicit, corna inſita rubeſcere in prunis arboribus: vel cornos arbores rubeſcere prunis inſitis, quo ſenſu ultimo, non *corna*, ſed *corni*, dicendum fuiſſet. Sed interdũ Virgilius fructum ſumit pro arbore: ut inferius v. 426. *poma* uſurpat, non *pomos*.

36. *Fructuſque feros.*) Plinius l. 17. c. 10. de plantis: *manſueſcunt tractatu, ceu feræ.*

37. *Juvat Iſmara, &c.*) *Iſmarum* & *Taburnum* pro quibuslibet montibus accipit. *Iſmarus*, plurali neutro *Iſmara*, in maritima Thraciæ regione mons, non procul ab oſtiis Hebri. Regionis incolæ Cicones ab Homero appellantur: ipſa regio, percelebris vino: quo Ulyſſes Polyphemũ Cyclopé inebriaſſe narratur Odyſſ. 9. 197.

38. *Taburnum.*) *Taburnus* mons Campaniæ in confinio Samnii, inter Capuam & Nolam, ferax oleis, hodie *Taburo*.

39. *Decurre laborem.*) Plerique omnes allegoriam hanc a circo repetunt, in quo citatis equis decurrebatur: confirmantque ſuam ſententiam his poſtremis libri hujus verſibus. *Sed jam tempus equum fumantia ſolvere colla*, &c.



Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima noſtræ,
Mæcenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto:
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox. Ades, & primi lege litoris oram.
In manibus terræ: non hic te carmine ficto,
Atque per ambages & longa exorſa tenebo.
Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, ſed læta & fortia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt. Tamen hæc quoque ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſilveſtrem animum, cultuque frequenti,
In quaſcumque voces artes, haud tarda ſequentur.
Nec non & ſterilis quæ ſtirpibus exit ab imis,

Hoc

*Tu quoque fave mihi, o Mæcenas, vere ornamentum & pars maxima famæ meæ; & perſequere mecum ſuſceptum opus: & navigans pande vela mari aperto. Non ego cupio comprehendere omnia meis carminibus: Non, ſi haberem centum linguas, & centum ora, & vocem ferream. Fave mihi, & rade oram proximi litoris. Terra eſt in propinquo: non hic morabor te poemate fabuloſo, per circuitus, & exordia prolixa. Quæ arbores ultro erigunt ſe in aerem, oriuntur quidem ſteriles: ſed amplæ & robuſtæ: quia vis nativa ineſt terræ. Attamen ſi aliquis etiam immittat his ſurculos aliarum, aut has translatas committat foſſis præparatis, deponent naturalem aſperitatem, & per aſſiduam culturam, quocumque artificiali modo tractaveris, parebunt celeriter. Pariter illa, quæ ſurgit ſterilis e radice,*

*idem*

## NOTÆ.

&c. Ego a navigatione repeto, ut & cætera quæ ſequuntur. Et vero verbum *decurro* etiam aquis inſervit: apud Catul. 65. 6. *Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi.* Æn. 5. 212. *Prona petit maria & pelago decurrit aperto.*

41. *Pelagoque volans, &c.*) Antea rogaverat Mæcenatem, ut ſecum laborem ſuſciperet: mox idem iterat per allegoriam, invitandô, ut ſecum naviget. Solemne eſt autem vetuſtis ſcriptoribus, grave quodlibet inceptum per navigationem explicare: quod Galli quoque familiari ſermone uſurpamus, *s'embarquer*, Ital. *immergerſi in faccende*, id eſt negotium aliquod ſuſcipere. *Volans.*) id eſt, *navigans*; mutua eſt enim metaphora inter volatum, & natatum, aut navigationem. Sic Æn. 5. 219. de navi Mneſthei: *ſic illam fert impetus ipſe volantem.* Et Æn. 6. 16. de volatu Dædali, *inſuetum per iter gelidas enavit ad Arctos.* Et ibid. v. 19. *Tibi Phœbe ſacravit remigium alarum.* Et G. 4. 59. de apibus, *Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen.*

44. *Primi lege litoris oram.*) Ne te, o Mæcenas, alto mari committas; ſed *lege* tantum, id eſt, ſtringe terrarum litora. Tamen cum antea dixerit, *pelago da vela patenti*, videtur quibuſdam hic ſecum pugnare Virgilius. Alii agnoſcunt hic figuram, quæ *correctio* dicitur, quaſi dicat: *Expande vela in altum. Quamquam non omnia dicam, ſed ſumma tantum capita; itaque lege duntaxat litus.* Ego neque correctionem, neque pugnam hic agnoſco: *patens* enim mare, hic non altum & longe remotum litoribus mare ſignificat; ſed hunc habet ſenſum: *Naviga dum mare patet & apertum eſt, non clauſum ventis*: id eſt: *Aſpira mihi, dum vena fluit, dum ſcribere incipio: & lege litus terrarum*, &c.

45. *In manibus terræ.*) Servius explicat: In facili & in promtu eſt terræ, ruris deſcriptio; de cujus cultu ſcribimus: [illegible] enim Græcis *facile* eſt. Alii melius: Non recedemus a terra inter navigandum; legemus tantum litora: terræ ſemper erunt in propinquo, & velut in poteſtate, ac manibus noſtris. Sic Æn. 9. 132. *Terra autem in manibus noſtris.*

47. *Sponte ſua, &c.*) Jam relegit ſingulos modos, docetque quid cujuſque ſit proprium: tum admonet, artificiales modi quibus arboribus conveniant: quemadmodum antea de naturalibus monuerat, v. 12.

49. *Solo natura ſubeſt.*) *Solum* Turnebus explicat pedem ſeu radicem arboris: cujus natura vividior eſt in ſilveſtribus ad eliciendum ſuccum. Alii de *terra* ipſa explicant, cui nativa vis ineſt; eaque veluti fortior ad ſilveſtres arbores, quam ad ſativas ſuſtentandas. De *ſolo*, ſub utraque ſignificatione, *terræ* & *pedis*, Ecl. 6. 35.

50. *Inſerat.*) Id eſt, per inſitionem in alium truncum transferat, inquit Aſcenſius. Male: non enim arbor ſilveſtris alteri trunco, ſed arbori ſilveſtri ſurculus ex altero trunco fœcundiore imponitur. Quippe *inſerere arborem*, non eſt dumtaxat eam alteri inſerere, ſed etiam eam inſitione alterius perficere; ſic Plin. l. 17. 17. *Corellius inſeruit caſtaneam ſuo met ipſam ſemine.*

60. *Uva*

Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros:
Nunc altæ frondes & rami matris opacant,
Creſcentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.
Jam, quæ ſeminibus jactis ſe ſuſtulit, arbos
Tarda venit, ſeris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant ſuccos oblita priores:
Et turpes avibus prædam fert uva racemos.
Scilicet omnibus eſt labor impendendus, & omnes
Cogendæ in ſulcum, ac multa mercede domandæ.
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore myrtus.
Plantis eduræ coryli naſcuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbroſa coronæ,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Naſcitur, & caſus abies viſura marinos.
Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida,

Et

*idem faciet, ſi diſponatur per campos patentes: nunc alta folia & rami matris inumbrant* eam, *& abſumunt fructus ſurgenti, & enecant ferentem* fructus. *Quæ autem arbor extulit ſe e ſemine projecto, lente creſcit, ſero datura umbram poſteris: & fructus* ejus *degenerant, amiſſo priore ſapore: & vitis gerit viles racemos*, qui ſunt *præda avium. Nempe cura eſt adhibenda erga omnes, & omnes redigendæ* ſunt in *ordinem, & ſubigendæ magno ſumptu. At oleæ melius ex caudicibus, vites per propaginem proveniunt, myrtus Veneris e craſſis palis. Oriuntur & ſtirpibus duræ coryli, & magna fraxinus; &* populus *arbor umbrifera*, ex qua *Herculis corona* fuit; *& quercus Jovis Dodonæi: oritur etiam* ſic *alta palma, & abies*, quæ *expertura* eſt *pericula maris. Arbutus autem horrida inſeritur ſurculo nucis,* *& pla-*

NOTÆ.

60. *Uva racemos.*) Aut hic *uva* pro *vite*, aut *racemus* pro *acinis* uvæ ponitur. Namque, ut admonet Taubmannus, *uva*, *racemus*, *& botrus*, idem plane; ſcilicet totus ipſe fructus vitis: partes ejus ſunt *acini*, ſive grana; partes acini, *folliculus*, ſive cutis, *ſuccus*, *caro*, & *nucleus*.

62. *Multa mercede.*) Vel multo labore, vel multo ſumptu.

64. *Sed truncis oleæ, &c.*) Docet quo ſingulæ modo melius arbores per artem tractandæ ſint. I. *Truncis oleæ*: id eſt, caudibus undecumque ſectis, qui ſextus eſt modus, ſupra v. 30. *Quin & caudicibus*, &c. *Truditur e ſicco radix oleagina ligno*. II. *Propagine vites*; qui quartus eſt modus, v. 26. *Altæ preſſos propaginis arcus*, &c. III. *ſolido de robore myrtus*, id eſt, palo acuminato; qui tertius eſt modus, v. 25. *Et acuto robore vallos*. Et vero ſic Plin. l. 17. 17. *Ramo ſeruntur & punica, item myrtus, longitudine trium pedum, trunco prius exacuto*. *Robur* eſt ipſa pars trunci ſive rami durior, ut diximus v. 25. IV. & V. *Plantis eduræ coryli*, &c. id eſt, vel ſtolonibus, vel ſtirpibus; qui primus & ſecundus modus eſt, v. 23. *Hic plantas tenero abſcindens*, &c. VI. *Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus*; id eſt, nux arbuto inſita melius ſuccedit: Arbutus, Ital. *corbezzolo*. Ecl. 3. 82. Unus e ſeptem modis ſupereſt, nempe *decacuminatio*, ſive *talea*: cujus uſum non attulit; quia fere convenit vel cum tertio modo, vel cum ſexto.

64. *Paphiæ.*) Veneris, a *Papho*, urbe in inſula Cypro, ubi inſigniter colebatur. Cur myrtus dicata Veneri, Ecl. 7. 62.

65. *Eduræ coryli.*) Nuces avellanæ, Ital. *Noci*. *Eduræ*, id eſt valde duræ; litera enim *e* vocabulis præfixa aliquando auget, ut hic, & apud Ovid. in arte, *Nec tamen edure, quod petit illa, nega*. Aliquando minuit, ut infra, v. 78. *Enodes trunci*, id eſt, nodo carentes.

66. *Fraxinus.*) Ital. *Fraſſino albore*. *Herculeæque arbos, &c.*) *Populus*, Ital. *pioppo*: de qua & Herculis corona, Ecl. 7. 61.

67. *Chaoniique patris glandes.*) Quercus, dicata Jovi in nemore Chaonio, ſive Dodonæo, Ecl. 9. 13.

68. *Abies.*) Ital. *Abete*. Cujus aliqua ſpecies apta navibus: unde ipſi quaſi ſenſum tribuit, ad videnda maris pericula.

69. *Arbutus.*) Ital *Corbezzolo*, Ecl. 3. 82. Horrida, quia raris eſt foliis; & verſus ultima ſyllaba cum ſequente verſu eliditur. *Fœtu nucis*, ſurculo, vel gemma e nuce decerpta.

70. *Steriles platani malos, &c.*) *Platanus*, *platano*, arbor umbræ tantum opacitate, & foliorum amplitudine utilis. *Malus*, Ital. *Mela*.

71. *Caſtaneæ fagus.*) Vulgo legitur: *Caſtaneæ fagos*: quod abſurdum videtur, in caſtanea fertili fagum infœcundam inſeri. Unde mire ſe torquent interpretes. I. Aſcenſius legit: *Et ſteriles platani malos geſſere valentes Caſtaneæ: fagus, ornuſque incanuit*, &c. hoc ſenſu: Platani geſſere ramos caſtaneæ arboris, ita valen-



Et ſteriles platani malos geſſere valentes:
Caſtaneæ fagus, ornuſque incanuit albo
Flore pyri: glandemque ſues fregere ſub ulmis.
Nec modus inſerere atque oculos imponere ſimplex.
Nam qua ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur. Nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non ſua poma.
Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoque, nec Idæis cypariſſis:
Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ,

Or-

*& platani infœcundæ tulerunt malos robuſtas: fagus fuit alba* flore *caſtaneæ, & ornus candido flore pyri: & porci comederunt glandes ſub ulmis. Nec una & eadem res eſt, inſerere, & inoculare. Nam qua parte oculi* arborum *emittunt ſe e medio cortice, & rumpunt tenuem pelliculam; arctus ſinus aperitur in ipſo oculo: in quo includunt oculum ex alio arbore deciſum, eumque docent concorporari cum cortice* interiore *humido. Aut præterea trunci carentes nodo ſcinduntur, & profunde rima aperitur cuneis per medium* lignum: *poſtea fertiles ſurculi inſinuantur: nec longo poſt tempore magna arbor ſurgit in aerem ramis fructiferis, miraturque nova folia, & fructus non ſui* generis. *Præterea non eſt unica ſpecies, nec ulmorum robuſtarum, nec ſalicum, & lotorum, & cupreſſorum Idæarum. Nec olivæ pingues oriuntur eadem figura,*

Or-

NOTÆ.

lentes ac robuſtos, ut etiam navium mali videri poſſent. Sed hoc durius. II. Scaliger legit: *Caſtaneas fagus*: ita ut fagus ſit in plurali nominativo quartæ declinationis. At illa lectio, *caſtaneas* pro *caſtaneæ*, paullo ſane audacior. III. Melius Abramus legit, non *fagos*, ſed levi literæ unius immutatione *Caſtaneæ fagus*: ita ut *caſtaneæ* ſit in genitivo, *fagus* in nominativo, per cæſuræ licentiam hic producto: hoc ſenſu: fagus incanuit flore caſtaneæ, & ornus flore pyri. Et vero flores caſtaneæ cum aliquo albore vireſcunt. *Fagus*, Ital. *faggio*, Ecl. 1. 1. *Ornus*, Ital. *Orno*, Ecl. 6. 71. *Pyrus*, Ital. *pero albore*.

72. *Glandemque ſues, &c.*) Significat quercus glandiferas ulmis fuiſſe inſitas, ad paſtum porcorum.

73. *Nec modus inſerere, &c.*) Deſcribitur inſitionis duplex modus: unus qui proprie vocatur *inſitio*, Ital. *inneſtare*: alter qui dicitur *inoculatio*, Ital. *incocchiare*. Additur a Plinio tertius, *emplaſtratio*: quæ ab aliis cum inoculatione confunditur. Videtur tamen, inter tres illos modos, id eſſe diſcriminis: quod *inſitio* fiebat, fiſſo arboris trunco, & ſurculis uno vel pluribus in ipſam trunci fiſſuram inſertis. *Inoculatio* autem, ſinu inter corticem ac truncum aperto, cui ſurculus includebatur. *Emplaſtratio* denique, ſublata parte corticis, cujus in locum ſubſtituebatur alterius arboris gemma, pari magnitudine, quæ ſublati corticis ſpatiu repleret. Id patet ex Plin. l. 17. c. 16. 18. &c. Unde conſtat variam fuiſſe, pro temporum ratione, inſerendi artem: in eoque noſtros homines a Virgilio diſcedere, quod hic *ſinum* in ipſo arboris nodo ac gemma faciendum moneat, quem nos infra, vel ſupra nodum, in corticis parte maxime terſa ac nitida, aperimus. De verbo *inoleſcere*, Æn. 6. 738.

74. *Gemmæ.*) Proprie nodi ſunt, & germina, quibus in flores aut folia arbor protuberat, metaphorice vocantur *oculi* & *gemmæ*: *oculi*, propter corrugationem corticis, quæ circumplicatam oculorum cuticulam imitatur; *gemmæ* ſimili metaphora.

78. *Enodes.*) Supra, v. 65.

83. *Præterea genus, &c.*) II. PARS, de *variis arborum ſpeciebus*. De *ſalicibus* v. 13. *Lotus* arbor Africana magni uſus pro pane, & vino: unde & populi dicti *Lothophagi*: de qua fuſe Plinius, l. 13. 17. De *Cypariſſis*, vel cupreſſis, G. 1. 20.

84. *Idæis.*) Mons Ida duplex, alter in Phrygia, alter in Creta inſula: de ultimo hic ſermo eſt, quem Plinius l. 16. 33. appellat *patriam cupreſſi*.

85. *Nec pingues, &c.*) Tres enumerat olivarum ſpecies, *Orchades*, vel ut alii legunt, *Orchites*, non ab inſulis Scotiæ adjacentibus, quæ *Orcades* appellantur; ſed ab *ὄρχις* *teſticulus*, quod rotundæ ſint: *Radios*, quod oblongæ ſint inſtar radii textorii: *Pauſias*, quod ad oleum exprimendum tundantur, ab antiqua

voce

Orchades, & radii, & amara pauſia bacca,
Pomaque, & Alcinoi ſilvæ: nec ſurculus idem
Cruſtumiis, Syriiſque pyris, gravibuſque volemis:
Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
Et paſſo Pſythia utilior, tenuiſque lageos
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam;
Purpureæ, preciæque. Et quo te carmine dicam
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam Aminneæ vites, firmiſſima vina:
Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus:

Ar-

*Orchades, & radii, & pauſiæ*, quarum *baccæ acerbæ* ſunt: *nec poma & arbores Alcinoi; nec genus idem eſt pyris Cruſtumiis, Syriis, & volemis ponderoſis. Non eadem uva pendet e noſtris arboribus* Italicis, atque illa, *quam Lesbos decerpit e vite Methymnæa. Sunt vites Thaſiæ, ſunt quoque Mareoticæ albæ, Thaſiæ aptæ ſolo pingui, Mareoticæ* ſolo *tenui*. Eſt *quoque vitis Pſythia*, quæ *aptior* eſt *ad vinum coctum, & lageos ſubtilis*, quæ *aliquando pedes captat & alligat linguam*. Sunt *purpureæ, & preciæ. Et quo verſu vos laudabo, o Rhæticæ? ne tamen idcirco pugnate cum cellariis Falernis. Sunt præterea vites Aminneæ, vina* valde *durabilia: quibus cedit & Tmolus, & Phanæus ipſe, princeps* montium viviferorum;

*& par-*

## N O T Æ.

voce *pavire*, id eſt, tundere: monet enim Columella, orchites & radios, ad eſcam eſſe, quam ad liquorem meliores: itaque pauſia propter amaritiem ad oleum apta eſt.

87. *Alcinoi ſilvæ.*) Alcinous Phæacum rex, hortorum ſtudio laudatus apud Homer. Od. 7.

88. *Cruſtumiis, &c.*) Pyrorum ſpecies præcipue tres eligit e pluribus: *Cruſtumia* ab oppido Tuſciæ Cruſtumio, ſubrubicunda: Ital. *Pero ghiacciole*, ex Dalecampio in Plin. l. 15. c. 15. *Syria*, nigricantia, aliter *Tarentina* dicta, quod e Syria Tarentum translata fuiſſent: Ital. *bergamotte*, juxta aliquos. *Volema*, quod volam manus impleant, Ital. *buon criſtiano*: unde quidam confundunt cum iis, quæ Plinius appellat *libralia*, a libræ pondere; ſed hæc ad aliam ſpeciem pertinent, cui nomen Ital. *pera di una libra l'uno*.

89. *Arboribus.*) Vel vitibus ipſis, quæ recenſentur a Theophraſto inter arbores: vel ulmis, quibus in Italia fulciuntur. Harum ſpecies diſtinguit quindecim.

90. *Quam Methymnæo, &c.*) *Lesbos* inſula maris Ægæi, cujus urbs *Methymna* vino illuſtris.

91. *Thaſiæ, &c.*) *Thaſus*, ejuſdem maris inſula. *Mareotides.*) Fuit *Mareia*, lacus Ægyptius, Alexandriam a meridie alluens, & urbs lacui propinqua. Fuit *Mareotis*, Libyæ, ſeu Africæ pars Ægypto contermina, quæ & Marmarica dicta eſt, nunc *Barca*. Fuit denique *Mareotis* alia, pars Epiri, ſeu Græciæ. Tribus his vinum *Mareoticum* attribuitur a diverſis auctoribus: lacui quidem & urbi ab Athenæo lib. 1. Lybicæ regioni a Strabone lib. ultimo: Græcæ regioni a Colum. l. 3. 2. Plures tamen Libycum & Ægyptium fuiſſe cenſent, unde *Alexandrinum* quoque appellant.

93. *Paſſo Pſythia utilior.*) De paſſo *Pſythio* & *Melampſythio* frequens apud varios auctores mentio: unde vero *Pſythiæ* nomen, obſcurum eſt. Cerdanus ſuſpicatur: vel ab oppido aliquo Græciæ derivatum eſſe: ſiquidem Columella l. 3. c. 2. Pſythiam vitem *Græculam* facit: vel a ψίθα, quod apud Heſychium eſt vinum illud, quod ſponte & ſine torculari profluit. *Paſſum* vinum eſt, quod fit ex uvis in vite diutius Sole adustis ex Plin. l. 14. 9. vel ex uvis in lixivia & oleo ad ignem aliquantulum exſiccatis ex Columell. l. 12. 16. Unde *paſſum* dicitur, vel quia Solem aut ignem *patitur*, vel quia Soli *expanditur*.

93. *Tenuiſque lageos, &c.*) λάγεοι *leporaria*, quæ leporis colorem refert. *Tenuis* dicitur: vel juxta Servium, quaſi penetrabilis: quæ facile ebrietatem inducit. Nam, ut admonet idem Servius, *olim*, adverbium eſt cujuslibet temporis. Vel ut innuit Taubmannus, *tenuis* dicitur, quaſi levis & exiguæ virtutis, quæ *olim*, id eſt tarde ac lente admodum inebriat.

95. *Purpureæ, preciæque.*) Illæ a colore nomen habent; hæ a maturitate; quaſi *præcoquæ*, inquit Servius: quia cito matureſcunt.

96. *Quo te carmine dicam, Rhætica?*) Laudatur hæc vitis a Catone, a Plinio: apud Auguſtum etiam fuiſſe in pretio traditur a Sveton. 77. Teſtatur tamen Servius, eam a Catullo fuiſſe vituperatam: qui locus Catulli non extat: unde putat Virgilium in ea lau-

dan-



Argitiſque minor, cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, menſis & Diis accepta ſecundis,
Tranſierim, Rhodia, & tumidis, bumaſte, racemis.
Sed neque quam multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus: neque enim numero comprendere refert.
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni

Na-

*& parva Argitis, cum qua nulla* alia *poſſit contendere, aut liquore tanto, aut duratione per tot annos. Non ego te prætoribo, o* vitis *Rhodia, grata Diis ſecundarum menſarum; nec te, o bumaſte, turgidis uvis. At non eſt numerabile quot* ſint earum *ſpecies, & quæ ſint nomina: neque vero intereſt eas redigere in numerum. Quem* numerum *quicumque vellet diſcere, idem vellet diſcere quot arenæ moventur zephyro; aut quot fluctus Ionii allabantur ad litus, cum Eurus vehementer irruit in naves. Nec vero terræ omnes poſſunt producere omnia. Salices oriuntur circa fluvios, alni circa pigras paludes,*

*orni*

## N O T Æ.

danda, dubitatione uſum eſſe. Quamquam Turnebus figuram illam, *quo te carmine*, &c. non dubitationi, ſed admirationi tribuit, ac ſeriæ laudi, qua locum ipſi inter optima vina aſſignat, ſed poſt vina Falerna: ideo addit: *nec cellis*, &c. Firmatque ſententiam auctoritate Plin. l. 14. 6. *Rhætica tantum Falernis poſthabita a Virgilio*. *Falernus* mons & ager Campaniæ: mons vino, ager frumento feraciſſimus. *Rhætia* Regio Italiæ contermina, inter Alpes Rhæticas ac Tridentinas: ubi hodie Griſones, Tridentina ditio, comitatus Tirolenſis, vallis Tellina, &c.

97. *Sunt etiam Aminneæ, &c.*) Scribunt Plinius & Auſonius *Aminneum vinum*: Galenus & Heſychius Ἀμιναῖοι: igitur juxta illos legendum: *Sunt & Aminnææ vites*: & utroque ſane modo diverſis in codicibus legitur. Ita dictum putat Alciatus generatim vinum optimum, quaſi ἄμεινον *melius*: at ſine teſte. Macrobius etiam conjicit vinum ipſum Falernum, nam *Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum eſt*, inquit ille Satur. l. 2. 16. Virgilius tamen hic Aminneum a Falerno diſtinguit. Ego vinum puto tota ſparſum Italia, ubi ſolas ab antiquis agnitas fuiſſe vites Aminneas teſtatur Columella, & ſuis quoque temporibus vetuſtiſſimas ita ſolitas nuncupari. Eo quippe translatas vites e Theſſalia ab *Amineis* Theſſaliæ populis, ait Ariſtoteles in Polit. citante Philargyrio. Plin. vero l. 14. 2. *Principatus datur Aminneis propter firmitatem, ſenioque proficientem vini ejus utique vitam*.

98. *Tmolus, &c. Phanæus.*) De vino Tmoli Lydiæ montis G. 1. 56. *Phanæus*, mons in promontorio Chii, inſulæ maris Ægæi, cujus vinum aliqui cum *Arviſio* confundunt, de quo Ec. 5. 71. *Aſſurgit.*) Cedit, aſſurgimus enim iis, quibus honorem habemus. Ecl. 6. 66.

99. *Argitiſque minor.*) Minor majore præſtantior; duplex enim eſt ſpecies ex Columel. l. 3. 2. Nomen habet, vel ab ἀργής, albus; vel ab *Argis*, Peloponneſi urbe, & regno, quaſi *Argiva*.

101. *Non ego te, &c. Rhodia.*) Menſæ primæ, carnium erant; menſæ ſecundæ, pomorum, & cæterorum ejuſmodi, quæ *bellaria* generatim appellabant, Græci τραγήματα, Ital. *la deſerta*. In ſecundis illis menſis comprecabantur Deos, iiſque vina libabant, effundebantque, Mercurio præſertim: etiam aliis, Jovi, Junoni, Baccho, ut Æn. 1. 735. *Rhodium* igitur vinum, e *Rhodo* mediterranei maris inſula, aptum dicit; vel ad uſum inter bellaria, vel ad ſolemnem illam libationem.

102. *Bumaſte.*) Βούμαστος, vaccæ mammam magnitudine referens: *bumamma* Varroni, *bumammia* Columellæ & Plinio dicitur.

105. *Libyci.*) Vel Africæ, vel Libyæ, quæ pars eſt Africæ; de qua G. 1. 241. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5. De *Euro*, G. 1. 371.

108. *Ionii.*) Ionium mare dicitur, non quod Ioniam alluit, anguſtam Aſiæ minoris regionem, inter Cariam & Æolidem: ſed quod Siciliam inter & Græciam interfuſum eſt: a quo mare Hadriaticum diſtinguitur *Acroceraunio* Epiri promontorio. Nominis origo incerta.

109. *Nec vero terræ, &c.*) III. PARS. *De variis locis, quibus arbores aliis aliæ felicius proveniunt*. Salices, Ital. *Salici*, v. 12. Alni, Ital. *Olmi*. Orni, Ital. *Orni*. *Myrteta*, loca myrto conſita, Ecl. 2. 54. *Taxus*, *taſſo albero*. Infra v. 269. *Aquilo*. Ecl. 7. 51.

O 115. *Eoa-*

Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus orni;
Litora myrtetis lætiſſima; denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, pictoſque Gelonos.
Diviſæ arboribus patriæ. Sola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt turea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?

Aut

*orni infœcundæ in lapidoſis montibus:* litora *feraciſſima* ſunt *myrtorum: denique vitis amat colles expoſitos Soli; taxi Boream & frigus. Aſpice etiam ultimum orbem excultum ab agricolis, & regionem orientalem Arabum, & Gelonos pictos.* Sua ſingulis *arboribus patria aſſignata eſt. Sola India producit nigrum ebenum; ſoli Sabæi habent ramos turiferos. Cur commemorem tibi balſama ſudantia ex odorifera arbore, & baccas acanthi ſemper virentis? Cur dicam ſilvas Æthiopum, albentes molli lana? & quemadmodum Seres deducant e frondibus fila tenuia?*

*aut*

## N O T Æ.

115. *Eoaſque domos Arabum.*) *Eoas*, orientales: ab ἠώς, *Aurora*, quæ inde oritur. *Arabia*, ingens Aſiæ regio, ſinu Perſico ad orientem, mari rubro ad meridiem, ſinu Arabico ad occidentem, Syria & Meſopotamia ad ſeptentrionem definita: in tres diviſa partes: in *Deſertam*; in *Felicem*, ubi *Sabæi*, & *Panchæi* ture inſignes; & in *Petræam*, ubi *Nabathæi*, ſuis quoque nobiles odoribus.

*Gelonos.*) Barbaros populos, de quibus ita Turnebus l. 29. 26. *Populos Scythiæ omnes eſſe agnoſcunt, & ſcribunt Geographi. Vibius Sequeſter populos Thraciæ exponit: ita enim ſcribit:* Geloni Thraciæ populi, picti corporis parte: *niſi ſi quis nomen Thraciæ, ut mendoſum ſuſpiciat.* Et vero videtur Virgilius eos in Thracia collocare, G. 3. 461. *Acerque Gelonus cum fugit in Rhodopen atque in deſerta Getarum, & lac concretum cum ſanguine potat equino.* Rhodope enim Thraciæ mons eſt: & Getæ, Gens Dacica, Scythiæ tamen ac Thraciæ contermina.

116. *India nigrum Fert ebenum.*) Dicitur *hoc ebenum, & hæc ebenus.* De ea ſic Plin. l. 12. 4. *Unam e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebenum, nuſquam alibi naſci profeſſus. Herodotus eam Æthiopiæ intelligi maluit. Romæ eam magnus Pompejus in triumpho Mithridatico oſtendit. Uritur odore jucundo.* An Ebenus noſtra vera ſit dubitatur, quia ſuffitu nullum emittit jucundum odorem, unde eam Pena exiſtimat eſſe Guayaci ſpeciem. De *India*, *Sabæis*, & *ture*, G. 1. 57.

119. *Balſamaque.*) *Balſamum*, arbuſcula eſt, de qua ſic Plin. l. 12. 25. *Omnibus odoribus præfertur balſamum, uni terræ Judææ conceſſum; quondam in duobus tantum hortis, utroque regio. Oſtendere arbuſculam hanc urbi imperatores Veſpaſiani*, nempe in triumpho Judaico. *Servit nunc hæc & tributa pendit cum ſua gente. Sævire in eam Judæi, ſicut in vitam quoque ſuam: contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice eſt. Viti ſimilior eſt, quam myrto: & implet colles vinearum modo, quæ ſine adminiculis ſe ipſæ ſuſtinent. Inciditur vitro, lapide, oſſeiſve cultellis: ferro lædi vitalia odit. Succus e plaga manat, quem opobalſamum vocant, eximiæ ſuavitatis, ſed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Præcipua gratia lacrymæ, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno;* quod etiam odoratiſſimum eſt. Sic tamen Lipſius, in Tacit. l. 5. 6. *Atque ita ſane tunc fuerit; poſtea non dubium ſtirpem eam in Ægyptum tranſiſſe.* Citatque Claudianum in Epithal. Palladii. Si tamen Joſepho fides eſt Judaic. antiqu. lib. 8. 6. balſami planta potius in Judæam ex Ægypto tranſiit: dono data Salomoni a *Nicauli*; quam hic reginam facit Ægypti & Æthiopiæ, ſacræ literæ reginam Saba nuncupant.

*Acanthi.*) Non eſt hic *branca urſina*, de qua Ecl. 3. 45. quæ paſſim in agris reperitur, herba coronaria, ſed arbor eſt peregrina, ſemper frondens, & baccis ferax. Ea certe eſt *Ægyptia ſpina*, ſive *acacia*, flores habens candidos; ſemina item in ſiliquis, unde ſuccus exprimitur medicos in uſus expetitus, quæ *baccæ* dici poſſunt. Hinc & gummi fluit, quod vocant officinæ *Arabicum*, qua plerique ſpinam Ægyptiam cum Arabica ſpina confundunt. *Acbantus*, ἄκανθα, porro dicitur omnis ſpina, ab ἀκκὴ, *acuo*: unde ἀκακία quoque deducitur: eadem igitur utriuſque vocis origo eſt. Ita Budæus in Theophraſtum l. 4. 3. Videtur nunc in Galliis arbor illa, ſed propter ſoli mutationem ab Ægyptia multum degener.

120. Quid



Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis? ubi aera vincere ſummum
Arboris haud ullæ jactu potuere ſagittæ:
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.
Media fert triſtes ſuccos tardumque ſaporem
Felicis mali: quo non præſentius ullum
( Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba )
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro:
Et, ſi non alium late jactaret odorem,

Lau-

aut quid deſcribam *ſilvas, quas gerit India vicina Oceano*, & quæ eſt *receſſus ultimi mundi? ubi nullæ ſagittæ poſſunt jactu ſuperare ſupremum cacumen arboris: & tamen illa natio non eſt pigra in uſu pharetræ. Media producit ſuccos acerbos, & lentum ſaporem mali fortunati; quo nullum remedium certius eſt, &* certius *expellit e corpore nigra venena: quando novercæ corruperunt potum, & miſcuerunt* cum eo *herbas, & verba pernicioſa. Arbor ipſa magna* eſt, *& ſimilis lauro* ſecundum *formam: & laurus eſſet, niſi circum emitteret alium odorem:*

*fron-*

## N O T Æ.

120. *Quid nemora Æthiopum, &c.*) De iis Plin. l. 13. 14. *Æthiopia Ægypto contermina inſignes arbores non fere habet, præter laniferas: quarum natura, in deſcriptione Indorum, atque Arabiæ, dicta eſt.* Has autem Arabicas ita deſcripſerat l. 12. 10. *Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ oſtendunt lanuginis pilas, ex quibus veſtes pretioſo linteo faciunt.* Lana illa, ſpecies eſt goſſipii, Ital. *cottone*. De *Æthiopia*, Ecl. 10. 68.

121. *Velleraque ut, &c.*) Diſtinguunt plerique vellera *byſſina*, *bombycina*, & *ſerica*; ita ut *byſſina* ſint e lino aurei coloris; *bombycina* e verme ſatis noto; *ſerica* ex arborum lana. Et *byſſum* quidem naſci perhibet Plinius *circa Elim in Achaia*, l. 19. 1. *Bombycem* vermiculum Aſſyriæ attribuit lib. 11. 22. Ejuſque velleris texendi artem a Pamphila quadam muliere repertam eſſe, in Coo maris Ægæi inſula, teſtatur ibidem, poſt Ariſtotelem, Hiſt. na. l. 5. 19. Unde celebrantur a poetis *Coæ* veſtes. Arbores vero ſericas in extremo oriente, apud Seres populos, conſtituit Plinius, l. 6. 17. *Seres lanificio ſilvarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium canitiem. Mites quidem, ſed & ipſi feris perſimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt, cum commercia expectant.* Hi fuerunt Scythis, Indis, & Sinis contermini: unde cum iis omnibus vulgo confunduntur; videntur mihi eorum mores ad Sinenſes propius accedere.

122. *Aut quos Oceano, &c.*) Plin. l. 7. 2. *Maxima in India gignuntur animalia. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, ut ſagittis ſuperari nequeant. Arundines vero tantæ proceritatis, ut ſingula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant.* De India G. 1. 57.

123. *Extremi ſinus orbis.*) Quia latiſſimum habet ſinum, qui dicitur Gangeticus, verſus oceanum Eoum ſive Orientalem: & tota illa regio terrarum terminus habita eſt; Sinis, qui ad orientem ulteriores ſunt, aut parum cognitis, aut Indorum nomine comprehenſis. *Aera ſummum.*) Vel cacumen arboris ita appellat, vel aerem cacumini circumfuſum.

126. *Media fert, &c.*) Regio Aſiæ, opibus inſignis: ad ſeptentrionem mari Caſpio, ad meridiem Perſide, ad orientem Hircania & Parthia, ad occidentem Armenia & Aſſyria, definita. *Malum* fert, *Medicum* aut *Aſſyrium* nomine, vulgo *citrium*, Ital. *cedro*. Quod quidem his octo notis inſignit poeta. I. Amaritie, eaque *lenta*, quod diu palato inhæreat, ut explicat Philargyrius. II. Felicitate, ſeu fœcunditate: ut enim ait Plin. lib. 12. 3. *Arbor ipſa omnibus horis pomifera eſt, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis vero ſubnaſcentibus.* III. Virtute adverſus venena: futura, inquit Servius, non autem jam accepta. Immo ex Theophraſto, Athenæo, Dioſcoride, etiam adverſus accepta, præſertim ſi cum vino ſuccus ejus bibatur. IV. Foliorum cum lauro ſimilitudine. V. Odoris fragrantia. VI. Virore perpetuo. VII. Tenacitate florum: qui abeunt in fructus, non facile vento aut maturitate excutiendos. VIII. Uſu ad fœtorem anhelitus corrigendum. Plin. l. 11. 53. *Parthorum populis hoc præcipue & a juventa propter indiſcretos cibos: namque & vino fœtent ora nimio: ſed ſibi proceres medentur grano Aſſyrii mali, cujus eſt ſuavitas præcipua, in eſculenta addito.* Addit & mederi *ſenibus anhelis*, id eſt, vel fœtide reſpirantibus, & idem erit cum priore ſenſus; vel aſthmaticis & difficile



rei-

Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprima tenax. Animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum ſilvæ, ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanis dentibus hydri:
Nec galeis denſiſque virum ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevere: tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,

Ro-

*frondes nullo vento decidunt: flos valde tenax* eſt. *Medi hoc* malo *corrigunt halitum* ſuum, *& graveolentia ora; & medentur ſenibus anhelantibus. Attamen, nec ſilvæ Medorum, regio opulentiſſima, nec pulcher Ganges, nec Hermus fluens aureo limo contendat* cum *laudibus Italiæ: nec Bactra, nec India, nec tota Panchaia dives ſolo turifero. Tauri efflantes ignem naribus, non aravere hanc regionem, dentibus magni draconis ſeminatis: nec ſeges riguit caſſidibus, & denſis haſtis militum. Sed fœcundæ fruges, & Maſſicus liquor vitis, replent* illam, *& oleæ armentaque pinguia occupant. Ex una parte equus bellicoſus immittit ſe campis alta cervice: ex alia parte greges ovium, & tauri,* quæ ſunt *maximæ victimæ, ſæpe loti ſacris aquis tuis, o Clitumne,* præ-

NOTÆ.

reſpirantibus, & diverſa erit ſententia, nonaque mali virtus. Denique Plin. l. 12. 3. ſic ait: *tentavere gentes transferre ad ſeſe, propter remedii præſtantiam, fictilibus in vaſis: ſed niſi apud Medos in Perſide naſci noluit.* Tamen deinde Palladii diligentia convaluit arbor in Italia, & inde propagata eſt.

134. *Apprima.*) Pro *apprime*: neutrum plurale pro adverbio, Græco more: id eſt, *imprimis*. Sic G. 3. 500. *Et pede terram Crebra ferit, &c.* Ita plerique omnes. At Joſ. Scaliger & Giſanius legunt *apprime*, & contra ſas corripiunt ultimam, Lucretiano more l. 6. 596. *Tecta ſuperne timent, metuunt inferne cavernas.* Et l. 4. 429. *Longe tamen parte ab ſumma, &c.*

136. *Sed neque Medorum, &c.*) Excurſio in laudes Italiæ: quam commendat 1. A malis quibus caret. 2. A bonis quibus abundat. *Medorum ſilvæ.*) Quæ mala citria proferunt, de quibus v. 126.

137. *Ganges, &c. Hermus.*) Auriflui fluvii: *Ganges* ex Emodis profluens montibus, Indiam duas in partes mediam dividens, in Oceanum Indicum exit meridiem verſus: ſeptem oſtiis, ſi fides Virgilio, Æn. 9. 30. negante tamen Strabone l. 15. *Hermus* Lydiæ fluvius, qui auctus Pactolo, aurifero etiam amne, in Phocæicum ſinum illabitur.

138. *Bactra.*) *Bactrana* regio Aſiæ, inter Parthiam ab occidente, atque Indiam ab oriente, Oxo fluvio a ſeptentrione definita. *Bactri*, vel *Bactrii* populi ſunt: *Bactra*, eorum, urbs eorum præcipua. Plin. l. 18. 6. de tritico. *Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, ut ſingula ſpicas noſtras æquent.* De *India*, deque *Panchaia*, vel *Panchæa*, Arabiæ felicis, ſive Sabæorum regione, G. 1. 57.

140. *Hæc loca non, &c.*) Colchidem intelligit, in quam profectus Jaſon, vellus aureum in Martis luco ſuſpenſum diripuit; domitis, & ad aratrum alligatis ignivomis tauris: ſeminatis hydri dentibus: occiſis militibus, qui ſtatim ex illo ſemine eruperant: interfecto denique dracone, velleris cuſtode: quæ omnia perfecit herbarum quarumdam virtute, & arte Medeæ, Æetæ regis filiæ, qui cuſtodiam illam velleri ſuo appoſuerat. Ovid. Met. 7.

143. *Maſſicus.*) *Maſſicus* mons in Campania, vini ferax. De *Baccho*, Ecl. 5. 30. 69.

146. *Clitumne, &c.*) *Clitumnus* Italiæ fluvius, in Umbria: in Topinum primo amnem, mox cum eo in Tiberim labitur: in eo lavabantur victimæ, eoque dealbari putabantur: victimæ enim Jovi Capitolino in triumphis non immolabantur, niſi candidæ. Notat Turneb. l. 29. 26. *Clitumnum* hic pro Deo, non pro ipſo flumine accipi: ſiquidem dicitur, *tuo cum flumine*. Deus autem ille, vel fuit fluminis præſes, cui exſtructum in ejus ripa templum ait Plin. Ep. l. 8. 8. Vel fuit ipſe Jupiter, qui Vibio teſte, Clitumnus dictus etiam eſt. *Maxima taurus victima.*) Victimæ dictæ olim ſunt majora animalia, in quibus maximus eſt taurus: hoſtiæ minora, ut oves.

148. *Tem-*



Romanos ad templa Deum duxere triumphos,
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas.
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæva leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem:
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis:
Fluminaque antiquos ſubterlabentia muros.
An mare, quod ſupra, memorem; quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxime; teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,

Atque

*præceſſere Romanos triumphos ad templa Deorum.* Hic eſt *perpetuum ver, & æſtas menſibus non ſolitis. Bis pecudes pariunt; bis arbores ferunt fructus. Sed tigres furioſæ* hinc *abſunt, & crudelis proles leonum: nec aconita decipiunt miſeros colligentes: nec ſerpens ſquamoſus magnis gyris repit humi, nec tanta longitudine ſe convolvit in ſpiram. Adde tot urbes illuſtres, & difficultatem operum: tot oppida manu exſtructa in altis rupibus: & flumina ſubeuntia veteres muros* urbium. *An laudabo mare, quod alluit* Italiam *ſupra & infra? An vero lacus tam vaſtos? te, o magne Lari; & te, o Benace, intumeſcens fluctu & ſonitu marino? An laudabo portus, & moles objectas* lacui *Lucrino,*

*& mare*

NOTÆ.

148. *Templa Deum.*) Capitolium, Jovi ſacrum.

150. *Bis pomis utilis arbos.*) Hyperbole quibuſdam videtur: eſt tamen aliquid apud Plin. l. 16. 27. & Varronem l. 1. 7. de malo biſera apud Conſentiam, Brutiorum in Italia civitatem.

152. *Aconita, &c.*) Herbæ venenoſæ: dictæ, vel juxta Solinum, ab *Acone* portu in Ponto, regione venenis infami; vel juxta Plin. Ovid. Lucan. a nudis cautibus, ubi naſcuntur, quæ dicuntur ἀκόναι. Naſcuntur & in Italia, teſte Servio: ſed poeta arte utitur ut rem excuſet: nam ea innuit non obeſſe, quia ſunt omnibus nota, nec *fallant legentes*. Sunt item ſerpentes, ſed parvi; neque tanti, quanti alibi: *neque tanto ſquameus, &c.*

158. *An mare, &c.*) Gemino mari alluitur Italia: *Hadriatico*, quod *ſuperum* vocant, quia eſt ad ſeptentrionem, ſuperiorem nobis mundi partem; & *Tyrrheno*, quod *inferum*, quia eſt ad meridiem.

159. *Te, Lari maxime; teque, &c.*) Lacus commemorat duos. Primus eſt *Larius*, *Lago di Como*, in ducatu Mediolanenſi: qui patet in longitudinem ad 30. milliaria, bicornis verſus meridiem: & altero quidem in cornu *Comum* urbem habet. Secundus eſt *Benacus*, *Lago di Garda*, in agro Veronenſi: Mincium fluvium ex ſe emittens meridiem verſus: oppidum alluens *Gardam* ad orientem, unde ipſi nomen: Lario non multo longior, ſed latior; unde maris inſtar agitari tempeſtatibus a Virgilio perhibetur. Fabricius tamen ita legit: *Te Lari, Maxime, teque, &c. Benace, &c.* ita ut tres diſtinguantur lacus, & per *Maximum* is intelligatur, qui nunc eſt *Lago maggiore*: ſed neque lacus ille dictus eſt antiquis *Maximus* ſed *Verbanus*, neque verſus ita interpunctus Virgilium ſapit.

161. *Lucrinoque, &c.*) *Lucrinus*, in Puteolano Campaniæ ſinu minor eſt ſinus, inter Baias & Puteolos: intra eum *Avernus* lacus eſt, eidem per anguſtas fauces conjunctus. Conſtat ex Strabone lib. 5. Lucrinum ſinum fuiſſe jam inde a temporibus Herculis diſcluſum a Tyrrheno mari, aggere longo ſtadia octo; lato, quantum trahendo currui ſufficeret: cum autem vi tempeſtatis aquam admitteret multis locis, additum fuiſſe ab Agrippa id quod ſtructuræ deerat. Cauſam affert illius inſtaurationis Sueton. in Auguſt. 16. ut nempe commoda eſſet ſtatio continendis & exercendis navibus, quas Sex. Pompejo, Siciliam occupanti, objecturus erat Octavianus. Notandum vero cum Abramo, quod quidam e veteribus ſcribere videantur, Lucrinum ab Octaviano fuiſſe perfoſſum, ut Dion lib. 48. & Sueton. in Aug. 16. Quidam contra, fuiſſe molibus a mari ſecluſum, ut Virgil. & Plin. l. 36. 15. Hos ita concilio: Portus unus e gemino continuo lacu factus eſt: & Avernus quidem perfoſſus, ut cum Lucrino conflueret; Lucrinus fere interclusus ne mare liberius in eum influeret. Atque ita explicandus Suetonius: *Portum Julium apud Bajas, immiſſo*

in

Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Julia qua ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, æriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum, Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnoſque Camillos:
Scipiadas duros bello: & te, maxime Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virum: tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes,
Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.

Nunc

*& mare circa illas indignans magno mugitu: qua parte aqua Julia reſonat, mari procul repulſo, & qua Tyrrhenum mare influit in fauces Averni? Eadem* Italia *monſtrat in venis rivos argenti & metallum æris, & auro multum abundavit.* Hæc produxit *bellicoſum genus hominum, Marſos, & juventutem Sabellam, & Ligures aſſuetos labori, & Volſcos armatos verubus. Hæc produxit Decios, Marios, & magnos Camillos, Scipiones bello aſperos, & te, o Cæſar maxime, qui jam nunc victor in ultimis Aſiæ finibus repellis molles Indos a Romanis urbibus. Salve, o terra Saturni, magna parens frugum, magna hominum: ſuſcipio in tuam utilitatem res laudatas & excultas ab antiquis, auſus experire* primus *ſacros fontes: & canto per urbes Romanas carmen* Heſiodi *Aſcræi.*

*Jam*

## N O T Æ.

*in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit.* Male igitur Servius tribuit Julio Cæſari opus illud, quod Julii nomen ad memoriam duntaxat Cæſaris tulit: exſtructum anno U. C. circiter 717. ut ex Sveton. colligitur. Nunc Avernus ſupereſt, *lago d'Averno:* at e Lucrino nihil ſupereſt, niſi palus lutoſa cum arundineto; ex quo mons novus, qui Cinereus dicitur, exſtitit terræ motu, anno 1538.

164. *Tyrrhenuſque, &c. Avernis.*) *Tyrrhenum* mare dicitur, quicquid ab uſque Tuſcia ſive Etruria, ad fretum uſque Siculum, aquarum eſt. De *Averno* lacu, qui a poetis inferorum oſtium habitus eſt, fuſe Æn. 6. 237.

165. *Æriſque metalla.*) Plinius l. & c. ultimis, de Italia: *Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis ceſſit.*

167. *Marſos, &c.*) De *Marſis*, Æn. 7. 750. De *Sabellis*, Æn. 7. 665. De *Liguribus*, Æn. 10. 185. De *Volſcis*, Æn. 7. 803.

168. *Verutos.*) Armatos verubus, id eſt, ex Nonio, brevibus & acutis telis. Lipſius legit: *aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque veruto:* & eſt idem, verutum & veru: ſed præfero communem lectionem *verutos* a *veru*; quomodo paſſim legimus *ſcutatos*, a *ſcuto*, *cinctutos*, a *cinctu*.

169. *Decios.*) Familiam Romæ celeberrimam: ex qua *P. Decius Mus, conſul bello Latino, collega* Manlio Torquato: *cum utrique conſuli ſomnio obveniſſet, eos victores futuros, quorum dux in prælio cecidiſſet: tum collato cum collega ſomnio, cum conveniſſet, ut cujus cornu in acie laboraret, Diis ſe Manibus voveret: inclinante ſua parte, ſe & hoſtes, per Valerium pontificem, Diis Manibus devovit: impetu in hoſtes facto, victoriam ſuis reliquit.* Ita Aurelius Victor. Cicero vero, Tuſcul. 1. 89. teſtatur idem ab ejus filio factum bello Etruſco; idemque ab ejus nepote, bello contra Pyrrhum Epiri regem.

*Marios.*) Cajus Marius, ex municipio Arpinate humili loco natus, triumphavit de Jugurtha rege Numidiæ, deque Cimbris: ſepties Conſul fuit: in ſeptimo conſulatu, metuens imminentem ex Aſia Syllam, aut morbo, aut voluntaria morte deceſſit. *Marius* junior, ejus filius, aut ex ſorore nepos. Præneſte obſeſſus deinde a Syllanis, cum per cuniculum vellet effugere, ſeptus ab hoſtili exercitu, mortem ſibi conſcivit in ipſo cuniculo, cum evadere ſe non poſſe animadverteret.

*Camillos.*) M. Furium Camillum: qui de Vejentibus, decenni obſidione victis, triumphavit: Gallos Roma capta Capitolium obſidentes vicit: alter Romulus dictus, peſtilentia obiit octogenarius.

170. *Scipiadas.*) E Scipionum gente, duo præcipue inſignes, *Africani* dicti: de quibus, Æn. 6. 843.

171. *Qui nunc extremis, &c.*) Certe verſus illos operi jam perfecto Virgilius attexuit: nondum enim ullum ejuſmodi bellum geſſerat



Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique,
Quis color, & quæ ſit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terræ, colleſque maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis,
Palladia gaudent ſilva vivacis olivæ.
Indicio eſt, tractu ſurgens oleaſter eodem
Plurimus, & ſtrati baccis ſilveſtribus agri.
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis & fertilis ubere campus,
Qualem ſæpe cava montis convalle ſolemus
Deſpicere: huc ſummis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum: quique editus Auſtro,
Et filicem curvis inviſam paſcit aratris:
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,

In-

*Jam locus eſt* differendi *de natura terrarum: quæ ſit cuique vis, quis color, & quæ indoles ad* certas quaſdam *res producendas. Primo terra aſpera & colles ingrati, ubi ſterilis argilla & lapilli* ſunt *in agris ſpinoſis, amant ſilvam vivacis oleæ* ſacram *Minervæ. Oleaſter plurimus naſcens in illis locis, & campi operti olivis ſilveſtribus, hoc indicant. At terra, quæ pinguis eſt, & abundans dulci humore, & campus, qui ferax* eſt *herbarum, & fœcundus ubere: qualem ſæpe ſolemus videre* in *ima valle montis, in quam fluvii defluunt ex altis rupibus, & devolvunt limum fertilem, &* campus *qui aſſurgit ad meridiem, & alit filicem incommodam curvis aratris: hic* campus *producet tibi aliquando vites robuſtas, & abundantes multo vino: hic ferax eſt racemorum & liquoris, qualem effundimus pateris aureis,*

*quan-*

## N O T Æ.

rat Octavianus, cum huic libro primum ſcribendo poeta operam daret. Omnino igitur de bello Actiaco, aut potius Ægyptio intelligamus. Primo enim Ægyptus Aſiæ confinis eſt: deinde Indos, & Arabes, & Sabæos, inter auxilia M. Antonii & Cleopatræ fuiſſe memorat Æn. 8. 705. *Omnis eo terrore Ægyptus & Indi, Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.* Neque vero Indi apud veteres, ut apud nos, exacta ratione ſumuntur; ſed promiſcue pro calidarum plagarum populis. Unde Ovidius eos cum Æthiopibus confundit; cum dicit alicubi, Perſeum devexiſſe Andromeden *nigris ab Indis*. Appianus in Annib. ſumit pro Afris; ubi ait Annibalem juſſiſſe, ut Indi conſcenſis elephantis in Claudii caſtra irrumperent. Hyginus ait cap. 275. *Liber in India Ammonem, &c.* id eſt, in Africa, ubi templum Jovis Ammonis.

173. *Saturnia tellus.*) Italia, in qua Saturnus latuit. Ecl. 4. 6. Æn. 8. 318.

176. *Aſcræum.*) Ad imitationem Heſiodi Aſcræi, qui Georgica conſcripſit, Ecl. 3. 40. Ecl. 6. 70.

177. *Nunc locus, &c.*) IV. PARS. *De arte diſcernendæ naturæ cujuſque ſoli*. Et I. quidem præceptum eſt, de *terra apta oleis*, v. 179. II. *Apta vitibus*, v. 184. III. *Apta paſcuis*, v. 195. IV. *Apta frumento*, v. 203. V. *Apta ex æquo his omnibus*, v. 217. VI. *Quo modo terra cognoſcatur denſa & rara*, v. 227. VII. *Salſa*, v. 238. VIII. *Pinguis*, v. 248. IX. *Humida*, v. 251. X. *Gravis, levis, & frigida*, v. 254.

180. *Tenuis ubi argilla.*) Sicca, nam eſt argilla pinguis, Ital. *Terra arida*.

181. *Palladia.*) De *Pallade*, Ecl. 2. 61. De olivæ vivacitate, G. 2. 3. Cur oliva Palladi ſit ſacra, G. 1. 14. *Oleaſter*, eſt ſilveſtris olea.

184. *Dulcique uligine.*) Servius: *Uligo proprie eſt naturalis humor terræ, ex ea nunquam recedens. Bene autem* dulci *addit, ad diſcretionem amaræ*, & ſalſæ: quæ ex Columella l. 3. 1. vitifero ſolo deeſſe debent: *Ne*, inquit, *ſaporem vini corrumpat, & incrementa vitium veluti quadam ſcabra rubigine coerceat*. Et notat Abramus nimiam illam uliginem, quæ ex fluminum decurſu oritur in vallibus, requiri a Virgilio, ex natura Italici ſoli, quod ut plurimum ſiccius eſt: a nobis enim glareoſa potius, & ſiccior terra ad vites expetitur.

185. *Fertilis ubere campus.*) Uber aliquando adjective ſumitur. Propert. l. 1. 22. *Umbria terris fertilis uberibus*; & ſignificat, *fœcundus, copioſus*. Aliquando ſubſtantive, ut hic, & infra v. 234. *vitibus almis aptius uber erit*, & ſignificat ipſam ubertatem, ſive *mammam* terræ. Idque exemplo Homeri, qui Il. 9. 141. agros appellat *mammam terræ*, [illegible].

189. *Filicem, &c.*) *Filix, felce*, herba fruticoſa, multiplici radicum nexu aratrum impedit.

192. *Pateris libamus & auro.*) Diſſolutio eſt vocum pro *pateris aureis*: quibus vinum ex-

qui-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis ſtudium vituloſque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus & ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſo flumine cycnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt,
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere, & preſſo pinguis ſub vomere terra,
Et cui putre ſolum, (namque hoc imitamur arando)
Optima frumentis. Non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis:
Aut unde iratus ſilvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquaſque domos avium cum ſtirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit impulſo vomere campus.
Nam jejuna quidem clivoſi glarea ruris
Vix humiles apibus caſias roremque miniſtrat:

Et

*quando pinguis Etruſcus inflavit* tibiam *eburneam ante aras*, & quando *offerimus* Diis *viſcera victimarum in patinis curvis. Si vero magis amas nutrire armenta, & vitulos, & ſobolem ovium, & capellas, quæ exhauriunt* loca *culta, quære ſilvas & remota* arva *Tarenti fertilis, & agros, quales infelix Mantua perdidit, qui nutriunt olores candidos in herboſo fluvio. Illic puri fontes non deſunt gregibus, nec herbæ: & quantum* herbarum *armenta depaſcent per longos dies, tantum ros humidus reddet* per *brevem noctem. Terra ferme nigra & pinguis ſub vomere* alte *immiſſo, & cujus ſuperficies mollis eſt, (hoc enim perficimus aratione) optima* eſt *frumentis. Nullo ex agro videbis plura plauſtra exire, bobus* difficile *trahentibus.* Item illa terra, *ex qua arator iratus abſtulit ſilvam, & diruit nemora infœcunda multis annis, & evulſit vetera latibula volucrum cum radicibus imis: illæ fugerunt in aerem, nidis relictis; at campus*, prius *incultus, refulſit vomere impreſſo. Nam certe glarea ſicca agri declivis vix profert apibus parvas caſias & roſmarinum:*

quem-

## NOTÆ.

quiſitiſſimum Diis libabatur. De *libatione* Æn. 1. 740. Notat morem ſacrificiorum, eorum præcipue, quæ fiebant ad *exta* victimarum conſulenda: quæ ars *aruſpicina* dicta eſt: in qua principes erant Etruſci ſive Tyrrheni, qui ideo Romæ ad ſacrificia adhibebantur, cum tibia eburnea. *Pinguis* dicitur Etruſcus: vel ex vitio gentis: nam Catullus 40. 11. *Aut parcus Umber, aut obeſus Etruſcus.* Vel ex vitio tibicinum, quibus intumeſcunt genæ. Vel ex vitio ſacrificulorum, qui victimarum carnibus opipare veſcebantur.

194. *Lancibus & pandis.*) Vel patentibus; vel melius, extorum pondere curvatis & *repandis*. *Reddere* autem verbum eſt ſacrificiorum: *reddi enim dicebantur exta*, ait Servius, *cum prolata & elixa aræ imponebantur*. Tacit. l. 20. *Luſtrata bove, & ſuper ceſpitem redditis extis*, &c.

196. *Urentes culta capellas.*) *Morſus earum arbori exitialis, olivam lambendo quoque ſterilem faciunt.* Plin. l. 8. 50. *Culta* G. 1. 153.

197. *Saturi Tarenti, &c.*) Servius: *Aut fœcundi, aut quod eſt juxta oppidum Saturum; Tarentum enim & Saturum, vicinæ ſunt Calabriæ civitates.* Probus locum & paludem eſſe dicit vicinam Tarento. Qui autem explicant de *Satura palude*, ſive *Pomptina*, nunc *Auſente palude*, ii graviter errant. Eſt enim Tarentum in orientali cornu Italiæ, Æn. 3. 396. Pomptina vero palus, in litore meridionali, ad mare inferum, Æn. 7. ſub finem notæ 794.

198. *Mantua.*) De ejus calamitate, in argum. Ecl. 1. De *cycnis*, Ecl. 8. 55. *Flumen*, Mincius eſt, *Menzo*. Ecl. 7. 13.

204. *Hoc imitamur arando.*) Hoc unum aratione contendimus, ut imitemur arte, terram natura ſua mollem; ergo ſignum eſt, eam, quæ ex ſe ipſa mollis & ſubacta eſt, eſſe frumentis aptiſſimam.

207. *Iratus.*) Offenſus ob diuturnam ſilvæ ſterilitatem.

211. *Enituit.*) Aut campus refulſit repercuſſu lucidi vomeris. Aut pinguis factus eſt: *nitere* enim dicuntur ea, quæ pinguia ſunt. Horat. Ep. 1. 4. 15. *Me pinguem & nitidum*, &c. Virgil. G. 1. 153. *Interque nitentia culta.* Aut per commuta-



Et tophus ſcaber, & nigris exeſa chelydris
Creta. Negant alios æque ſerpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam, fumoſque volucres,
Et bibit humorem, & cum vult ex ſe ipſa remittit,
Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,
Nec ſcabie & ſalſa lædit rubigine ferrum;
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ eſt: illam experiere colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc, quo quamque modo poſſis cognoſcere, dicam.
Rara ſit, an ſupra morem ſit denſa, requiras:
(Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho:
Denſa, magis Cereri; rariſſima quæque, Lyæo)
Ante locum capies oculis: alteque jubebis
In ſolido puteum demitti, omnemque repones
Rurſus humum, & pedibus ſummas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecorique & vitibus almis

Aptius

*quemadmodum tophus aſper, & creta corroſa a nigris chelydris. Nulli agri dicuntur producere tam gratum pabulum ſerpentibus, & præbere* tam *cavas latebras. Quæ exſpirat tenues vapores & leves fumos, & bibit humorem, & ipſa ſponte ejicit* illum *ex ſe; & quæ ſemper tegit ſe propriis herbis, nec inficit vomerem ſcabritie, & rubigine amara: illa tibi implicabit ulmos fœcundis vitibus: illa fertilis eſt oleis: illam ſenties colendo, & aptam gregibus, & tractabilem vomere acuto. Talem arat Capua dives, & regio propinqua monti Veſuvio, & Clanius non commodus Acerris deſertis. Jam docebo quomodo poteris unamquamque agnoſcere. Si quæris an rara ſit, an plus æquo denſa, (quia altera bona eſt frumento, altera viti; denſa magis frumento, rariſſima quæque viti) primo eliges locum oculis, & jubebis puteum defodi profunde in ſolido* loco: *deinde repones omnem terram* in eundem locum, *& complanabis pedibus ſummas arenas. Si non ſufficiant* ad replendum locum, *ager erit rarus, & melior ad paſcua & vites almas:*

ſi ve-

## NOTÆ.

mutationem, id eſt, in eo enituit & refulſit vomer. G. 1. 46. *Sulco attritus ſplendeſcere vomer.*

212. *Nam jejuna, &c.*) Ita cohæret oratio. Terra nigra, & putris, aut ex qua erutæ ſunt ſilvæ, optima eſt frumento: nam glarea, quæ huic contraria eſt, non eſt frumentaria, & vix flores producit. *Glarea*, Ital. *ghiaia*. *Tophus*, *tufo*, lapis aſper & ſiccus, e terra & arena concretus. *Creta*, terra alba.

214. *Chelydris.*) Sunt proprie teſtudines marinæ, a χέλυς *teſtudo*, & ὕδωρ *aqua*. Apud Nicandrum tamen verſu 411. ſunt ſerpentes, quæ modo in paludibus, modo in arboribus latent: unde *Druinæ* quoque appellantur, a δρῦς quercus. De *caſiis* & *roſmarino*, herbis coronariis, Ecl. 2. 49.

224. *Capua & vicina Veſevo, &c.*) *Capua*, Campaniæ caput: unde & *Capuam a capite* dictam putat Strabo *l.* 5. Virgilius tamen a Capy, Æneæ commilitone, nomen ejus deducit Æn. 10. 145. Hanc conſtat nulli terrarum ſoli bonitate poſthabendam; fuiſſe autem olim *inter tres maximas urbes, Romam, Carthaginemque numeratam*, teſtatur Florus l. 1. 16. *Veſevus*, *Veſuvius*, & *Veſvius*, mons Campaniæ prope Nolam, mire fertilis, præterquam in cacumine, unde ſæpe ignes emittit: numquam vehementius, quam imperante Tito: quo tempore Plinius Hiſtoriæ naturalis ſcriptor, qui cognoſcendi illius ignis cupiditate eo ſe contulerat, fumo flammiſque exſtinctus eſt.

225. *Ora jugo.*) Dicitur, ut narrat Gellius l. 7. 20. ſcripſiſſe primo Virgilius: *Nola jugo*, ad laudem *Nolæ*, urbis Veſuvio vicinæ; ſed poſtea deleviſſe, propterea quod Nolani aquam ipſi negaſſent ſuum in rus, quod erat in propinquo, deducendam.

*Clanius non æquus Acerris.*) *Acerræ*, *Acerra*, antiquiſſima Campaniæ urbs, non longe a Neapoli: hanc præterfluit amnis *Clanius*, *l'Agno*: cujus frequens inundatio pene urbem interdum exhauſit: unde ipſe *non æquus Acerris*, & Acerræ *vacuæ* hic dicuntur.

229. *Cereri... Lyæo.*) De *Cerere* Ecl. 5. 69. Lyæus, Bacchi nomen, a λύω *ſolvo*: quod curis ſolvat & liberet.

P 234. *Aptius*

Aptius uber erit: ſin in ſua poſſe negabunt
Ire loca, & ſcrobibus ſuperabit terra repletis,
Spiſſus ager; glebas cunctantes craſſaque terga
Exſpecta, & validis terram proſcinde juvencis.
Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix: ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſervat:
Tale dabit ſpecimen. Tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaque prælorum fumoſis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulceſque a fontibus undæ
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.
Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus: haud unquam manibus jactata fatiſcit,
Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.
Humida majores herbas alit, ipſaque juſto
Lætior: ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis!
Quæ gravis eſt, ipſo tacitam ſe pondere prodit,
Quæque levis. Promptum eſt oculis prædiſcere nigram,

Et

*ſi vero abnuant ſe poſſe redire in ſuum locum, & foveis repletis terra redundet,* ager erit *denſus:* exiſtima fore *glebas duras & craſſos tumores, & ara terram bobus robuſtis. Terra autem ſalſa, & quæ dicitur amara,* inepta eſt *frumentis: illa neque emendatur aratione, neque ſervat vino ſuum genus,* ac *ne nomina* quidem *propria pomis: tale præbebit indicium* ſui. *Tu corbes e denſo vimine, & cola torcularis detrahe e tectis fumoſis. In iis terra illa mala, & dulces fontium aquæ comprimantur* uſque ad *ſummum* oram: *quippe omnis aqua exprimetur, & longæ guttæ defluent per foramina viminum. At ſapor dabit ſignum manifeſtum, & amarities lædet guſtu ora ægra explorantium. Præterea, hoc demum modo cognoſcimus, quænam terra ſit pinguis:* illa *manibus verſata nunquam diſſolvitur, ſed dum tenetur, adhæret digitis inſtar picis. Humida nutrit grandiores herbas, & ipſa fœcunda eſt pluſquam oportet: ah ne illa ſit mihi nimis fertilis, & ne monſtret ſe fortiorem primis in herbis! Quæ eſt gravis, & quæ levis, manifeſtat ſe ipſo pondere, etſi* de illa *taceatur. Facile eſt cognoſcere viſu nigram, & quiſ-*

NOTÆ.

234. *Aptius uber.*) Supra v. 185. *Poſſe negabunt.*) Non potuerunt. Et quaſi ſenſum mentemque terræ tribuit: ut alibi multis locis.

240. *Nec Baccho genus, aut, &c.*) Terra ſalſa ſic ingrata eſt, ut arboribus apud ſe depoſitis non ſervet nomen: ſed eas & virtute & nomine ſpoliet: id eſt, ut arbores in ea degenerent, nec amplius ejuſdem generis ac nominis eſſe videantur. De *Baccho*, Ecl. 5. 69.

241. *Qualos, Colaque prælorum, &c.*) *Torcular* tota machina eſt uvis premendis, a *torquendo* ſic dicta. *Prælum*, ſunt trabes, quæ uvas torculari impoſitas premunt; a *premendo* dictæ per contractionem, *premulum, prælum*: unde ſyllaba prima brevis eſt in *premo*; longa in *prælum*. *Cola* ſunt ſacci, vel corbes, quæ torculari ſuppoſitæ vinum expreſſum excipiunt, percolantque. *Quali*, corbes e vimine, calathi, Ecl. 2. 46.

244. *Eluctabitur.*) Per vim, & quaſi cum lucta exibit.

250. *Habendo.*) Paſſiva ſignificatione, *dum habetur*: ut pleraque gerundia, Ecl. 8. 71.

252. *Ne ſit mihi fertilis.*) Terra enim, cujus vis in herbas aut frondes abſumitur, parum habet virtutis ad fructum ferendum.

254. *Tacitam.*) Etſi de illa taceatur, nullumque aliud indicium a me aſſignetur.

257. *Piceæ ... taxi, &c.*) *Picea*, pini ſpecies: de qua Pl. l. 16. 10. *Picea montes amat atque frigora, feralis arbor, & funebri indicio ad fores poſita, ac rogis virens: hæc plurimam reſinam fundit. Taxus*, It. *taſſo*, de qua Pl. ib. *Taxus, minus virens, gracilisque & triſtis ac dira: letale baccis, in Hiſpania præcipue, venenum ineſt. Sunt qui taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus.*

259. *His animadverſis.*) V. PARS. *De cultura vitis*. Continet præcepta præcipue XV. I. Eſt *de ſcrobibus & foveis hyeme parandis*, v. 260. II. *De ſoli ſimilitudine in ſeminario & vineto*, v. 265. III. *De ſignando vitis cortice, ad cognoſcendum nativum ejus ſitum*, v. 269. IV. *De ordine, quo ſerenda eſt*, v. 273. V. *De profunditate fovearum*, v. 288. VI. *De iis quæ cavenda ſunt in*

*ſatio-*



Et quiſquis color. At ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt: piceæ tantum, taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigræ.
His animadverſis, terram multo ante memento
Excoquere, & magnos ſcrobibus concidere montes,
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus. Optima putri
Arva ſolo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta movens robuſtus jugera foſſor.
At ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum ſimilem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges, & quo mox digeſta feratur:
Mutatam ignorent ſubito ne ſemina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice ſignant:
Ut quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Reſtituant. Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.
Collibus, an plano melius ſit ponere vites,
Quære prius. Si pinguis agros metabere campi,
Denſa ſere: in denſo non ſegnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive ſolum, colleſque ſupinos,
Indulge ordinibus, nec ſecius omnis in unguem
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.

Ut

*& quiſquis* unicuique *color* eſt. *Sed inveſtigare frigus pernicioſum difficile eſt: tantummodo piceæ, & taxi noxiæ, vel nigræ hederæ dant aliquando ſigna* illius. *His cognitis, memineris putrefacere terram, & aperire foveis altos montes multo prius, & exponere Aquiloni glebas inverſas* multo *prius, quam plantes hilare genus vitis. Optimi* ſunt *agri, quorum ſolum eſt tenerum*: id autem *efficiunt venti, & pruinæ frigidæ, & robuſtus foſſor agitans terram proſciſſam. Sed ſi nulla vigilantia deeſt quibuſdam viris,* hi *prius eligunt loca duo ſimilia*: unum, *in quo primum ſeminarium arborum præparetur,* & alterum, *in quem deinde transferatur diſtinguendum* per ordines: *ne ſurculi non aſſueſcant* terræ *matri ſubito mutatæ. Præterea notant cœli ſitum in cortice: ut reponant* arborem, *quomodo unaquæque poſita fuerat, qua parte paſſa erat calorem meridionalem, quæ terga verterat ſeptentrioni. Tantum poteſt conſuetudo capta a tenera* ætate. *Perpende prius, an melius ſit plantare vites* in *plano, an* in *collibus. Si eligis agros pinguis campi, ſere* vites *ſpiſſius: vitis non eſt ſterilior in denſo agro. Si vero eligis ſolum aſſurgens in tumores, & colles inclinatos, fac ordines* laxiores: *nihilominus omnia intervalla congruant perfecte, arboribus diſpoſitis per ſectos tramites. Quem-*

NOTÆ.

*ſatione vitis*, v. 298. VII. *De tempore ſationis*, v. 315. VIII. *De ſtercoratione*, v. 346. IX. *De lapidum & concharum infoſſione*, v. 348. X. *De paſtinatione*, ſive terra vertenda paſtino, Ital. *zappa, vanga*, v. 354. XI. *De ſtatione*, quæ *pedatio* dicitur, *palare*, v. 358. XII. *De frondatione*, ſeu frondium amputatione, v. 362. XIII. *De ſepto adverſus pecorum injurias*, v. 371. XIV. *De Bacchi ſacris*, v. 380. XV. *De vinitoris diligentia aliis in rebus*, v. 397.

261. *Aquiloni.*) Vento ſeptentrionali: generatim hic hyemem ſignificat. De eo Ecl. 7. 51.

267. *Arboribus.*) Vel vites ipſas arbores vocat, ut ſupra v. 89. Vel præceptum generale eſt pro omnibus arboribus. *Seges.*) Bene de arbuſculis, quæ ſeruntur in ſeminario.

268. *Semina.*) Non hic grana ſunt, ſed ſurculi, ſive avulſæ vitis corpore, qui vocantur *malleoli, magliuoli*; ſive cum ſuis radicibus tranſlati, qui vocantur *viviradices*.

271. *Auſtrinos, &c. Axi, &c.*) Pro meridie *Auſtrum* dicit, ventum inde flantem, de quo Ec. 2. 58. Pro ſeptentrione, *axem*, id eſt polum ſimpliciter: quia polus hic unus a nobis videtur.

275. *Denſa.*) Pro *denſe* ſupra v. 134. De *ubere*, ſupra, v. 185. De *Baccho*, Ecl. 5. 69.

277. *Secius.*) Vel *ſequius*, ut Germano placet: *ſecus* ſignificat *aliter*, & habet primam brevem; *ſecius* vel *ſequius*, ſignificat *deterius, pejus, minus*, & primam habet longã. Hac ſignificatione dixit paſſim Apulejus, *ſequiori ſexum*, pro muliebri, qui minor ac deterior eſt: & Seneca, *ſequius de aliquo loqui*, id eſt, ſiniſtre. Et derivat Turn. l. 19. 17. a *ſequor*: quia *præire* cõſuevit id, cujus melior eſt conditio; *ſequi*, cujus deterior, ut ſervus.

*In unguem.*) Exacta perfectaque ratione. Tranſlata dictio a marmorariis opificibus, qui marmorum juncturas ungue explorant, an perfecte commiſſæ ſint. Hor. de A. P. 295. *Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.* Et Sat. l. 1. 5. 32. *Ad unguem factus homo.*

278. *Secto via limite quadret.*) Diſpoſitio



arbo-

Ut ſæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, necdum horrida miſcent
Prælia, ſed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum:
Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem;
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt ſe extendere rami.
Forſitan & ſcrobibus quæ ſint faſtigia quæras.
Auſim vel tenui vitem committere ſulco.
Altius ac penitus terræ defigitur arbos:
Æſculus imprimis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multoſque per annos
Multa virum volvens durando ſæcula vincit.
Tum fortes late ramos & brachia tendens
Huc illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet umbram.
Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corylum ſere: neve flagella
Summa pete, aut ſummas defringe ex arbore plantas:

( Tan-

*Quemadmodum in magno bello, cum ſuas cohortes longa legio extendit, & omnis turba conſtitit in campo vacuo, & exercitus ordinati* ſunt, *& omnis terra undique ſplendet fulgore* armorum *æreorum: nondum* tamen *committant horridam pugnam, ſed Mars incertus vagatur in medio armorum.* Sic *omnia intervalla* arborum *ſint dimenſa æqualibus numeris tramitum: non ſolum, ut aſpectus delectet animum otioſum, ſed quia alioqui terra non præbebit omnibus æquale robur: nec rami poterunt ſe extendere in aerem. Forte petes quænam* debeat *eſſe altitudo foſſarum: auderem ego deponere vitem in tenui etiam foſſa; arbor* vero *profundius ac penitus defoditur in terra; præcipue æſculus, quæ tantum progreditur radice ad inferos, quantum* progreditur *cacumine ad plagas cæleſtes. Ergo non hyemes, non venti, neque pluviæ illam eruunt: manet inconcuſſa, & per multos annos ſuperat durando tranſigens multas ætates hominum: tum late porrigens ramos robuſtos, & brachia huc illuc,* ipſa inter ramos ſuos *media, alit magnam umbram. Ne autem vineæ tibi inclinent ad ſolem occidentem: & ne plantes corylum inter vites: & ne carpas ſuprema cacumina,* aut ne *abſcindas ſupremos ſurculos ex arbore;*

*( adeo*

## N O T Æ.

arborum hic duplex intelligi poteſt, ita ut ſingulæ viæ ſectæ ſint inter arbores, vel diſpoſitas in quadrangulum, & tunc perfecte quadrata figura eſt: vel diſpoſitas in triangulum, & tunc eſt quincuncialis figura, *a ſcacchi*. Quincuncialis porro figura, ſive *quincunx*, ita dicebatur a figura quinti numeri V, quam ſinguli trianguli exprimunt.

*Quadrum.*



*Quincunx.*



Vox *quadret* proprie notat priorem figuram, metaphorice vero ſecundam. Ita Cic. de Orat. 3. 173. *Conjunctionem verborum numeroſe cadere, & quadrare, & perfici volumus.* Et in Bruto, 43. *Quoniam tibi quadrat*; id eſt, *convenit*, *congruit*.

279. *Cohortes explicuit legio.*) Militum numerus in legione, pro temporum varia ratione, varius fuit. Univerſim legio dividebatur in cohortes X. manipulos XXX. centurias LX.

In



( Tantus amor terræ ) neu ferro læde retuſo
Semina: neve oleæ ſilveſtres inſere truncos.
Nam ſæpe incautis paſtoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum ſub cortice tectus
Robora comprendit, frondeſque elapſus in altas
Ingentem cœlo ſonitum dedit: inde ſecutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad cœlum picea craſſus caligine nubem:
Præſertim ſi tempeſtas a vertice ſilvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a ſtirpe valent, cæſæque reverti
Poſſunt, atque ima ſimiles revireſcere terra:
Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris.
Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor
Tellurem Borea rigidam ſpirante movere.
Rura gelu tum claudit hyems, nec ſemine jacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis ſatio eſt, cum vere rubenti
Candida venit avis longis inviſa colubris:
Prima vel autumni ſub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hyemem contingit equis, jam præterit æſtas.

Ver

*( adeo amant terram ) & ne vulneres ferro obtuſo ſurculos: & ne plantes* ſimul *truncos oleæ ſilveſtris. Nam ſæpe paſtoribus imprudentibus excidit ignis, qui primo occultus ſub pingui cortice oleæ clam corripuit truncos, & erumpens in alta folia, edidit ingentem crepitum in aerem; inde gliſcens regnat victor per ramos & per altum verticem, & implicat flammis totam ſilvam, & denſus piceo fumo emittit in cœlum nigram nubem. Præcipue ſi tempeſtas a ſeptentrione incumbat arboribus, & ſi ventus augens volvat incendia.* Cum id accidit, tum vites *neque poſſunt e radice, neque per amputationem repullulare, & renaſci ſimiles ab ima terra:* ſed *ſterilis oleaſter amaris frondibus remanet* ſolus. *Ne autem ullus tam prudens tibi auctor ſit hujus conſilii, ut ſtante Borea aperias* in ſcrobes *terram rigentem: tunc hyems conſtringit arva frigore: nec permittit ut, ſurculo defoſſo, radix conſtricta infigatur terræ.* Optima plantatio *vinearum eſt vere purpureo, cum redit avis alba, infenſa longis ſerpentibus: vel circa prima frigora autumni, cum Sol rapidus nondum attigit equis hyemem, ſed jam calores abierunt.*

*Ver*

## N O T Æ.

In inceſſu quadratam ſervabat figuram; in pugna porrigebatur in longum, triplici verſu ſive linea, quarum ſingulæ manipulos decem continebant.

281. *Fluctuat omnis Ære renidenti tellus.*) Id eſt; ſplendor æris tremulus illuc in terra circumvolat. Sic ſupra, v. 211. *Enituit impulſo vomere campus.* De Marte, Ecl. 9. 22.

291. *Æſculus.*) Arbor glandifera, e quercuum genere. Supra, v. 16. *Tartara* G. 1. 36.

299. *Corylum.*) Supra, v. 65. Nocet radicum denſitate, quæ vitibus alimentum præripiunt. *Flagella*, ſunt ramorum ſummitates, e quibus non ſunt decerpendi ad plantandum ſurculi, ſive malleoli; ſed ex infima arboris parte, quæ terræ vicinior eſt: jam enim terræ aſſueverunt, eamque amant.

301. *Neu ferro læde retuſo.*) Non prohibet ferro præcidi, ſed ferrum obtuſum adhiberi, quo lacerarentur potius, quam amputarentur *ſemina*, id eſt, *ſurculi*: vide ſupra, v. 268.

303. *Nam ſæpe, &c.*) Cur a vitibus removendæ ſunt oleæ ſilveſtres, ſive oleaſtri, affert alias cauſas Theophraſtus l. 3. 15. Quod nempe tam olea, quam ficus, alimenti plurimum exſugant, umbramque inducant maximam.

305. *Robora.*) Truncos, ſupra, v. 25.

308. *Ruit.*) Emittit; active hic ſumitur, ut G. 1. 105. *Cumuloſque ruit male pinguis arenæ.*

310. *A vertice.*) A ſeptentrionali polo juxta Servium: quia *hic vertex nobis ſemper ſublimis.* G. 1. 242. A vertice arborum, juxta Germanũ & Victorium. Vide G. 1. 324. *Collectæ ex alto nubes.*

316. *Borea.*) Vento ſeptentrionali, Ecl. 7. 51.

319. *Cum vere rubenti Candida, &c.*) Ciconia, de qua Plin. l. 10. 23. *Ciconiæ quonam e loco veniant, aut quo ſe referant, incompertum adhuc eſt. E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo. Nidos eoſdem repetunt, genitricum ſenectam invicem educant.* Ver hic *rubens* dicitur propter flores; ut paſſim alibi *purpureum*.

321. *Hyemem contingit equis.*) Tropicum Capricorni, quem ubi attigit, tunc bruma & hyems ſumma: vide G. 1. 238.

325. *Tam*

Ver adeo frondi nemorum, ver utile ſilvis:
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.
Avia tum reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva ſinus: ſuperat tener omnibus humor:
Inque novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere: nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri;
Cum primum lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immiſſæque feræ ſilvis, & ſidera cœlo.
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret friguſque caloremque
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.
Quod ſupereſt, quæcumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut ſqualentes infode conchas: In-

*Ver præcipue foliis arborum, ver arboribus utile eſt. Terræ intumeſcunt vere, & petunt ſemina fœcundantia. Tum Aër*, qui eſt *pater omnipotens*, *labitur per pluvias fertiles in ſinum lætæ uxoris* terræ: *& magnus ipſe, commixtus magno* ejus *corpori*, *nutrit omnes fœtus. Tum frutices* extra vias *poſiti reſonant volucribus*, *& animalia redeunt ad concubitum ſtatis diebus. Omnis campus parturit*, *& agri aperiunt ſinum tepidis flatibus Zephyri*: *abundat* in *omnibus* agris *humor*: *& herbæ audent tuto exponere ſe novo ſoli*: *nec vitis timet Auſtros ſurgentes*, *aut pluviam emiſſam e cœlo magnis Aquilonibus*; *ſed propellit germina*, *& effundit omnia folia. Non puto alios dies fulſiſſe in primo ortu naſcentis mundi*, *aut habuiſſe alium ordinem*. Tempus *illud ver fuit*: *magnus orbis habebat ver*, *& Euri continebant hybernos flatus*, *ſtatim ut pecudes acceperunt lucem*, *& ferreum genus hominum extulit caput ex agris ſaxoſis*, *& feræ immiſſæ ſunt in ſilvas*, *& ſidera in cœlum*. Et vero *mundus adhuc tener non potuiſſet tolerare hunc laborem*: *niſi tanta quies eſſet inter hyemem & æſtatem*, *&* niſi *clementia aëris complecteretur terras*. *Cæterum*, *quaſcumque arbuſculas defodies in agris*, *ſparge ſtercore pingui*, *& memineris tegere multa terra*, *vel* circa *infode lapides bibulos*, *aut conchas aſperas*: nam

N O T Æ.

325. *Tum pater*, *&c.*) *Æther*, ſive aër, per Jovem a poetis, terra per Junonem adumbrata eſt. Inter utrumque quoddam quaſi conjugium.

330. *Zephyrique.*) Ecl. 5. 5.

333. *Auſtros.*) Ecl. 2. 58.

334. *Aquilonibus.*) Ecl. 7. 51.

336. *Non alios*, *&c.*) Diſceptatur, quo tempore mundus conditus ſit: verno, an autumnali: favet autumno ratio, quæ petitur a maturitate frugum; favet veri, quæ petitur a commodiſſima temperie. Poetæ omnes pro vere ſtant. De *Euro*, G. 1. 371.

340. *Virumque ferrea progenies*, *&c.*) Alludit ad ætatem ferream, & inſtaurationem mundi poſt diluvium factam a Deucalione & Pyrrha, jactis poſt tergum lapidibus, Ecl. 6. 41.

343. *Nec res hunc teneræ*, *&c.*) Vel ſenſus eſt. Nec mundi res, tum teneræ ac recentes, potuiſſent perferre calorem æſtivum, aut frigus hybernum: ergo conveniens fuit, naſci eas verno tempore, quæ anni quædam eſt quies. Vel ſenſus eſt generalis: Nec mundi res, quæ per ſe teneræ ſemper ac fragiles ſunt, poſſent ferre vim æſtatis & hyemis: niſi vere, quaſi quiete recrearentur.

353. *Canis æſtifer.*) Sirius, vel canicula: ſtella in ore majoris canis, cujus vis in ſubjectas mundi partes inſignis eſſe perhibetur, quo tempore Sol oritur in principio leonis, nempe exeunte Julio: tumque æſtus ferventiſſimus eſt, morbique ex illo æſtu frequentiſſimi: dieſque illi *caniculares* vocantur, donec Sol totum leonis ſignum perluſtraverit ad uſque diem 23. Au-



Inter enim labentur aquæ, tenuiſque ſubibit
Halitus, atque animos tollent ſata. Jamque reperti
Qui ſaxo ſuper atque ingentis pondere teſtæ
Urgerent: hoc effuſos munimen ad imbres;
Hoc, ubi hiulca ſiti findit canis æſtifer arva.
Seminibus poſitis, ſupereſt deducere terram
Sæpius ad capita, & duros jactare bidentes:
Aut preſſo exercere ſolum ſub vomere, & ipſa
Flectere luctantes inter vineta juvencos:
Tum leves calamos, & raſæ haſtilia virgæ,
Fraxineaſque aptare ſudes, furcaſque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Aſſueſcant, ſummaſque ſequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adoleſcit frondibus ætas,
Parcendum teneris: & dum ſe lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immiſſus habenis,
Ipſa acies nondum falcis tentanda; ſed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ ſtirpibus ulmos
Exierint: tum ſtringe comas, tum brachia tonde.
Ante reformidant ferrum: tum denique dura
Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.
Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendum eſt:
Præcipue dum frons tenera imprudenſque laborum:
Cui, ſuper indignas hyemes, Solemque potentem,
Silveſtres uri aſſidue capreæque ſequaces Illu-

*nam aquæ inter* eas *fluent*, *& tenuis vapor permeabit*, *& ea*, quæ *plantata* ſunt, *ſument vires. Inventi* ſunt *etiam*, *qui premerent* ea *deſuper ſaxo*, *& pondere magnæ teſtæ*, *& hoc munimentum* eſt *adverſus pluvias immodicas*; *hoc* munimentum eſt, *quando canis ardorem ferens aperit calore agros hiantes. Surculis plantatis*, *reſtat ſæpe accumulare terram ad radices* eorum: *& immittere ligones ferreos* in terram. *Aut movere terram ſub vomere depreſſo*, *& deducere boves reſiſtentes inter ipſas vineas*. *Deinde adjungere* viti *politas cannas & haſtilia e virgis decorticatis*, *& palos fraxineos*, *& furcas bicornes*: *quarum viribus aſſueſcant aſſurgere*, *& deſpicere ventos*, *& adhærere ramis ad* uſque *ſummas ulmos*. Et *parcendum* quidem eſt *teneris* vitibus, *dum prima ætas creſcit novis frondibus*, *& dum palmes lætus attollit ſe in altum*, *emiſſus in aërem* veluti *laxatis habenis*. *Ipſa acies ferri non eſt adhuc adhibenda*: *ſed frondes præcidendæ* ſunt *unguibus manuum*, *& paſſim auferendæ*. *Poſtea quando vites*, *firma radice implicatæ ulmis*, *creverint*; *tunc amputa pampinos*, *tunc ſeca palmites*: *prius timent ferrum*: *tunc demum exerce dura imperia*, *& coerce ramos ſuperfluos*. *Præterea ſepes jungendæ* ſunt, *& greges omnes continendi*: *præcipue dum frondes teneræ ſunt* & *inſuetæ noxiis* rebus: *quibus* frondibus, *præter magnas hyemes & ſolem vehementem*, *ſilveſtres boves*, *& capreæ ſequaces aſſidue nocent*: oves

N O T Æ.

Auguſti. *Sirius* dictus, vel a [illegible] *ſicco*; vel a [illegible] *evacuo*.

355. *Capita.*) Vitium arborumque capita, ſtirpes ſunt & radices; quibus, quaſi ore alimentum e terra trahunt.

*Bidentes.*) *Bidens* aliquando eſt *ovis*; hic inſtrumentum fodiendæ terræ comparatum, *paſtinum*, *ligo*, *beccaſtrino*. Etymon a binis dentibus: quod ligo ſit bifurcus. De *ove bidente*, Æn. 4. 57.

356. *Aut preſſo exercere ſolum*, *&c.*) Ex more Italiæ, ubi vites ulmis aliiſque arboribus fulciebantur, adeoque laxius digeſtæ ſpatium arandi relinquebant: immo & frugum interſerendarum.

359. *Fraxineas.*) E fraxino arbore, *fraſſino*.

361. *Tabulata.*) Servius: *Sunt rami extentiores*, *& in plana tendentes*, *non in altiora ſurgentes*. Et Columella l. 5. 6. *Tabulata inſtituenda ſunt*: *hoc enim nomine uſurpant agricolæ ramos*, *truncoſque prominentes*, *ut vites laxius diffundantur*.

364. *Laxis per purum*, *&c. habenis*, *&c.*) *Laxis habenis* metaphora eſt ab equis deſumpta, duce Lucretio l. 5. *Arboribuſque datum eſt variis exinde per auras creſcendi magnum immiſſis certamen habenis*. Et *per purum*, ſignificat, *per aërem*. Sic & Horatius Od. 1. 34. 7. *Per purum tonantes egit equos*, *volucremque currum*.

374. *Silveſtres uri.*) *Bubali*, quos vulgus cum *uris* confundit. Plin. l. 8. 15. *Uri* enim juxta Cæ- ſarem

Illudunt; paſcuntur oves, avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas;
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi:
Præmiaque ingentes pagos & compita circum
Theſidæ poſuere: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.
Necnon Auſonii, Troja gens miſſa, coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto:
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubeſcit vinea fœtu;
Complentur valleſque cavæ ſaltuſque profundi,
Et quocumque Deus circum caput egit honeſtum.

Ergo

*oves & avidæ juvencæ carpunt eas. Nec hyems conſtricta albo gelu, aut gravis æſtas penetrans rupes aridas,* tantum nocuit; *quantum nocuerunt illæ pecudes, & venenum duri dentis, & cicatrix impreſſa in ſtirpe corroſa. Non aliud ob delictum caper immolatur Baccho* in *omnibus altaribus, & antiqui ludi prodeunt in theatra: & magni Athenienſes inſtituerunt præmia circa pagos, & vias, & læti inter bibendum ſaltavere in pratis amœnis per unctas pelles hircorum. Romani quoque coloni, gens orta e Trojanis, jocantur verſibus incompoſitis, & riſu effuſo; & induunt larvas horribiles e cavis corticibus; & te vocant, o Bacche, inter hilaria carmina; & in honorem tuum alligant fictiles imagunculas ex alta pinu. Hinc vinea omnis pullulat multo fructu, & valles curvæ, & ſaltus opaci implentur* uvis, *& quicumque* locus, in quem imago *Bacchi circumverterit vultum formoſum.*

Itaque

## NOTÆ.

ſarem de bello Gall. l. 6. ſunt feræ, *magnitudine paullo infra elephantos, ſpecie & colore & figura tauri*: quæ in ſola Hercynia Germaniæ ſilva reperiuntur. *Bubali*, boves ſunt ſilveſtres, frequentes in Italia, ex Iſidoro & aliis: quamquam aliter a Plinio deſcribuntur.

381. *Proſcenia.*) Theatrum locus fuit ſemicirculi figuram habens, ſpectaculis ſcenicis deſtinatus, a θεάομαι *ſpecto*. Partes ejus fuere, I. *Porticus*, *ſcalæ*, *ſedilia*: ſedilium ordines dicebantur *cunei*; quia, cuneorum modo, eo ſtrictiores erant, quo magis ab ambitu ad centrum theatri accedebant: & hæc omnia circa ambitum theatri erant diſpoſita. II. *Orcheſtra* pars interior, ſive centrum theatri, eaque omnium infima & concava: unde *cavea* dicebatur totum theatri ſpatium. Hic ſedebant ſenatores, ludebantque chori ſaltatorum & muſicorum: ab ὀρχεῖσθαι *ſaltare*. III. *Proſcenium*, locus ab uno theatri cornu ad alterum ductus, inter orcheſtram & ſcenam, altior quam orcheſtra, inferior quam ſcena: in eo agebant loquebanturque hiſtriones comici tragicique, e pulpito, id eſt, ex editiore aliquo & pedibus ſubſtrato tabulato. IV. *Scena*, pars theatri adverſa ſpectantibus: velis, picturis, columniſque decorata, & olim arboribus ad inumbrandos actores, cum ludi in propatulo antiquitus exhiberentur, a σκηνή *umbraculum*. V. *Poſtſcenium*, ubi actores poſt ſcenam latent. VI. *Amphitheatrum* fuit locus, non in ſemicirculum, ſed in circulum exſtructus: ubi nulla erat ſcena, ſed undecumque ſedilia ſpectatorum cum *arena* in medio, in qua gladiatorum, ferarumque, & alia id genus certamina peragebantur: quare *amphitheatrum* dicebatur, quaſi *undique theatrum*; ab ἀμφὶ *circum*, & θεάομαι, *ſpecto*.

382. *Præmiaque, &c.*) Ludi omnes theatrales e Bacchicis ejuſmodi ludicris ortum habuere, quibus victor *hircum* referebat: unde tragœdiæ remanſit nomen a τράγος *hircus* & ᾠδὴ *cantilena*. Horatius in arte Poetica v. 220. *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum, Mox etiam agreſtes Satyros nudavit, &c.* Floruit primo apud Athenienſes, qui *Theſidæ* dicuntur, a *Theſeo* rege, qui primus eos, in pagis degentes, in urbem coegit, mœnibuſque ſepſit. De eo, Æn. 6. 122.

384. *Unctos ſalire per utres.*) Præcipua pars *Liberalium* ſive *Bacchicorum* ludorum, erat ſaltus per pelles hircinas, in campo cumulatas, inflataſque & unctas oleo. Hircinas eligebant pelles, ſive utres ad contemptum hircorum etiam mortuorum, quod viti infeſtum ſit animal: ungebant, ut magis eſſent lubricæ, nec veſtigium cadentis ſuſtinerent; uno pede inſiliebant, reducto altero: & cum frequenter ca-

de-



Ergo rite ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lanceſque & liba feremus:
Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.
Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhauſti ſatis eſt: namque omne quotannis
Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebaque verſis
Æternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Et jam olim ſeras poſuit cum vinea frondes,
Frigidus & ſilvis Aquilo decuſſit honorem;
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Ruſticus, & curvo Saturni dente relictam
Perſequitur vitem attondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato

Sar-

*Itaque rite cantabimus Baccho ſuas laudes verſibus patriis, & offeremus ei diſcos atque placentas, & ſacer hircus deductus cornibus ſtatuetur ante aram: & torrebimus pinguia viſcera in verubus e corylo* factis. *Eſt etiam iterandus in colendis vitibus labor ille, in quo nihil umquam ſatis perfectum eſt: nempe* oportet *omnem terram vertere ſingulis annis ter & quater, & aſſidue comminuere glebas ligonibus inverſis, & exonerare totum vinetum frondibus. Labor revolutus in circulum redit agricolis, & annus in ſe replicatur per eaſdem vias. Et tum demum, cum vinea amiſit ultimas frondes, &* cum *frigidus Aquilo abſtulit arboribus pulchritudinem, jam tum diligens agricola profert curas in annum futurum: & perſequitur curva Saturni falce vitem nudatam, eam tondens, & componit amputando. Primus move terram, primus combure ſarmenta* domum *deportata*,

*& pri-*

## NOTÆ.

derent *cernui*, ſive proni, vocabant ludos illos *Cernualia*; Græci ἀσκώλια ab ἀσκὸς *uter*.

385. *Auſonii coloni.*) *Colonus* hic non *agricolam* ſignificat, ſed *coloniam*, ſive Trojanos, Ænea duce, miſſos ad *incolendam* Auſoniam, id eſt, Italiam. De *Auſoniis*, antiquis Italiæ populis, Æn. 3. 171.

389. *Oſcilla ſuſpendunt.*) Imagunculas fictiles, Baccho ſacras, & ad ejus ſpeciem effictas; quæ vineis providere putabantur, eiſque fertilitatem conferre, ad quas vento, aut numinis providentia impulſæ ſeſe converterent. Unde addit: *Et quocumque Deus circum caput egit honeſtum*. Nomen hoc, *oſcillum*, diminutivum eſt ab *os*, *oris*, quaſi *parvum os*: unde etiam eſt *oſculum*, Æn. 1. 260.

391. *Saltuſque, &c.*) *Saltus* non eſſe ſilvarum ipſas arbores, ſed loca ſilvarum ab arboribus vacua, notavimus, Ecl. 6. 56.

394. *Liba.*) Placentæ genus, Ecl. 7. 33.

395. *Et ductus.*) Verba ſolemnia: ominoſum enim erat in ſacrificiis, ſi victima *traheretur*, non facile duceretur: tum ſi ad aram non ſponte *ſtaret*, ſed reluctaretur.

396. *Colurnis.*) Bene: cum enim *corylum* & *hircum* viti eſſe infeſtum dixerit, utrumque ad ſacrificia adhibet: *hircum*, ut victimam; *corylum*, ut materiam veru.

397. *Eſt etiam &c.*) Præcipit *alteram*, id eſt, ſecundam *paſtinationem*, quæ dicitur *repaſtinatio*, de qua v. 354. Item & ſecundam *pampinationem*, ſeu frondium amputationem, de qua v. 365. Quamquam monet, ter aut quater laborem utrumque eſſe repetendum: quia numquam *huic labori*, id eſt, in hoc labore, *ſatis eſt exhauſti*, id eſt juxta Servium exhauſtionis, finitionis, perfectionis: ſic Æn. 2. 427. *Servantiſſimus æqui*, id eſt, æquitatis.

401. *Actus in orbem.*) Id eſt, perpetuus & continuus: nullus enim in orbe, ſeu circulo terminus eſt.

404. *Aquilo.*) Ventus ſeptentrionalis. Ec. 7. 51.

406. *Curvo Saturni dente, &c.*) Præcepta congerit de curis hybernis circa vitem: ac præcipue de *ablaqueatione*: quæ fit cum circa radices terra effoditur, tondenturque ferro ſuperfluæ radices; eæ præſertim, quæ terræ ſuperficiem propius tangunt; ut inferiores convaleſcant. Dicitur *ablaqueatio*, quia vitis radicibus, quaſi totidem laqueis, expeditur & liberatur. *Saturni dente*. Falce dentata ſeu acuta, quæ Saturni geſtamen eſt. De *Saturno*, Ecl. 4. 6.

Q

410. *Bis*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sarmenta, & vallos primus ſub tecta referto:
Poſtremus metito. Bis vitibus ingruit umbra,
Bis ſegetem denſis obducunt ſentibus herbæ:
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura,
Exiguum colito. Nec non etiam aſpera ruſci
Vimina per ſilvam, & ripis fluvialis arundo
Cæditur; incultique exercet cura ſalicti.
Jam vinctæ vites, jam falcem arbuſta reponunt,
Jam canit extremos effœtus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, pulviſque movendus,
Et jam maturis metuendus Juppiter uvis.
Contra, non ulla eſt oleis cultura: neque illæ
Procurvam exſpectant falcem, raſtroſque tenaces,
Cum ſemel hæſerunt arvis, auraſque tulerunt.
Ipſa ſatis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem & placitam paci nutritor olivam.
Poma quoque ut primum truncos ſenſere valentes,
Et vires habuere ſuas, ad ſidera raptim
Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne graveſcit,
Sanguineiſque inculta rubent aviaria baccis.

Ton-

*& primus refer domum pedamenta; ultimus vindemiato. Bis frondes denſiores inumbrant vitem, bis herbæ ſuffocant vinctum ſpiſſis vepribus: magna difficultas in utriſque* amputandis. *Lauda rura magna*, ſed *cole parvum* rus. *Præterea ſecanda ſunt in ſilvis aſpera vimina ruſci, & fluviales cannæ in ripis: & habenda cura ſalicti ſilveſtris. Poſtquam vites ligatæ ſunt: poſtquam vincta* permittunt *falcem reponi: poſtquam vinitor laſſus cantat* attigiſſe *ſe extremos* vineæ *ordines; tamen vertenda* eſt *terra, & glebæ comminuendæ, & aer timendus racemis jam maturis. Contra, nulla eſt difficultas in colendis oleis, nec illæ petunt curvam falcem & raſtros mordaces: cum ſemel radices egerunt in terram, & aſſueverunt aeri. Ipſa terra ſuppeditat ſuccum plantatis* oleis, quando *aperitur ligone adunco; &* reddit *plenas olivas*. ſtatim *cum* ipſo *vomere. Ideo nutri olivam pinguem & gratam paci. Poma quoque, quando ſenſere truncos robuſtos, & accepere vires ſibi debitas, cito aſſurgunt in aerem virtute propria, nec egent noſtro auxilio. Interea ſilvæ omnes non minus onerant ſe fœtibus, & incultæ avium latebræ rubeſcunt baccis ſanguineis.*

Cytiſi

## N O T Æ.

410. *Bis vitibus, &c.*) Cauſam affert geminæ *pampinationis*, quam antea præceperat; item & geminæ *runcationis*, qua herbæ noxiæ eruuntur, Ital. *eſtirpare*.

413. *Aſpera ruſci Vimina.*) Commendat curam fruticum, unde parantur viti retinacula. *Ruſcus*, vel *ruſcum*, Ital. *ruſco*. De eo, Ecl. 7. 42. *Salictum* vel *ſalicetum*, locus ſalicibus conſitus, Ital. *ſalceto*.

417. *Extremos effœtus vinitor antes.*) *Antes*, ſunt ordines vitium, qui ſunt ante cæteros poſiti, & vineam quaſi circumdant, & quavis ex parte extremi ſunt. *Effœtus*, laſſus, qualis eſt mulier, quæ multos edidit fœtus.

418. *Pulviſque movendus.*) Commovendus & excitandus pulvis, fractione glebarum.

419. *Metuendus Juppiter uvis.*) Aer grandine & pluviis intempeſtivis infeſtus. *Juppiter* pro aere, ſupra v. 325.

420. *Contra, non &c.*) Laborioſæ vitis culturæ facilem opponit oleæ culturam. Utraque tamen in tenera ætate ſimilis eſt: diſparitas igitur a firmiori tantū ætate petenda, quæ maximā in vite, vix ullā in olea curam exigit; unde addit poeta; *Cum ſemel hæſerunt arvis*.

424. *Cum vomere, &c.*) Id eſt, ſtatim atque aperitur vomere, ſine mora, producit fructus. Exaggeratio, quæ certum & celerem proventum indicat.

424. *Fruges.*) Olivas interpretor. Et vero voces illæ promiſcue adhibetur a poetis. *Nemus*, non proprie tantum pro ſilveſtrium arborum multitudine, ſed & pro vinea, v. 400. *Omne levandum fronde nemus*. *Silva*, pro quarumlibet rerū multitudine, ut notavimus G. 1. 152. *Meſſis* pro collectione non ſolū tritici, ſed etiā uvarum, G. 2. 410. *Poſtremus metito*. Item pro mellis proventu, G. 4. 231. *Duo tempora meſſis*. *Vindemia* apud Plin. l. 15. 1. pro olivarum etiam collectione. *Seges*, pro arbuſculis in ſeminario. G. 2. 266. *Ubi prima paretur arboribus ſeges*, &c.

425. *Placitam paci nutritor olivam.*) *Nutritor*, pro *nutri*: paſſivum, activa ſignificatione: ut apud Cicer. pro Mil. 33. *Inimiciſſimum*

mul-



Tondentur cytiſi: tædas ſilva alta miniſtrat,
Paſcunturque ignes nocturni, & lumina fundunt.
Et dubitant homines ſerere, atque impendere curam?
Quid majora ſequar? ſalices, humileſque geniſtæ,
Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbram
Sufficiunt, ſepemque ſatis, & pabula melli.
Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæque picis lucos: juvat arva videre,
Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice ſilvæ,
Quas animoſi Euri aſſidue franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fœtus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedroſque cupreſſoſque:
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuere carinas.
Viminibus ſalices fœcundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus; Ityræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ leves, aut torno raſile buxum,
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto.
Necnon & torrentem undam levis innatat alnus
Miſſa Pado: necnon & apes examina condunt

Cor-

*Cytiſi ſecantur: ſilva alta ſuppeditat tædas*, quibus *ignes nocturni aluntur, & præbent lucem. Et homines negligunt* eas *plantare, &* in iis *curam adhibere? Quid commemorem majores* arbores? *ſalices & geniſtæ humiles, illæ ipſæ præbent, aut cibum pecudibus, aut umbram paſtoribus, & ſepem ſegetibus, & cibum apibus. Et pulchrum eſt videre Cytorum fluctuantem buxo, & ſilvas Naryciarum picearum: pulchrum eſt videre campos non egentes raſtris, aut ulla cura hominum. Silvæ ipſæ ſteriles in Caucaſo monte, quas validi Euri ſemper perflant & rumpunt, exhibent alios aliæ fructus; præbent pinos, ligna utilia navibus; cedros & cupreſſos*, utilia *domibus: ex his agricolæ tornaverunt radios rotis, & rotas plauſtris: & fabricaverunt curvas carinas navibus. Salices producunt vimina, ulmi frondes; myrtus vero commoda eſt ad valida haſtilia, & cornus ad arma* alia: *taxi flectuntur in arcus Ityræos. Nec non tiliæ politæ, & buxus torno raſilis, accipiunt figuram & cavantur acuto ferro. Alnus quoque levis, demiſſa per Padum, innatat aquæ currenti: apes quoque abſcondunt examina*

in

## N O T Æ.

*multo crudelius etiam punitus es*. Pro *puniſti*. *Placitam paci*, quia inſigne pacis fuit. Æn. 7. 237. Minervæ fuit dicata. Vide G. 1. 14.

426. *Poma.*) Fructus pro arbore: arbor enim *pomus* eſt.

431. *Cytiſi; tædas, &c.*) De *cytiſo* frutice, qui tondetur faginando pecori, Ecl. 1. 79. De *tædis* arboribus e picearum genere, Ecl. 7. 49.

434. *Salices, &c.*) Salices, *ſalci*. Geniſtæ, *Gineſtre*; G. 2. 2.

436. *Pabula melli.*) Apibus, quæ mel conficiunt.

437. *Cytorum.*) Cytorus urbs, & mons Galatiæ, in ora Paphlagoniæ: buxo fertilis. Ovid. M. 4. 312. *Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines*: id eſt, *buxeo*.

43. *Naryciæque picis lucos, &c.*) Silvas feraces tædarum, picearum, aliarumque arborū, e quibus ſuccus erumpit; qui, ſi igne exprimitur, dicitur *pix*, Ital. *pece*: ſi ſponte fluit, dicitur *reſina*, Ital. *ragia*, turi affinis. *Narycium* urbs Græciæ & Italiæ, de qua Æn. 3. 399.

440. *Caucaſeo, &c.*) De *Caucaſo* monte Aſiæ Ecl. 6. 42. De *Euro*, vento orientali, G. 1. 371. Hic Caucaſus pro quolibet monte, Eurus pro quolibet vento.

444. *Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plauſtris.*) *Hinc*; non ad cedros & cupreſſos, e quibus nemo rotas fabricatur; ſed ad ſilvas, ſeu ſilveſtres arbores, refertur. De *radiis*, *tympanis*, & *plauſtris*, G. 1. 163. *Trivere*, perfecere torno, de qua arte Ecl. 3. 38.

445. *Ratibus poſuere carinas.*) *Rates* proprie ſunt ligna inter ſe colligata, quæ per aquam aguntur; metaphorice ſumitur pro navi perfecta. *Carina*, eſt trabs una, eaque incurva, quæ totius navis fundamentum eſt.

447. De *myrto*, Ecl. 2. 54. De *corno*, Ital. *corniolo*, ſupra v. 34. De *taxo*, Ital. *taſſo albero*, ſupra v. 257. De *tilia*, Ital. *tiglio*, G. 1. 173. *Hæc buxus, vel hoc buxum*, Ital. *boſſo*.

448. *Ityræos.*) Gens eſt, juxta Servium, e Parthia; juxta cæteros, e Syria ſagittandi arte memorabilis.

451. 452. *Alnus miſſa Pado.*) *Alnus*, Ital. *alno*, nota arbor; *Padus*, *il Po*, nobiliſſimus Italiæ



flu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Corticibuſque cavis, vitioſæque ilicis alveo.
Quid memorandum æque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam cauſas dedit: ille furentes
Centauros leto domuit, Rhœtumque, Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyreiaque æra;
Alba neque Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita, Dives

*in cavis corticibus, & in ſinu ilicis varioſæ. Quid produxerunt Bacchi munera, quod ſit æqualiter laudandum? Bacchus occaſiones etiam præbuit peccandi: ille morte affecit furioſos Centauros, & Rhœtum, & Pholum, & Hylæum minantem Lapithis magno poculo. O felices agricolas, ſi cognoſcerent ſuam felicitatem: quibus terra ipſa æquiſſima producit ex ſe victum parabilem, longe a bellis diſcordibus. Si apud illos domus alta portis ſuperbis non emittit ex totis ædibus magnam multitudinem* hominum *mane ſalutantium; ſi illi non appetunt limina variata pulchra teſtudine, & veſtes diſtinctas auro, & æra Corinthia; ſi* apud illos *lana non tingitur Aſſyrio colore, & uſus olei ſinceri non depravatur caſia: tamen* apud illos non deeſt *quies tuta, & vita neſciens decipere, affluens*

NOTÆ.

fluvius, de quo G. 1. 482. Hic ſumitur pro quovis fluvio. *Pado*, pro, per *Padum*: ut, *It clamor cœlo*, pro, *ad cœlum*. De *examinibus* apum Ec. 7. 13. De *ilice* arbore, Ital. *leccio*, Ecl. 1. 18.

456. *Centauros, &c.*) *Centauri & Lapithæ* vicini ſunt populi Theſſaliæ: hi Pindum & Othryn: illi Pelion montem incolentes. Lapitharum rex Pirithous cum Hippodamiam uxorem duceret, Centauri, ſponſam ipſo nuptiarum die rapere aggreſſi, a Theſeo & Hercule amicis Pirithoi, cæteriſque Lapithis ingenti clade inter ipſa pocula affecti ſunt. Centaurorum præcipuos commemorat Virgilius, Rhœtum, Pholum, & Hylæum. Pro *Rhœto*, aliqui *Rhœcum* legunt: & vero ſic apud Callimachum alioſque legitur. De *cratere*, Ecl. 5. 68.

458. *O fortunatos, &c.*) VII. PARS & ultima: *Digreſſio de vitæ ruſticæ felicitate*. I. Ejus commoda præfert commodis urbanæ vitæ, v. 461. II. Proximam facit literarum & Philoſophiæ ſtudiis, v. 475. III. Præfert quibuſlibet aliis hominum ſtudiis, v. 495. IV. Hujus vitæ antiquitatem a primis Italiæ colonis, primiſque hominibus repetit, v. 532.

462. *Mane ſalutantum, &c.*) Mos apud Romanos, ut clientes magno numero patronos ſalutatum venirent prima luce. *Undam* exprimit multitudo populi exeuntis: dum alius alium, quaſi fluctus fluctum trudit. *Vomit*, metaphora antiqui uſus in eam rem; unde *vomitoria* dicebantur in amphitheatris aditus illi, per quos populus confertim ingrediens in ſedilia ſeſe effundebat.

463. *Teſtudine poſtes.*) Portas intelligit, vel in teſtudinem, id eſt fornicem, arcuatas: vel tectas conchis teſtudinis Indicæ in laminas ſectis. De *teſtudinibus*, Ital. *teſtuggine*, ita Plin. l. 9. 10. *Teſtudines tantæ magnitudinis indicum mare emittit, ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant; atque inter inſulas rubri præcipue maris his navigabant cymbis. In mari conchyliis vivunt; tanta oris duritia, ut lapides comminuant: in terram egreſſæ, in herbis pariunt ova, avium ovis ſimilia, ad centena numero: eaque defoſſa extra aquas incubant noctibus.* Tum cap. 11. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque & repoſitoria his veſtire, Carbilius Pollio inſtituit, prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii.*

464. *Illuſaſque auro veſtes, &c.*) *In quibus artifex illudens, ex auro aliqua depinxit*, inquit Servius.

*Ephyreiaque æra.*) Quinque ſyllabarum vox; apud Lucanum etiam quatuor, *Ephyrea*: lib 6. *Inſedit caſtris Ephyreaque mœnia ſervat*: id eſt, Corinthia: Corinthus enim, *Ephyra* dicta eſt, ab Ephyra Nympha. Urbs eſt Achaiæ, ſita in medio Iſthmi Peloponneſiaci, qui Corinthiacus ideo dicitur. Capta eſt & incenſa a L. Mummio Conſule. Æs porro Corinthium magno in pretio fuit, & ad vaſa expetitum: cujus pretii cauſa hæc affertur a Floro l. 2. 16. Quan-



Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt. Illic ſaltus, ac luſtra ferarum,
Et patiens operum parvoque aſſueta juventus,
Sacra Deum, ſanctique patres: extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore,
Accipiant; cœlique vias & ſidera monſtrent,
Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Unde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſuſque in ſeipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin,

*affluens variis opibus: tamen otia in amplis fundis, & antra, & vivi lacus, & umbroſi campi, & mugitus boum, & dulces ſomni ſub arbore non deſunt.* Illic ſunt *ſilvæ, & latibula ferarum, & juventus patiens in laboribus parvoque aſſueta, & cæremoniæ Deorum, & venerandi parentes. Juſtitia abiens e terra ultimo poſuit pedem apud illos. Me vero teneant præ cæteris dulces Muſæ, quarum fero res ſacras, magno earum amore captus: & doceant me circulos cœli, & ſidera, & diverſas eclipſes Solis, & eclipſes Lunæ: unde motus terræ oriatur: qua virtute altum mare turgeſcat, ſuperato alveo, ac deinde in ſeipſum recurrat: qua de cauſa ſol hyemalis ita properet ſe lavare* aquis *Oceani, vel quæ mora differat noctes æſtivas.* Si

NOTÆ.

*Quantas opes & abſtulerit & cremaverit hinc ſcias: quod, quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio ſuperfuiſſe comperimus: nam & æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria: quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.* Æri tamen huic fuiſſe pretium etiam ante Mummianum incendium, probat ex Homero Cerdanus, aliiſque argumentis Germanus.

465. *Alba neque Aſſyrio, &c.*) Quadruplex eſt Syriæ diviſio. Syria, Aſſyria, Cœleſyria, & Leucoſyria: Phœnicia vero & Tyrus ſunt in Cœleſyria: in Phœnicia autem & circa Tyrum inventa eſt purpura primum e conchis expreſſa. *Venenum*, ut & φάρμακον Græcis, ambiguæ ſignificationis eſt: & ſignificat quicquid naturam rerum immutat, in bonam malamque partem; atque adeo & colores, quibus lana fucatur.

466. *Caſia.*) Caſiam triplicem diſtinximus Ec. 2. 49. De prima ſpecie haud dubie hic intelligendus poeta: qua oleum ad majores delicias conditum fuiſſe puto, Ital. *cannella*.

469. *At frigida Tempe.*) *Tempe*, pluralis numeri, ac neutrius generis, amœniſſima vallis fuit in Theſſalia: cincta montibus Oſſa, Pelio, & Olympo; Peneo fluvio interfluſa. Ab ea valle multæ, amœnitate pares, eo quoque nomine inſignitæ ſunt: ſic in Sicilia poſuit Ov. Faſt. 4. 475. *Heloria Tempe*. Statius in Bœotia, Theb. 1. 486. *Teumeſſia Tempe*. Hic Virgilius amœna quælibet loca intelligit. Nomen, a τέμενος *lucus, fanum*; quod Æoles deformarunt in τέμπος.

471. *Saltus ac luſtra ferarum.*) De *ſaltibus* vide Ecl. 6. 56. De *luſtris*, quæ ſunt ferarum in ſilvis cubilia, puto magis adhærendum Feſto quam Servio. Feſtus derivat a *luto*: unde metaphorice *luſtra* dicuntur popinæ & lupanaria, ubi ventri ac deſidiæ opera datur. Servius deducit ab *umbra*, quia loca illa parum *illuſtrantur*. Stat pro Feſto Voſſius in Etym.

474. *Juſtitia excedens.*) Aſtræa, de qua Ec. 4. 6.

475. *Muſæ.*) Profitetur ſe literarum ſtudia præferre agriculturæ: ſi tamen his ſtudiis minus ſe idoneum ſentiret, ad hoc alterum vitæ genus abiturum. *Muſæ.*) Non hic ſolius carminis præſides, ſed literarum omnium, earum præcipue quæ ad cœleſtia pertinent, quibus præeſt *Urania*.

476. *Quarum ſacra fero.*) Poetæ Muſarum ſe ſacerdotes appellant. Ita Horat. Od. l. 3. 1. *Carmina non prius audita, Muſarum ſacerdos, virginibus pueriſque canto*. Sacerdotum eſt *ſacra ferre*, adminiſtrare, ac ducere.

481. *Quid tantum Oceano, &c.*) Hyemem & æſtatem ſignificat: & ſenſus eſt: Quæ cauſa ſit, cur dies hyberni tam ſint in occaſum præcipites: & quæ mora noctes æſtivas differat, ac retardet. *Soles* dixit, pro *dies*, plurali numero, quemadmodum G. 1. 66. *Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas*.

484. Fri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,
Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem ſilvaſque inglorius. O ubi campi,
Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta! o qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari!
Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſtes,
Panaque, Silvanumque ſenem, Nymphaſque ſorores!
Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,
Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Non res Romanæ, perituraque regna: neque ille
Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.

Quos

*Si vero ſanguis frigidus circumfuſus cordi impediat, quominus poſſim penetrare hæc ſecreta naturæ; placeront mihi rura, & fluvii decurrentes in vallibus: amarem fluvios & ſilvas, ſine ulla alia gloria. O ubi ſunt campi, & Sperchius fluvius, & mons Taygetus frequentatus a puellis Laconicis! o, quis me transferat in valles gelidas Hemi montis, & operiat me magna umbra ramorum! Felix ille eſt, qui potuit diſcere cauſas rerum, & qui poſuit ſub pedibus omnem timorem & tumultum Acherontis avari. Sed felix quoque eſt ille, qui colit Deos ruſticos, & Pana, & ſenem Silvanum, & Nymphas ſorores. Ille non movetur, nec faſcibus populi, nec purpura regum, nec diſſenſione quæ turbat infidos fratres, nec Daco, qui deſcendit a Danubio conjurato, nec negotiis Romanorum, nec regnis perituris; neque ille aut cum angore miſereſcit pauperis, aut invidet diviti. Colligit fructus, quos rami, quos agri ipſi*

vo-

## N O T Æ.

484. *Frigidus obſtiterit, &c.)* *Secundum phyſicos, qui dicunt ſtultos homines eſſe frigidioris ſanguinis, prudentes, calidi. Unde & ſenes, in quibus jam friget; & pueri, in quibus necdum calet, minus ſapiunt.* Ita Servius. *Præcordia* proprie ſunt membranæ cordi prætenſæ: Græci vocant διάφραγμα. Supra præcordia ſunt pulmones & cor; infra jecur & lien. Sæpe tamen ſumuntur pro *extis* omnibus, hic & alibi præcipue pro *corde*, ſæpe pro ipſo *animo*.

487. *Sperchiuſque, &c.)* *Sperchius*, Theſſaliæ fluvius, e Pindo monte in Malliacum ſinum rapide fluens: hodie *Agriomela*. *Taygetus*, pluraliter *Taygeta*, mons Laconiæ, Spartæ & Amyclis imminens, venatione & Bacchi orgiis celebris; unde *Virginibus bacchata Lacænis*, id eſt, frequentata a Laconiæ mulieribus, quæ illic Bacchantium cultu interdum ludebant.

488. *Hemus*, Mons Thraciæ, de quo G. 1. 492.

490. *Felix qui, &c.)* Videntur hi verſus geminam Philoſophiæ partem diſtinguere: primus *Phyſicam*, ſive naturalem, quæ rerum cauſas inveſtigat: alii *Ethicam*, ſive moralem, quæ tota eſt in temperandis hominum moribus, & conſectanda beatitate, beatitas autem in voluptate a pleriſque veterum conſtituebatur; nocet porro voluptati metus fati & inferorum.

492. *Acherontis avari.)* *Acheron*, inferorum fluvius, de quo Æn. 6. 323. *Avarus* dicitur, quia inferi rapiunt omnia.

493. *Deos agreſtes, Panaque, &c.)* De Diis agreſtibus Ecl. 6. in notis ad Argum. De *Pane* Ecl. 2. 31. De *Silvano*, Ecl. 10. 24. De *Nymphis ſororibus*, puta *Dryadibus* aut *Napæis* &c. E. 2. 46.

495. *Non populi faſces, non, &c.)* Neque movetur Romanorum honoribus, neque barbarorum regum. Romanos honores, per *faſces*, barbaros, per *purpuram* regum ſignificat. *Faſces* erant faſciculi virgarum, quibus erat obligata ſecuris, ita ut ferrum in ſummo exſtaret: inſignia fuere magiſtratuum apud Romanos. Dicuntur *faſces populi*, quia populi ſuffragiis magiſtratus eligebantur in comitiis. Faſces habebat Dictator XXIV. Conſul XII. Prætores provinciales VI. Prætores urbani II. Præferebantur a *lictoribus*, quorum nomen a *ligando*: quia reos ligabant, feriebantque virgis e faſce detractis.

497. *Dacus ab Iſtro.)* *Daci* nunc *Tranſilvani*, *Moldavi*, & *Valachi*, olim feræ gentes & Romanis infeſtæ, intra Carpathum montem a ſeptentrione, Iſtrum fluvium a meridie, ad uſque Iſtri oſtia porrectæ. *Iſter* ſive *Danubius*, fluvius Europæ maximus. Oritur ex Abnoba monte in comitatu *Bar*, prope Villingam oppidum Sueviæ: deinde auctus fluviis 60. navigabilibus, in Pontum Euxinum influit oſtiis ſex,



Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua, carpſit: nec ferrea jura,
Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas & limina regum.
Hic petit excidiis urbem miſeroſque Penates,
Ut gemma bibat, & Sarrano indormiat oſtro:
Condit opes alius, defoſſoque incubat auro.
Hic ſtupet attonitus roſtris: hunc plauſus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebiſque patrumque
Corripuit: gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exſilioque domos & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt ſub ſole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor, hinc patriam, parvoſque nepotes
Suſtinet: hinc armenta boum, meritoſque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,

Aut

*volentes ultro producunt: nec cognoſcit leges duras, & tumultuoſum forum, aut tabularia populi. Alii agitant remis mare profundum, & currunt ad militiam: pervadunt in aulas & domos regum. Hic intentat ruinam urbi & miſeris domibus, ut bibat in* poculo *gemmeo, & dormiat in purpura Tyria: alius occultat divitias, & incumbit auro defoſſo: alius obſtupeſcit mirabundus ad roſtra: alium percellit hiantem plauſus plebis & ſenatorum in theatro, nam iteratur:* alii *gaudent tincti ſanguine fratrum, & relictis domibus & gratis hominibus abeunt in exſilium, & quærunt patriam ſuppoſitam alii ſoli. Agricola* autem *vertit terram curvo aratro; inde* eſt *labor anni; inde alit patriam & parvos nepotes; inde* alit *armenta boum, & juvencos, qui* id labore *meruerunt. Nec ceſſat, donec annus abundet, vel pomis,*

vel

## N O T Æ.

ſex, quorum duo tantum jam navigabilia ſunt, cæteris arena clauſis. Danubius olim vocatus ab ortu ad uſque Axiopolim urbem Myſiæ; quo loco Iſter appellabatur: unde proprie Iſter a Virgilio hic dicitur: & Dacus uſurpatur pro quolibet hoſte barbaro Romani imperii, cujus olim terminus ab ea parte Iſter fuit.

498. *Non res, &c.)* Opponit Romanum imperium regnis cæteris; quæ vocat *peritura*, ut Romanam æternitatem notet.

499. *Aut doluit miſerans, &c.)* Loquitur e Stoicorum ſententia, qui motus omnes animi atque affectus, veluti morbos & vitia, ex homine ſublatos volebant ad bene beateque vivendum. Ac ſpeciatim patet miſericordiam excludi a Seneca ex animo ſapientis, lib. 2. de Clement. c. 5. *Quemadmodum religio Deos colit, ſuperſtitio violat: ita clementiam manſuetudinemque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis: itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt.*

502. *Populi tabularia.)* *Tabularium* Romæ locus fuit, in quo publica omnia inſtrumenta de prædiis, vectigalibus, portoriis, reditibuſque aliis publicis, ſervabantur in tabulis. Erat autem in atrio Libertatis. Livius l. 43. *Cenſores ex templo in atrium Libertatis aſcenderunt: & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſervis publicis, negarunt ſe prius quicquam negotii publici geſturos, quam judicium populi de ſe factum eſſet.*

505. *Hic, &c.)* Eos carpit, qui opes e domitarum urbium ruinis colligunt. De *Penatibus* Æn. 2. 717.

506. *Sarrano indormiat oſtro, &c.)* Purpura quæ fit e ſanie *oſtrei* ſive conchylii, qui *murex* appellatur, Phœnicum lingua *Sar*, unde Tyrus, urbs Phœniciæ, horum piſcatu celebris, dicta eſt prius *Sarra*; & color purpureus, *Sarranus* & *Tyrius*. Diſtinguunt tamen plerique purpuram piſcis, ſive oſtreum, a murice: hæc tamen a poetis vulgo promiſcue uſurpantur. Purpura alia rubra, alia violacea, alia dibapha, id eſt, bis tincta, a δὶς bis, & βάπτω tingo.

508. *Hic ſtupet attonitus roſtris, &c.)* Notat ſtudium audiendi oratores, vel orandi e ſuggeſtis, quæ *roſtra* dicebantur. Nam ex Livio l. 8. cum *Antiates*, gens Latii maritima, cujus caput *Antium*, victi a Romanis & claſſe ſpoliati eſſent, naves eorum partim in navalia ſubductæ, partim incenſæ ſunt: ſervatiſque roſtris, id eſt, eminentibus illis proræ partibus, quæ ferro aut ære armabantur, placuit in foro ſuggeſtum ex iis adornari, unde cum populo ageretur.

509. *Per cuneos, (geminatur enim) &c.)* Notat ſtudium ſpectaculorum: in quibus plauſus, non a ſola plebe, ſed etiam a ſenatoribus ipſis dabatur, & ſic geminabatur. *Cunei* ſedilia ſunt theatrorum, de quibus ſupra v. 381.

517. Ce-

Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:
Proventuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems; teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande ſues læti redeunt: dant arbuta ſilvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus: & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea dulces pendent circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos: fuſuſque per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat; pecoriſque magiſtris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaque agreſti nudat prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus & frater: ſic fortis Etruria crevit;
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemque una ſibi muro circumdedit arces.

Ante

*vel fœtu pecudum, vel manipulis ſpicarum Cerealium : & oneret ſulcos proventu, & ſuperet horrea.* Poſtquam *hyems venit, oliva Sicyonia premitur torcularibus : redeunt porci ſaginati glandibus : ſilvæ præbent poma ſilveſtria : & autumnus ſuppeditat varios fructus : & alte racemi dulces coquuntur in apertis collibus. Interea dulces nati pendent circa ora ; caſta domus ſervat pudicitiam : vaccæ demittunt mammas plenas lacte : & pingues hœdi in herba fertili certant invicem oppoſitis cornibus. Ipſe* agricola *celebrat dies feſtos : & ſtratus in herba, ubi ignis* eſt *in medio, &* ubi *ſocii implent pocula, te invocat, o Bacche, vinum effundens* tibi : *& proponit cuſtodibus gregis certamina celeris jaculi in ulmo, & nudat robuſta* eorum *corpora ad luctam ruſticam. Sic inſtituerunt vitam olim antiqui Sabini, ſic Remus, & frater* ejus Romulus : *ſic crevit generoſa Tuſcia : atque adeo Roma evaſit pulcherrima mundi, & una circumcinxit ſibi muris ſeptem montes.*

*An-*

N O T Æ.

517. *Cerealis mergite culmi.* ) *Hæc merges*, Virgilio videtur eſſe manipulus ſpicarum, ut explicat Servius. Plinio tamen l. 18. 30. videtur eſſe furca colligendis apta manipulis: qua ſignificatione dicitur etiam *merga, æ*, a Columella, & Feſto.

519. *Sicyonia bacca trapetis.* ) *Sicyon*, urbs Achaiæ proprie dictæ, non longe ab Iſthmo Peloponneſiaco, ferax oleis. *Trapes*, ſive *trapetum* mola eſt, ſive torcular olei.

520. *Arbuta.* ) Proprie ſunt fructus *arbuti*, arboris, Ital. *corbezzolo*, de qua Ec. 3. 82. Hic forte pro baccis omnibus ſilveſtribus uſurpantur.

522. *Mitis in apricis, &c.* ) Matureſcit Solis ardore. De loco *aprico*, id eſt, Soli expoſito, vide Ecl. 9. 49.

523. *Circum oſcula.* ) Circa os pendent; ab ore pendent. *Oſculum* enim, non ſemper *baſium*; ſed magis proprie ipſum *os* ſignificat, Æn. 1. 260.

528. *Cratera coronant.* ) Non coronant floribus, ſed vino: quod ad ſummam uſque poculi oram, ac veluti coronam, infunditur. Docet Athenæus l. 15. ex Ariſtotele, [illegible] προσφέρειν τοῖς θεοῖς, ἀλλὰ τέλεια &c. *Nihil mutilum eſſe offerendum Diis, ſed integra & perfecta : plenum vero perfectum eſt : coronare autem, plenitudinem quamdam ſignificat.* Citatque Homerum : Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. *Juvenes vero crateras coronaverunt potu.*

531. *Palæſtra.* ) Lucta : Græca vox παλαίστρα radix, a πάλλω *agito*, propter corporis in ea agitationem.

532. *Sabini.* ) Romæ vicini, Apennini jugis circumvallati : quorum fœminas in ludis Romani rapuerunt.

533. *Hanc Remus & frater, &c.* ) Remus & Romulus, fratres, Romæ conditores, Iliæ & Martis filii : de iis Æn. 8. 630.

*Sic fortis Etruria.* ) Tuſcia a Latio, per Tiberim, diviſa : Æn. 8. 479. & 10. 164.

535. *Septemque ... muro circumdedit arces.* ) *Arces*, vel loca munita ſunt, vel potius montes, rupes, ut G. 4. 461. *Flerunt Rhodopeiæ arces.* Et vero *arx* probabilius derivatur ab ἄκρα *cacumen, vertex* : quanquam inepte Solinus derivat ab *Arcadibus*, qui primi in excelſa parte montis habitarunt ; Varro ab *arcendo*, Servius ab *arcano*. Porro ſeptem Romæ colles incluſi muro fuere: Palatinus, nunc *palazzo maggiore* : Quirinalis, *monte cavallo* ; Cœlius, *monte di S. Giovanni Laterano* : Capitolinus, *Campidoglio* : Aventinus, *monte di S. Sabina* : Eſquilinus, *monte di S. Maria*

*Mag-*



Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.
Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

*Aureus quoque Saturnus ducebat hanc vitam in terris, ante imperium Jovis Cretenſis, & antequam ſcelerati homines veſcerentur occiſis bobus. Nondum etiam* homines *audiverant inflare tubas, nondum gladios ſonare impoſitos duris incudibus. Sed nos decurrimus campum immenſum longitudine, & jam tempus eſt liberare* jugo *fumantia colla equorum.*

N O T Æ.

*Maggiore* : Viminalis denique ; quibus duo additi deinceps fuerunt, Janiculus collis, *Montorio* ; & Vaticanus.

536. *Dictæi regis, & ante Impia quam, &c.* ) Antequam regnaret Jupiter, qui educatus eſt in Dictæo monte, Cretæ inſulæ, G. 4. 152. id eſt, aurea ætate ; cum homines nondum animalium carne, ſed ſolis terræ fructibus veſcerentur. De *Saturno*, & *aurea* ætate, Ecl. 4. 6.

541. *Sed nos, &c.* ) Hunc librum, ut priores, allegoria terminat ab equis petita. *Æquor* hic eſt campus. Æn. 2. 780.

# P. VIRGILII MARONIS
# GEORGICORUM
## LIBER III.

## ARGUMENTUM.

*EXORDIUM tria continet : invocationem Deorum, qui pabulo & pecorum paſtioni præſident : deinde laudes Octaviani : denique invitationem Mæcenatis, cujus juſſu ſuſceptum id operis fuiſſe, rurſus teſtatur. Sequuntur præceptiones de cultura pecorum, quatuor in partes diſtinctæ. I. Agit de bobus & equis. II. De ovibus & capris. III. De canibus. IV. De rebus pecori infeſtis ; nempe ſerpentibus, ſcabie, febri, ac peſte : quæ peſtis deſcriptio epilogi locum obtinet. Sparſæ ſunt præterea toto libro fuſiores, oblectationis cauſa, deſcriptiones, quaſi quædam diverticula. Talis eſt deſcriptio curſus equeſtris, v. 103. Aſili ſive œſtri, v. 147. Taurorum amantium, v. 217. Furiarum amoris, v. 242. Scythicæ hyemis, v. 349.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:
Proventuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems; teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande ſues læti redeunt: dant arbuta ſilvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus: & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea dulces pendent circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos: fuſuſque per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat; pecoriſque magiſtris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaque agreſti nudat prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus & frater: ſic fortis Etruria crevit;
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemque una ſibi muro circumdedit arces.

Ante

*vel fœtu pecudum, vel manipulis ſpicarum Cerealium: & oneret ſulcos proventu, & ſuperet horrea.* Poſtquam *hyems venit, oliva Sicyonia premitur torcularibus: redeunt porci ſaginati glandibus: ſilvæ præbent poma ſilveſtria: & autumnus ſuppeditat varios fructus: & alte racemi dulces coquuntur in apertis collibus. Interea dulces nati pendent circa ora; caſta domus ſervat pudicitiam: vaccæ demittunt mammas plenas lacte: & pingues hœdi in herba fertili certant invicem oppoſitis cornibus. Ipſe* agricola *celebrat dies feſtos: & ſtratus in herba, ubi ignis* eſt *in medio, & ubi ſocii implent pocula, te invocat, o Bacche, vinum effundens* tibi: *& proponit cuſtodibus gregis certamina celeris jaculi in ulmo, & nudat robuſta* eorum *corpora ad luctam ruſticam. Sic inſtituerunt vitam olim antiqui Sabini, ſic Remus, & frater* ejus Romulus: *ſic crevit generoſa Tuſcia: atque adeo Roma evaſit pulcherrima mundi, & una circumcinxit ſibi muris ſeptem montes.*

*An-*

N O T Æ.

517\. *Cerealis mergite culmi.* ) *Hæc merges,* Virgilio videtur eſſe manipulus ſpicarum, ut explicat Servius. Plinio tamen l. 18. 30. videtur eſſe furca colligendis apta manipulis: qua ſignificatione dicitur etiam *merga, æ*, a Columella, & Feſto.

519\. *Sicyonia bacca trapetis.* ) *Sicyon*, urbs Achaiæ proprie dictæ, non longe ab Iſthmo Peloponneſiaco, ferax oleis. *Trapes*, ſive *trapetum* mola eſt, ſive torcular olei.

520\. *Arbuta.* ) Proprie ſunt fructus *arbuti*, arboris, Ital. *corbezzolo*, de qua Ec. 3. 82. Hic forte pro baccis omnibus ſilveſtribus uſurpantur.

522\. *Mitis in apricis, &c.* ) Matureſcit Solis ardore. De loco *aprico*, id eſt, Soli expoſito, vide Ecl. 9. 49.

523\. *Circum oſcula.* ) Circa os pendent; ab ore pendent. *Oſculum* enim, non ſemper *baſium*; ſed magis proprie ipſum *os* ſignificat, Æn. 1. 260.

528\. *Cratera coronant.* ) Non coronant floribus, ſed vino: quod ad ſummam uſque poculi oram, ac veluti coronam, infunditur. Docet Athenæus l. 15. ex Ariſtotele, ὅτι οὐδὲν κολοβὸν προσφέρειν τοῖς θεοῖς, ἀλλὰ τέλεια &c. *Nihil mutilum eſſe offerendum Diis, ſed integra & perfecta: plenum vero perfectum eſt: coronare autem, plenitudinem quamdam ſignificat.* Citatque Homerum: Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. *Juvenes vero crateras coronaverunt potu.*

531\. *Palæſtra.* ) Lucta: Græca vox παλαίστρα: radix, a πάλλω *agito*, propter corporis in ea agitationem.

532\. *Sabini.* ) Romæ vicini, Apennini jugis circumvallati: quorum fœminas in ludis Romani rapuerunt.

533\. *Hanc Remus & frater, &c.* ) Remus & Romulus, fratres, Romæ conditores, Iliæ & Martis filii: de iis Æn. 8. 630.

*Sic fortis Etruria.* ) Tuſcia a Latio, per Tiberim, diviſa: Æn. 8. 479. & 10. 164.

535\. *Septemque ... muro circumdedit arces.* ) *Arces*, vel loca munita ſunt, vel potius montes, rupes, ut G. 4. 461. *Flerunt Rhodopeiæ arces.* Et vero *arx* probabilius derivatur ab ἄκρα *cacumen, vertex*: quamquam inepte Solinus derivat ab *Arcadibus*, qui primi in excelſa parte montis habitarunt; Varro ab *arcendo*, Servius ab *arcano*. Porro ſeptem Romæ colles incluſi muro fuere: Palatinus, nunc *palazzo maggiore*: Quirinalis, *monte cavallo*; Cœlius, *monte di S. Giovanni Laterano*: Capitolinus, *Campidoglio*: Aventinus, *monte di S. Sabina*: Eſquilinus, *monte di S. Maria*

*Mag-*



Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.
Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

*Aureus quoque Saturnus ducebat hanc vitam in terris, ante imperium Jovis Cretenſis, & antequam ſcelerati homines veſcerentur occiſis bobus. Nondum etiam* homines *audiverant inflare tubas, nondum gladios ſonare impoſitos duris incudibus. Sed nos decurrimus campum immenſum longitudine, & jam tempus eſt liberare* jugo *fumantia colla equorum.*

N O T Æ.

*Maggiore*: Viminalis denique; quibus duo additi deinceps fuerunt, Janiculus collis, *Montorio*; & Vaticanus.

536\. *Dictæi regis, & ante Impia quam, &c.* ) Antequam regnaret Jupiter, qui educatus eſt in Dictæo monte, Cretæ inſulæ, G. 4. 152. id eſt, aurea ætate; cum homines nondum animalium carne, ſed ſolis terræ fructibus veſcerentur. De *Saturno*, & *aurea* ætate, Ecl. 4. 6.

541\. *Sed nos, &c.* ) Hunc librum, ut priores, allegoria terminat ab equis petita. *Æquor* hic eſt campus. Æn. 2. 780.

---

# P. VIRGILII MARONIS
# GEORGICORUM
## LIBER III.

---

## ARGUMENTUM.

*EXORDIUM tria continet: invocationem Deorum, qui pabulo & pecorum paſtioni præſident: deinde laudes Octaviani: denique invitationem Mæcenatis, cujus juſſu ſuſceptum id operis fuiſſe, rurſus teſtatur. Sequuntur præceptiones de cultura pecorum, quatuor in partes diſtinctæ. I. Agit de bobus & equis. II. De ovibus & capris. III. De canibus. IV. De rebus pecori infeſtis; nempe ſerpentibus, ſcabie, febri, ac peſte: quæ peſtis deſcriptio epilogi locum obtinet. Sparſæ ſunt præterea toto libro fuſiores, oblectationis cauſa, deſcriptiones, quaſi quædam diverticula. Talis eſt deſcriptio curſus equeſtris, v. 103. Aſili ſive œſtri, v. 147. Taurorum amantium, v. 217. Furiarum amoris, v. 242. Scythicæ hyemis, v. 349.*

R Te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TE quoque, magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo: vos, ſilvæ, amneſque Lycæi.
Cætera, quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,
Omnia jam vulgata. Quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos,
Hippodameque, humeroque Pelops inſignis eburno,
Acer equis? Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Pri-

## INTERPRETATIO.

*Te etiam cantabo, o magna Pales; & te, o paſtor memorabilis ob Amphryſum; & vos, o ſilvæ, & flumina Lycæi. Cætera omnia argumenta, quæ delectare* poſſent *animos otioſos, jam pertractata* ſunt. *Quis neſcit aut Euryſtheum ſeverum, aut altaria infamis Buſiridis? Cui non dictus* eſt *Hylas puer, & Delos Latonia, & Hippodame, & Pelops notabilis humero eburneo, ac peritus* artis *equeſtris? Tentanda eſt* mihi *via, qua poſſim attollere me etiam e terra, & victor volare per ora hominum.*

Ego

## NOTÆ.

1. *Te quoque, magna Pales.*) Dea paſtorum & pabuli, cui ſacra lacte fiebant: & feſta celebrabantur *Palilia*, 12. Kal. Maii: quo die Romulus urbem fundavit.

2. *Paſtor ab Amphryſo.*) *Amphryſus* fluvius Theſſaliæ: ubi Apollo greges pavit Admeti regis, vel ipſius regis amore captus, juxta Callimachum in hymno, vel juxta alios, eidem addictus in ſervitutem a Jove propter interfectos Cyclopas, qui fulmina Jovi fabricaverant ad occidendum, vel Phaetonta, vel Æſculapium, utrumque filium Apollinis. Ideo dicitur *memorandus ab Amphryſo*: id eſt, ob Amphryſum, quia ob operam ejus in ripis Admeto exhibitam dictus eſt *Apollo Nomius*, a νομή *paſcuum*.

*Silvæ, amneſque Lycæi.*) Loca quælibet paſcuis abundantia: quales ſunt in Arcadia ſilvæ, amneſque *Lycæi* montis, Ecl. 10. 15.

4. *Euryſthea.*) Mycenarum regem: qui Junonis odio obſequens, Herculem oraculi juſſu ſibi ſubditum, difficillimis periculis objecit: e quibus evaſit victor. De *Hercule*, Æn. 8. 287.

5. *Illaudati Buſiridis aras.*) Regis Ægypti, qui cum hoſpites ad aras immolaret, ad eas ipſas cum Amphidamante filio & miniſtris occiſus eſt ab Hercule, cui ſtruebat eaſdem inſidias. *Illaudati.*) Illaudabilis, in quo nihil eſt laude dignum, ac proinde ſumma ſunt omnia vitia. Sic vulgo *invictus*, ſumitur pro *invincibili*, quod non eſt in uſu, ut notat Turn. l. 4. 17. Videturque Virgilius carpere Iſocratem, Græcum oratorem, qui ſcripſit, quam adhuc habemus, laudationem Buſiridis.

6. *Hylas . . . Latonia Delos.*) *Hylas*, puer dilectus Herculi, Ecl. 6. 43. *Latona*, Cœi Titanis filia, a Jove compreſſa, Ecl. 3. 67. *Delos*, inſula maris Ægæi, ubi Latona Dianam & Apollinem enixa eſt. Æn. 3. 74.

7. *Hippodameque.*) vel Hippodamia, filia Oenomai regis Elidis & Piſarum, qui cum ex oraculo ſe a genero occidendum eſſe accepiſſet: equis confiſus velociſſimis, qui ex ventorum flatu creati erant, curule certamen filiæ procis propoſuit, ea lege, ut qui vinceret, filiam obtineret; qui vinceretur, mortem ſubiret. Igitur tredecim victis & occiſis, Pelops Myrtilum Oenomai aurigam pretio corrupit, ut currui fragilem axem ſubjungeret, aut obicem axi non adjiceret. Quo pacto Oenomaus e curru concidit, membriſque caſu colliſis mortuus eſt. Pelops Hippodamia potitus, Myrtilum perfidiæ mercedem contumelioſius exigentem, in Ægæum mare præcipitem dedit, cujus illa pars ideo *Myrtoum* mare dicta eſt. *Pelopis* pater Tantalus fuit, Phrygiæ rex: qui cum Deos excepiſſet hoſpitio, eorumque numen explorare vellet, ſuum hunc filium iis epulandum dedit; a cujus eſu cæteri abſtinuerunt, excepta Cerere, quæ humerum ejus abſumpſit. Jupiter eum ſuſcitavit, humerumque ei reſtituit eburneum: Tantalus ob id ſcelus perpetua ſiti ac fame in inferis cruciatus fingitur, præſentibus epulis coactus abſtinere. Pelops deinde non Elide tantum, ſed tota peninſula potitus, eam ſuo nomine *Peloponneſum* vocavit.

10. *Primus ego in patriam, &c.*) Certe hanc laudem prius dederat Ennio Lucret. l. 1. 117. *Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno detulit ex Helicone perenni fronde coronam, per gentes Italas*, &c. Igitur non ſignificat Virgilius ſe primum omnium Græcas Muſas deducturum in Italiam, ſed in agrum Mantuanum.

11. *Aonio vertice.*) Helicone, monte Bœotiæ, quæ Aonia prius dicta, Ecl. 6. 65. De *Muſis*, Ecl. 3. 60.

12. *Primus Idumæas, &c.*) Id eſt, nobiles

pal-



Primus ego in patriam mecum (modo vita ſuperſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas.
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucoſque Molorchi,

Cur-

*Ego primus rediens e Bœotiis montibus deducam mecum Muſas in patriam, dummodo vita duret* mihi. *Primus reportabo tibi palmas Idumæas, o Mantua: & ædificabo in campo viridi templum e marmore juxta aquam, ubi magnus Mincius errat lentis flexibus, & tegit* marginem *riparum tenera arundine. In medio* templo *mihi erit Cæſar, & templum occupabit. Ejus in honorem ego victor, & ſpectabilis purpura Tyria, impellam juxta fluvium centum currus actos quatuor equis. Omnis Græcia relinquens Alpheum, & ſilvas Molorchi*

meo

## NOTÆ.

palmas: quales naſcuntur in *Idume*, ſive *Idumæa*, Syriæ regione, ab *Edom*, filio Eſau, ſic dicta. Attingit morem victorum Olympicis ludis: quia ſua præmia referebant patrias in civitates: in quas triumphali pompa invehebantur, fruebanturque deinceps vectigalibus totam in vitam e republica conſtitutis.

15. *Mincius.*) Fluvius Mantuam alluens, *Menzo*, Ecl. 7. 13.

16. *In medio, &c.*) Promittit multa in honorem Octaviani. I. *Templum.* II. *Ludos Olympicos, & Nemeæos*, Græco more. III. *Supplicationes cum Deorum ſtatuis.* IV. *Sacrificia.* V. *Ludos theatrales.* VI. *Trophæa, imagines, & ſtatuas.*

17. *Victor ego, & Tyrio, &c.*) Victor poetarum omnium Græcorum: quam victoriam explicat more tum Romano, tum Græco. Romano quidem, juxta quem victores purpura veſtiti quadrigis invecti triumphabant; Græco vero, juxta quem victores ludis Olympicis palmam manu, coronam capite geſtabant; unde ſupra dixit; *referam tibi, Mantua, palmas*: & infra v. 21. *Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ*, &c. De *Tyrio oſtro*, ſive purpura, G. 2. 506.

18. *Centum quadrijugos, &c.*) Vel more poetarum, *centum* dixit, pro magna multitudine; vel alludit ad pompam Circenſium ludorum, in quibus die uno fiebant viginti quinque curruum miſſus: id eſt, emiſſiones curruum e repagulis & carceribus: ſingulis autem miſſibus quatuor currus exibant, ſinguli, pro ſua factione, ſuis diſtincti coloribus: quatuor enim erant factiones; rubra; alba; praſina, ſive viridis: & veneta, ſive cærulea. Igitur centum currus Virgilii miſſus indicant viginti quinque, ſeu Circenſem unius diei pompam. Circenſes autem ludi, curſus equeſtres Olympicos imitabantur, Æn. 5. 288.

*Ad flumina.*) Veteri inſtituto: nam ante Circorum fabricam, *in litore fluminis Circenſes agitabantur; in altero latere poſitis gladiis, ut ab utraque parte eſſet ignaviæ præſens periculum*, inquit Servius. Vide Æn. 5. 288.

19. 20. *Cuncta mihi, &c.*) Significat venturam eſſe Græciam ad ſuos ludos, patriis contemptis, quaſi vilioribus. Quatuor autem erant in Græcia ludi, ſive certamina inſignia: *Olympica, Pythia, Iſthmia*, & *Nemeæa*. I. *Olympica*, inſtituta ſunt ab Hercule, in honorem Jovis, poſtquam Hercules Augeam regem Elidis occidiſſet: fraudatus ab eo mercede pacta propter ſtabulum a triginta annorum fimo repurgatum. Victores corona donabantur ex oleaſtro, vel olea. Conſtabant autem ludi illi pentathlo, ſive quintuplici certamine, ceſtu, curſu, ſaltu, diſco, & palæſtra: durabantque quinque dies, & quarto quoque anno celebrabantur: unde ſpatia quatuor annorum, duas inter ludorum illorum celebrationes interjecta, *Olympiades* appellata ſunt. II. *Pythia*: fiebant in Pythio, Macedoniæ loco: in honorem Apollinis, ob cædem Pythonis ſerpentis: unde Apollo *Pæan* dictus eſt, a παίω *ferire*, quod ſagittis ſerpentem percuſſiſſet: indeque carmen in ipſius & cæterorum deinde Deorum laudem vocatur *hic pæan*. Coronabantur victores lauro. III. *Iſthmia*, in honorem Neptuni, a Theſeo Athenienſium rege inſtituta, in faucibus Iſthmi Corinthiaci. Corona dabatur e pinu. IV. *Nemeæa*, edebantur in honorem Herculis, ob cædem leonis ab eo interfecti in ſilva Nemeæa, prope Cleonas, urbem Achaiæ, in Peloponneſo. Corona erat ex apio. Præterea ludis omnibus victores palmam manu geſtabant. Virgilius per *Alpheum*, Elidis in Peloponneſo fluvium, prope Olym-

 piam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Curſibus & crudo decernet Græcia cæſtu.
Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ
Dona feram. Jam nunc ſolemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæſoſque videre juvencos:
Vel ſcena ut verſis diſcedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro ſolidoque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini:
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas.
Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphaten,

Fi-

*meo juſſu certabit curſu, & duro cæſtu. Ego decoratus frondibus tonſæ oleæ* circa *caput, proponam præmia. Jam nunc juvat ducere ad templa ſolemnes pompas, & videre mactatas victimas:* vel videre, *quomodo ſcena mutetur converſa facie, & quomodo Britanni intexti attollant aulæa purpurea. In portis* templi *ſculpam in auro & ſolido ebore pugnam Indorum, & bella victoris Romuli: ibidemque* ſculpam *Nilum agitatum* claſſibus*, & longe fluentem, & columnas exſtructas ex ære navium* captarum. *Adjiciam urbes Aſiæ expugnatas, & Armenios fugatos,*

*& Par-*

## N O T Æ.

piam urbem, certamina intelligit *Olympica*, quæ ibi committebantur. Per *lucos Molorchi*, certamina *Nemeæa*. Molorchus enim paſtor fuit in agro Cleonæo, hoſpes Herculis, cujus in gratiam Hercules leonem Nemeæum ſive Cleonæum interfecit. Certamina alia ſub his duobus complectitur.

20. *Cæſtus*.) Chirothecæ quædam ſpecies eſt, e corio bubulo, eoque *crudo*: quo pugiles manus & brachia ad pugnam armabant. Æ. 5. 401.

21. *Tonſæ*.) Conciſis foliis apte compoſitæ.

22. *Ducere Pompas*.) *Pompæ* erant imagines Deorum impoſitæ ferculis; & alia quælibet ludorum ornamenta, quæ ad oſtentationem coram populo ducebantur: præcipue in *Circenſibus*. Nomen a πομπή; hoc autem a πέμπω *mitto, deduco, tranſveho*. De pompa illa Circenſi fuſe Ovid. Amor. 2. 2. 43. *Sed jam pompa venit: linguis animiſque favete*, &c. *Prima loco fertur ſparſis Victoria pennis*, &c. Tum Neptunus, Mars, Phœbus, Minerva, Ceres, &c.

24. *Vel Scena, ut &c.*) Scena, frons eſt theatri, ſeu pars theatri adverſa ſpectantibus: quæ aulæis, velis, aliiſque ornamentis decorata, actores tegit atque inumbrat: σκηνὴ *umbraculum*, a σκιὰ *umbra*, G. 2. 381. Scena autem illa fiebat, aut *verſatilis*, aut *ductilis*. Verſatilis; cum ſubito machinis quibuſdam, ut præcipit Vitruvius, triangulis tota vertebatur, aliamque picturæ faciem oſtendebat. Ductilis; cum evolutis velis & aulæis, picturæ facies interior nudabatur. Utramque exprimit Virgilius.

25. *Intexti tollant aulæa Britanni*.) Singulæ voces egent explicatione. I. *Aulæa*: vela ingentia, peripetaſmata, dicta ſunt ab *aula* Attali, Pergami regis ditiſſimi, qui populum Romanum hæredem reliquit: primuſque invenit aurum intexere, ut Babylonii colores, ex Plinio l. 8. 48. unde *Attalica* & *Babylonica* aulæa veſteſque memorantur. II. *Britanni*, nunc Angli & Scoti. Non ab Octaviano victi ſunt, ut vult Servius, ſed a Julio Cæſare: qui ex continenti Galliæ bis in eorum inſulam navigavit: duabuſque victoriis re bene geſta, & acceptis obſidibus, magnum ſervorum numerum, ac prædam reportavit juxta Strabonem l. 4. Ex iis igitur Julii mancipiis puto multos officiis theatralibus addictos eſſe: de quibus, ut illo tempore paſſim notis, hic ſermo eſt. III. *Intexti*. Nempe quia Julii victoriæ in ipſis aulæis depictæ erant, & inter eas, fortaſſe Britannica: unde portabant vela iidem Britanni qui in velis acu picti videbantur.

26. *Elephanto*.) De ebore, qui dens eſt elephanti, G. 1. 57.

27. *Gangaridum, &c.*) *Quirini, &c.*) *Gangaridæ*, gens Indica circa Gangem. *Quirini*.) Octaviani: qui quaſi alter Romulus, & alter conditor Romæ habitus eſt. Romulus autem Quirinus dictus eſt a *quiri*, quæ Sabinorum lingua haſtam ſignificat, qua ſemper inſtructus pingitur Romulus. Certum eſt agitatum fuiſſe in ſenatu, Romuli-ne, an Auguſti nomine Octavianus donaretur. Sed peræque certum eſt, neque id contigiſſe, niſi an. U.C. 727. annis poſt edita Georgica circiter tribus: neque unquam Gangaridas ab eo victos eſſe. Igitur appellatur a Virgilio *Quirinus*, non publica auctoritate, ſed privata adulatione. *Gangaridum* vero victor, quia M. Antonii victor; qui ipſe dolo Armenios, Ventidio duce, & Parthos vicerat; Indos vero, Arabes, alioſque Aſiaticos habuerat in auxiliis, ut diximus G. 2. 171. Unde patet, id quod illo loco jam probavimus, hunc quoque locum Georgicis libris jam perfectis attextum eſſe.

28. *Ma-*



Fidentemque fuga Parthum verſiſque ſagittis:
Et duo rapta manu diverſo ex hoſte trophæa,
Biſque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stabunt & Parii lapides, ſpirantia ſigna,
Aſſaraci proles, demiſſæque ab Jove gentis
Nomina, Troſque parens, & Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix furias amnemque ſeverum
Cocyti metuet, tortoſque Ixionis angues,
Immanemque rotam, & non exſuperabile ſaxum.
Interea Dryadum ſilvas ſaltuſque ſequamur
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia juſſa.

Te

*& Parthos confidentes fugæ ac ſagittis retro jactis, & ſpolia bis rapta manu ex diverſis hoſtibus, & populos bis victos in utroque mari. Erunt quoque ſtatuæ e marmore Pario, ſimulacra* prope *animata, ſoboles Aſſaraci, & heroes familiæ deductæ a Jove, & Tros pater* Aſſaraci, *& Apollo munitor Trojæ. Invidia infelix timebit furias, & ſeverum fluvium Cocyti, & tortos ſerpentes Ixionis, & rotam immenſam, & rupem* Siſyphi *inſuperabilem. Interea ſubeamus ſilvas Dryadum, & ſaltus inacceſſos;* ſubeamus *tua mandata, o Mæcenas, non* ſane *facilia.*

*Ani-*

## N O T Æ.

28. *Magnumque fluentem Nilum*.) Nomen pro adverbio. Sic Æn. 7. 399. *Torvumque repente clamat*, &c. De *Nilo* Ægypto flumine, G. 4. 288 & Nilus victoriam ſignificat Alexandrinam, de M. Antonio & Cleopatra ab Octaviano relatam, anno U. C. 724.

29. *Navali ſurgentes, &c.*) Octavianus e roſtris æreis Ægyptiarum navium, dicitur quatuor columnas conflaviſſe: auctor Servius.

30. 31. *Niphaten, Fidentemque, &c.*) Per Niphaten Armeniæ montem, Armenios ipſos intelligit: per montem, populos montis incolas. Sic Æn. 10. 13. *Alpes immittet apertas*: id eſt, populos Alpinos. De *Parthis*, diximus Ecl. 1. 62. Quomodo autem Octavianus dici poſſit viciſſe Armenios & Parthos, vide ſupra in nota ad v. 27.

32. 33. *Et duo rapta . . . Biſque triumphatas, &c.*) Omnes explicant *diverſum hoſtem*, de Gangaridis & Britannis; *utrumque litus*: de orientali, in quo ſunt Gangaridæ; & occidentali, in quo ſunt Britanni. Sed male, ſiquidem Britannos Octavianus non vicit. Ego explico de Aſiaticis Africaniſque gentibus, quæ M. Antonio parebant: de gemina clade, qua M. Antonium affecit; prima ad Actium Epiri promontorium, in Europæo litore: altera ad Alexandriam, in Africano litore. *Rapta manu*.) Notat utrumque bellum ab Octaviano non per legatos, ut bella fere cætera; ſed proprio Marte, propria manu, geſtum eſſe.

34. *Parii lapides*.) Marmora candida e Paro inſula, quæ una eſt e Cycladibus in mari Ægæo.

35. *Aſſaraci proles, &c.*) Gentis Juliæ ſeriem & originem indicat. Hic autem fuit ordo. *Jupiter: Dardanus*, Jovis filius ex Electra Atlantis filia: *Erichthonius: Tros*. Hic ſcindit ſe familia duas in partes, per duos Trois filios, *Ilum* & *Aſſaracum*. *Ilus* enim genuit *Laomedontem*, hic *Priamum*. *Aſſaracus* vero habuit *Capyn*, hic *Anchiſen*. Ex *Anchiſe & Venere*, *Æneas*, *Aſcanii* ſive *Iuli* pater, qui auctor fuit gentis Juliæ.

36. *Trojæ Cynthius auctor*.) Apollo natus in inſula *Delo*, ubi mons eſt *Cynthus*; Ecl. 6. 3. Trojæ mœnia exſtruxit, regnante Laomedonte. Vide G. 1. 502.

37. *Invidia, &c.*) Eorum ſupplicium notat, qui Octaviani laudibus obtrectabant: quales multi ad id uſque tempus Romæ ſuperant, e veteribus Sext. Pompeii, aut M. Antonii amicis.

38. *Cocyti, &c.*) Inferorum fluvium e Styge profluentem, a κωκύω *gemere*. Æneid. 6. 323.

*Ixionis angues*.) Ixion, Phlegyæ Lapitharum in Theſſalia regis filius: cum ob cædem ſoceri ſui Deionei inexpiabilem vagaretur, aſſumptuſque in cœlum, & expiatus a Jove eſſet: Junonis amore percitus, ex nube, quam ei Jupiter pro Junone obtulerat, Centauros genuit. Apud homines deinde cum ſuos & Junonis amores quaſi veros jactaret, fulmine dejectus ad inferos, ibique tortis anguibus alligatus eſt rotæ, cujus perpetuo circumactu torquetur.

39. *Non exſuperabile ſaxum*.) Siſyphi ſupplicium ſignificat. Is filius Æoli, cum Atticam latrociniis infeſtaret, occiſus eſt a Theſeo Athenarum rege: cujus in gratiam finxere Græci, Siſyphum apud inferos huic addictum pœnæ; ut in montis verticem ſaxum provolvat, & continuo inde gravitate ſua devolutum revolvat.

40. *Dryadum, &c.*) Ecl. 2. 46. *Saltus*.) Ecl. 6. 56.

41. *Mæcenas*.) In argumento Georg.

43. *Ve-*

Te ſine nil altum mens inchoat: en age, ſegnes
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus æquorum:
Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæſaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abeſt ab origine Cæſar.
Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Paſcit equos, ſeu quis forte ad aratra juvencos,
Corpora præcipue matrum legat. Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,
Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior: quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.
Ætas Lucinam juſtoſque pati hymenæos
Deſinit ante decem, poſt quatuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, ſuperat gregibus dum læta juventus,

Solve

*Animus meus nihil altum incipit ſine te. Eia vero amputemus pigras moras: Cithæron vocat nos magno clamore, & canes Taygeti, & Epidaurus domitrix equorum; & vox reboat multiplicata repercuſſu ſilvarum. Paullo poſt tamen aggrediar celebrare animoſa bella Octaviani, & fama propagare nomen ejus per tot annos, quot* annis *Octavianus diſtat a primo ortu Tithoni. Sive aliquis alit equos, admirans præmia victoriæ Olympiacæ; ſive aliquis alit robuſtos boves ad arationem: eligat præſertim corpora matrum. Optima eſt figura terribilis vaccæ, cui caput* eſt *deforme, cui collum* eſt *magnum, &* cui *pelles pendent a mento uſque ad crura:* cui *præterea latus longum eſt ſine modo, & omnia magna: pes etiam, & aures hirſutæ ſub cornibus inflexis. Nec diſplicebit mihi* vacca *notata maculis albis, aut quæ fugit jugum, & aliquando cornibus petit, & facie ſimilis eſt tauro: & quæ tota alta* eſt*, & ambulans verrit veſtigia* parte *extrema caudæ. Ætas ſubeundi legitimum conjugium, & labores partus, finit ante decem annos, & incipit poſt quatuor: reliqua* ætas*, nec apta eſt generationi, nec commoda agriculturæ. Interea dum læta juventus viget in armentis,* da

## NOTÆ.

43. *Vocat ingenti, &c.*) Dicit ſe vocari eas in regiones, quæ abundant iis animalibus, quorum culturam hoc libro docturus eſt. *Cithæron.*) Mons Bœotiæ, quæ regio a *bove* nomen habuit; ut dictum eſt Ecl. 6. 65. & a Juvenali, Sat. 10. 50. *Vervecum patria* nominatur.

44. *Taygetus.*) Mons in Laconia prope Spartam; venatu inſignis, atque adeo canibus. *Epidaurus.*) Urbs multiplex hujus nominis: hæc in Peloponneſo eſt, in Argia regione, ad orientale litus, ubi colebatur Æſculapius. Et tota Argia ferax equorum fuit: unde laudantur eo nomine Mycenæ, urbs ejuſdem regionis, v. 121. *Et patriam Epirum referat, forteſque Mycenas.*

46. *Mox tamen, &c.*) Promittere videtur Æneida, quæ ad gentis Juliæ laudem conſcripta eſt, continetque paſſim laudes Cæſaris Octaviani. *Accingar.*) Suſcipiam. Tranſlatio eſt ab iis, qui aliquid facturi veſtem altius cingunt, ne laciniis defluentibus impediantur.

48. *Tithoni.*) Vel Tithonus eſt ille, Laomedontis aut frater, aut filius, ab Aurora dilectus, de quo G. 1. 249. Vel juxta Servium & Euſtathium, Sol, qui Tithonus eodem modo dicitur, quo dicitur quoque Titan: nempe a τιταίνω, *extendo*, quia lucem undequaque extendit. Tithonus enim Auroræ diſtabat ab Octaviano mille dumtaxat annis; Sol tota mundi ætate, atque adeo quadam æternitate, quam videtur Octaviano polliceri Virgilius.

49. *Seu quis Olympiacæ, &c.*) I. PARS. *De equis, & bobus.* Continetque præcepta quatuor. I. *De cognoſcenda optima forma vaccæ*, v. 51. *equi*, v. 75. II. *De delectu admiſſariorum, de' ſtalloni*, v. 95. *& equarum ad admiſſuram*, v. 129. quæ etiam tauris & vaccis accommodari poſſunt. III. *De cura equarum gravidarum*, v. 140. IV. *De cura & inſtitutione vitulorum*, v. 157. *& equuleorum*, v. 179.

52. *Turpe caput.*) Deforme propter magnitudinem. Sic Homerus dixit, λᾶαν ἀναιδῆ, *lapis impudens*, Iliad. 4. 521. & alibi.

56. *Ma-*



Solve mares: mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.
Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus:
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac, ne poſt amiſſa requiras,
Anteveni, & ſobolem armento ſortire quotannis.
Nec non & pecori eſt idem delectus equino.
Tu modo, quos in ſpem ſtatues ſubmittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.
Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga;
Luxuriatque toris animoſum pectus: honeſti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo. Tum, ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit; micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.

Denſa

*da licentiam maribus, & cito immitte pecora ad coitum, & propaga progeniem aliam ex alia per generationem. Optima quæque dies vitæ prima elabitur miſeris mortalibus: morbi ſuccedunt, & mæſta ſenectus; & labor, & ſeveritas duræ mortis eos rapit. Erunt ſemper aliquæ* pecudes*, quarum voles mutare corpora; igitur ſemper repara* armentum*: & ne poſtea deſideres ea quæ amiſeris, præveni* damnum*, & ſubſtitue armento prolem novam ſingulis annis. Similiter* neceſſarius *eſt armento equorum delectus idem. Tu modo adhibe præcipuam curam* circa eos*, quos ſtatuis ſeponere ad propagationem armenti, jam inde a tenera* eorum *ætate. Statim pullus generoſi pecoris alte incedit per campos, & flexibili crure figit* gradum*. Primus audet ingredi viam, & explorare fluvios tumentes, & exponere ſeſe ponti incognito: nec timet ſtrepitus inanes. Collum habet elatum, caput acutum, ventrem ſubſtrictum, terga carnoſa, pectus robuſtum eminet in toros. Boni ſunt badii, & glauci; color eſt peſſimus albis & gilvis. Si autem arma aliqua longe ſonuerunt, non poteſt conſiſtere in loco: arrigit aures, & tremit membris, & volvit ſub naribus collectum calorem,* eum *coercens.*

*Crines*

## NOTÆ.

56. *Maculis inſignis & albo.*) Maculis albis: ut G. 2. 192. *Pateris libamus & auro*, pro pateris aureis.

60. *Lucinam... Hymenæos.*) Deam partus, Deoſque conjugii; quæ numina etiam pecudibus tribuit, ut infra v. 125. mariti nomen equo. *Et pecori dixere maritum.* De *Lucina*, Ecl. 5. 10. *Hymen* vel *Hymenæus*: Vel fuit filius Liberi & Veneris, qui primus certas nuptias inſtituit: vel vir Atticus, qui raptas a latronibus virgines parentibus intactas reſtituit. Unde ejus nomen invocari ſolebat apud Græcos in feſtis nuptialibus, & nuptiæ ipſæ dicebantur *Hymenæi*.

70. *Semper enim refice.*) Hic *enim*, non cauſam notat, ſed effectum: *igitur, itaque*.

*Ne poſt amiſſa requiras.*) Ne ſero agnoſcas negligentiam tuam, ne ſero armenti jacturam doleas, præveni jacturam illam annua ſubſtitutione novæ ſobolis.

81. *Luxuriatque toris animoſum, &c.*) Tori, ſunt eminentiæ muſculorum, quaſi nodoſæ ac tumentes: ut in robuſtioribus corporibus videre eſt.

82. *Spadices, glaucique, &c.*) I. Tamen conſtat *ſpadices* eſſe, ex rubro nigricantes, badios, *bajo ſcuro*. σπάδιξ enim & φοῖνιξ ſignificant palmæ termitem cum fructu, qui ad illum colorem accedit: unde color ille Phœniceus etiam dictus eſt, a φοῖνιξ *palma*. Vide Gellium l. 2. 26. II. Docet ibidem Fronto apud Gellium, *per glaucum equum*, viridem hic ſignificari: & perinde Virgilium dicere potuiſſe, cæruleum. Quis autem eſt equus viridis, aut cæruleus, aut glaucus? Haud dubie ſcutulatus ille, quem ex macularum denſitate vocamus *pomolato, ardoſia forte di pietra*. Ardoſia quippe lapis eſt fiſſilis, & denſe cæruleus. III. *Albus* hic a candido diſtinguitur: nam candidus color maxime probatur in equis Deorum ac triumphantium. Iſidorus *album* explicat *pallidum, blanchiccio*. IV. *Gilvus*, Varroni *helvus*, qualis eſt melli aut lateri ſemicocto: *color di camoſcio lavato*; Germani dicunt *Gelb*.

87. *Du-*

Denſa juba, & dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos ſpina: cavatque
Tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, &, quorum Graii meminere poetæ,
Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.
Talis & ipſe jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce ſenectæ.
Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem
Ingratum trahit: &, ſi quando ad prælia ventum eſt,
Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis,
Incaſſum furit. Ergo animos ævumque notabis
Præcipue: hinc alias artes, prolemque parentum:
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides? cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus;
Cum ſpes arrectæ juvenum, exſultantiaque haurit

Corda

*Crines denſi ſunt, & agitati recidunt in dextrum humerum. At ſpina dorſi duplex extenditur inter lumbos: & ungula cavat ſolido cornu terram, ſonatque graviter. Talis fuit Cyllarus domitus fræno Pollucis Amyclæi: & tales equi bijuges Martis, & equi curules magni Achillis, quos Græci poetæ commemorant. Talis ipſe quoque Saturnus velox emiſit crines e collo equino, ſuperveniente uxore, & fugiens implevit altum Pelium hinnitu acuto. Hunc etiam include ſtabulis, cum deficit, aut morbo tardus, aut ſenio piger: & ſis indulgentior ſenectuti non infami. Senex inutilis eſt ad coitum, & in eo fruſtra extendit laborem ſterilem: & ſi interdum deſcenditur ad pugnam, fruſtra furit, ut aliquando magnus ignis in paleis furit ſine viribus. Ergo ſpectabis præſertim generoſitatem & ætatem, deinde alias dotes; quorum parentum ſint ſoboles; quomodo unuſquiſque doleat, cum vincitur; aut appetat victoriam. Nonne vides? in celebri certamine cum currus corripuerunt campum, & ruunt emiſſi e repagulis: cum ſpes juvenum excitatur,* & me-

NOTÆ.

87. *Duplex ſpina.*) Ita Xenoph. l. de Re equeſtri. Ita Varro. Non quod re duplex ſit, ſed ſpecie tantum & aſpectu: ut enim in equo macilento exſtat & eminet quaſi acuta ſpina dorſi, ita in robuſto ac vegeto cavum quiddam videtur per mediam ſpinam intercurrere; idque patet ex Varronis verbis: ſit *ſpina maxime duplex; ſi minus non exſtans.*

89. *Talis Amyclæi, &c.*) De *Polluce*, ejuſque fratre *Caſtore*, Æn. 6. 121. Pollux ab Homero, Theocrito, Horatio, Ovidio, dicitur pugil inſignis fuiſſe; Caſtor, equorum domitor. Contra tamen videtur hic ſentire Virgilius.

90. *Cyllarus.*) Equus Pollucis, juxta Virgilium, & Propertium: Caſtoris, juxta Senecam, Valerium Flaccum, & Claudianum. *Amyclæ*, urbs in Laconia, non longe a Lacedæmone: unde Caſtor & Pollux, modo Lacedæmone, modo Amyclis nati dicuntur.

91. *Martis equi, &c.*) De *Marte* Ecl. 9. 12. *Martis* equos Servius aliique multi appellant *Pavorem*, & *Timorem*, δεῖμον & φόβον, idque ex Heſiodo & Homero conantur probare: ſed ex iis ipſis oſtendit Germanus, aurigas fuiſſe, non equos. *Achillis* equi, *Balius* & *Xanthus*, immortales; Zephyro patre, & Podarge Harpyia matre, geniti: Iliad. 15. 149. De *Achille*, Æn. 1. 34.

92. *Talis & ipſe, &c.*) Saturnus, de quo Ecl. 4. 6. cum Philyram, Oceani filiam, amore inſequeretur, Ope, ſive Rhea uxore ſuperveniente, in equum ſe convertit, aufugitque in montem Theſſaliæ *Pelium*. Philyra Chironem ex eo peperit; ſuperiore parte hominem, inferiore equum.

96. *Nec turpi ignoſce ſenectæ.*) Affert Servius geminam hujus loci ſententiam: Vel, *nec ignoſce turpi ſenectæ*; vel, *ignoſce ſenectæ non turpi*. Secunda pluribus placet, quia Ennius, Plutarchus, Auſonius, &c. laudant equi ſenectutem, jubentque mitius haberi, & præteritos labores quiete compenſari: unde hic quoque eſt, *Abde domo.*

101. *Artes, prolemque parentum.*) Id eſt, quorum parentum ſint proles: ſive quale ſit genus, & ſeries parentum, e quibus nati ſunt. *Artes.*) Studia quibus apti ſunt, bello ne, an agro, &c.

105. *Haurit.*) Ita pulſat, ut e ſedibus trahere & eruere videatur: hoc enim ſignificat *haurire*, quod eſt ab ἀρύω *haurio*, & iſtud

ab



Corda pavor pulſans; illi inſtant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis:
Jamque humiles, jamque elati ſublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras.
Nec mora, nec requies. At fulvæ nimbus arenæ
Tollitur: humeſcunt ſpumis flatuque ſequentum.
Tantus amor laudum, tantæ eſt victoria curæ.
Primus Erichthonius currus & quatuor auſus
Jungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.
Fræna Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere,
Impoſiti dorſo: atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.
Æquus uterque labor: æque juvenemque magiſtri
Exquirunt, calidumque animis, & curſibus acrem:
Quamvis ſæpe fuga verſos ille egerit hoſtes,
Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas;
Neptunique ipſa deducat origine gentem.
His animadverſis, inſtant ſub tempus; & omnes
Impendunt curas denſo diſtendere pingui,
Quem legere ducem, & pecori dixere maritum:
Pubenteſque ſecant herbas, fluvioſque miniſtrant,

Far-

*& metus pulſans fatigant corda ſubſultantia: juvenes imminent flagello intorto, & pendentes laxant habenas: rotæ volant, calidæ ex impetu: & jam demiſſi, & jam alte ſublati, videntur ire per aerem vacuum, & attolli in ventos. Nec moram* faciunt, *nec quieſcunt. At nubes flavi pulveris aſſurgit:* equi *ſiunt humidi ſpuma & halitu ſequentium. Adeo amant gloriam, adeo appetunt victoriam. Erichthonius primus* omnium *auſus eſt componere currus & quadrigas: & poſt victoriam inſidere rapidis rotis. Lapithæ Pelethronii, inſidentes dorſo* equorum, *invenerunt* artem *frænandi & gyrandi: & docuerunt equitem armatum inſultare terræ, & glomerare ſuperbos paſſus. Difficultas utraque par eſt, pariter magiſtri* artis *eligunt* equum *juvenem & ferventem animis, & vividum in curſu:* non ſenem, *etſi ſæpe ille converterit in fugam hoſtes pulſos, & referat patriam Epirum, aut fortes Mycenas, & ducat genus ab ipſa ſtirpe* equi *Neptuni. His notatis, magis ſolliciti ſunt circa tempus* admiſſuræ: *& adhibent omne ſtudium ut ſaginent denſa pinguedine* eum, *quem elegerunt ducem, & deſignaverunt admiſſarium armenti: & ſecant* huic *herbas vigentes, & præbent aquam* copioſam, *& fru-*

NOTÆ.

ab ἐρύω *traho*: quod enim hauritur, e profundo trahitur. Vide Æn. 10. 314.

113. *Primus Erichthonius, &c.*) Æſchylus Prometheum, Cicero Minervam, Maro Erichthonium curruum inventorem facit: ſive illum Athenienſium regem, ex Vulcano & Tellure natum, & anguipedem, qui, ut pedum deformitatem tegeret, dicitur currum fabricaſſe: ſive illum Phrygem, Dardani filium, Jovis nepotem, qui unus fuit ex Æneæ majoribus, de quo v. 35. Et vero Plinius l. 7. 56. *Bigas primum junxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius.*

115. *Fræna Pelethronii Lapithæ.*) Item fræni & equitationis inventionem tribuit Sophocles Neptuno, Lyſias orator Amazonibus, alii aliis: Virgilius *Lapithis*, Theſſaliæ populis, de quibus G. 2. 457. *Pelethronii* vero vel adjectivum eſt, epithetum Lapitharum, a Pelethronio eorum oppido ad Pelium montem; vel nomen cujuſdam Lapithæ proprium eſt, genitivo caſu, frænorum inventoris, cujus invento Lapithæ deinde cæteri uſi ſunt ad dominandum & inſtituendum equum. Ait enim Plinius l. 7. 56. inveniſſe *frænos & ſtrata equorum Pelethronium: pugnare ex equo Theſſalos, qui Centauri dicti ſunt, habitantes ſecundum Pelium montem.* Lapithæ autem vicini Centauris.

117. *Greſſus glomerare.*) Quaſi colligere, reductis & replicatis anterioribus cruribus, dum poſteriora tenduntur & explicantur.

118. *Æquus uterque labor.*) Par laus, atque difficultas in utraque arte: ſive aurigandi, quæ fuit ars Erichthonii, ſive equitandi, quæ fuit ars Lapitharum.

120. *Quamvis ille, &c.*) Agitur hic de delectu equi admiſſarii, Ital. *ſtallone*.

121. *Epirum referat, &c.*) De *Epiro*, equorum feraci, G. 1. 59. *De equo Neptuni*, G. 1. 14. *Mycenæ*, urbs in Argia Peloponneſi regione, Argis vicina; utraque equis nobilis.

124. *Denſo pingui.*) Denſa pinguedine: duplex adjectivum pro ſubſtantivo & adjectivo: ut G. 1. 393. *Aperta ſerena*, & alibi ſæpe.

126. *Pubentes herbas.*) Non teneriores, aut duriores, ſed ſucci plenas; qualis eſt homo adulta ætate, cum pubeſcit.



130. Con-

Farraque; ne blandi nequeat ſupereſſe labori,
Invalidique patrum referant jejunia nati:
Ipſa autem macie tenuant armenta volentes.
Atque, ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondeſque negant, & fontibus arcent:
Sæpe etiam curſu quatiunt, & ſole fatigant;
Cum graviter tunſis gemit area frugibus, & cum
Surgentem ad zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes:
Sed rapiat ſitiens Venerem, interiuſque recondat.
Rurſus cura patrum cadere, & ſuccedere matrum
Incipit, exactis gravidæ cum menſibus errant.
Non illas gravibus quiſquam juga ducere plauſtris,
Non ſaltu ſuperare viam ſit paſſus, & acri
Carpere prata fuga, fluvioſque innare rapaces.
Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundum
Flumina: muſcus ubi, & viridiſſima gramine ripa,
Speluncæque tegant, & ſaxea procubet umbra.
Eſt lucos Silari circa, ilicibuſque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen aſilo
Romanum eſt, œſtron Graii vertere vocantes:
Aſper, acerbe ſonans: quo tota exterrita ſilvis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther
Concuſſus, ſilvæque, & ſicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno peſtem meditata juvencæ.

Hunc

*& frumenta: ne non poſſit ſufficere jucundo labori, & ne pulli imbecilli ferant* notas *maciei paternæ. At de induſtria faciunt ipſas matres macilentas. Et cum voluptas prius cognita ſuadet novum coitum,* tunc *auferunt eis cibum, & avertunt* eas *a potu: ſæpe etiam agitant* eas *curſu, & fatigant æſtu: cum area ſonat frugibus graviter tritis, & cum paleæ vacuæ projiciuntur in ventos ſurgentes. Hoc faciunt ne trajectus partis genitalis ſit ſtrictior ob nimiam pinguedinem, & claudat meatus hebetes:* ſed ut pars illa *avide attrahat ſemen, & interius includat. Poſtea incipit cura patrum recedere, & cura matrum ſuccedere, quando vagantur gravidæ expletis menſibus. Nullus patiatur eas trahere juga gravium plauſtrorum, aut viam trajicere ſaltando, aut percurrere prata celeri curſu, aut innatare fluviis rapidis. Paſcantur in ſpatiis apertis ſilvarum, & juxta tumentia flumina: ubi ſit muſcus, & ripa virens herbis;* & ubi *antra tegunt* eas*, & umbra rupium incumbat. Circa ſilvas Silari,* & circa *Alburnum virentem ilicibus, eſt plurima volitans* muſca*, quæ Romanis nominatur aſilus, Græci appellantes interpretati ſunt œſtrum: aſpera & acerbe murmurans, qua armenta tota territa fugiunt e ſilvis, aer ſonat percuſſus mugitibus, & ſilvæ, & ripa Tanagri aridi. Per hoc monſtrum Juno exercuit olim iram horribilem, inferens perniciem juvencæ* filiæ *Inachi.*

*Ex-*

NOTÆ.

130. *Concubitus primos jam nota voluptas.*) Pugnant hæc verba, *primos* & *jam nota*. Niſi juxta alios intelligamus *primos*, non omnino de primo concubitu: ſed tantum de primo & novo anni cujuſque redeuntis.

134. *Zephyrum.*) De vento illo occidentali, Ecl. 5. 5.

135. *Uſus.*) Trajectus, via: ut Æn. 2. 453. *Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus Tectorum inter ſe Priami.*

146. *Eſt lucos Silari, &c.*) *Silarus*, nunc *Sele*: Italiæ fluvius in Lucania: quo Lucani a Picentinis dividuntur.

147. *Alburnus.*) Ejus regionis mons, *Alberno*: ex quo monte fluvius oritur Tanagrus, *Negro*, tenuis, & ideo æſtate fere areſcens. *Ilex*, arbor glandifera, Ital. *leccio*.

147. *Aſilo Romanum, &c.*) Tabanus, *tafano*: muſca boves agitans, veteribus Italis dicta eſt *aſilus*: Græcis οἶστρος.

153. *Inachiæ Juno, &c.*) Io, Inachi fluvii Peloponneſiaci, vel potius Argivorum regis, filia: ut lateret Junonem, a Jove in juvencam converſa eſt, & Junoni petenti dono data, ab ea tradita eſt Argo paſtori in cuſtodiam: qui cum fuiſſet a Mercurio ſopitus & occiſus, Io a Junone œſtro immiſſo agitata in Ægyptum uſque fugit, ubi implorato Jovis auxilio priſtinam recepit formam nupſitque regi Oſiridi, & poſt mortem ab Ægyptiis habita eſt pro Dea, ſub Iſidis nomine.

166. *Cir-*



Hunc quoque (nam mediis fervoribus acrior inſtat)
Arcebis gravido pecori, armentaque paſces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.
Poſt partum, cura in vitulos traducitur omnis:
Continuoque notas & nomina gentis inurunt:
Et quos, aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacros, aut ſcindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cætera paſcuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad ſtudium atque uſum formabis agreſtem,
Jam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi:
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici ſubnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio aſſuerint, ipſis e torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos.
Atque illis jam ſæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, & ſummo veſtigia pulvere ſignent.
Poſt valido nitens ſub pondere faginus axis
Inſtrepat, & junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec veſcas ſalicum frondes, ulvamque paluſtrem,
Sed frumenta manu carpes ſata: nec tibi fœtæ,
More patrum, nivea implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces conſument ubera natos.
Sin ad bella magis ſtudium, turmaſque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Piſæ,

Et

*Expelles quoque illum* aſilum *a gravidis matribus, nam importunior ingruit media æſtate; & paſces armenta,* quando *ſol recens ſurrexit, aut* quando *ſtellæ inducunt noctem. Poſt partum omnis cura transfertur in vitulos: ſtatimque imprimunt* iis *ſigna & nomina gentis, &* notant *eos quos velint, ſive ſeponere ad propagandum armentum, ſive ſervare dicatos ſacrificiis; ſive* quos velint *arare terram, & verſare agrum aſperum glebis ſolutis. Reliqui vituli paſcuntur inter virides herbas. Tu exerce jam tum vitulos, quos erudies ad laborem, & uſum ruſticanum: & inſtitue rationem eos domandi: dum animi juvenum dociles* ſunt*, dum ætas mutabilis* eſt. *Ac primo circumda collo laxos circulos e tenero vimine: deinde poſtquam colla* prius *libera aſſueverint ſervituti, conjunge* duos *juvencos æquales, alligatos ipſis circulis, & coge eos ſimul incedere. Et jam tum rotæ ſine onere ſæpe trahantur* ab *iis per humum, &* illi *imprimant orbitas in ſuperficie pulveris. Poſtea axis e fago laborans ſub magno onere ſtrideat, & temo ex ære trahat rotas ſibi conjunctas. Interim manu colliges juvencis nondum domitis, non ſolum herbas, & frondes edules ſalicum, & ulvam paluſtrem,* ſed etiam *frumenta e* tenera *ſegete. Neque vaccæ partu ſolutæ replebunt tibi* lacte *candido mulctralia,* ut erat *conſuetudo veterum: ſed exhaurient totas mammas ad* alendos *dulces fœtus. Si vero ſtudium magis eſt ad bella, & ad exercitus feroces; aut* ſi magis ſtudium eſt *radere curru amnem Piſæ Alpheum,*

*& im-*

NOTÆ.

166. *Circlos.*) Syncope pro *circulos*: quemadmodum *ſeclum* & *periclum*, pro ſeclum & periculum.

168. *Aptos,*) Ligatos; ab ἄπτω *ligo*, ut fuſe oſtendimus Ecl. 7. 13.

172. *Faginus.*) E fago, Ital. *di faggio* Ecl. 1. 1.

175. *Veſcas.*) Edules, quæ famem excitent. G. 4. 131. *Ulva.*) Herba quælibet paluſtris, ſine certo nomine.

176. *Sed frumenta, &c.*) Servius aliique explicat de farragine, hoc eſt de furfuribus triticeis & farina hordeacea. Ego de herbis adhuc teneris, & recens ortis. Favet mihi voces, *carpes ſata*, quæ plane herbarum putationem, & collectionem notant. Favet præterea monitum Virgilii v. 205. *Tum demum craſſa magnum farragine corpus Creſcere jam domitis ſinito*: ergo farragine interdicit indomitis, de quibus hic agitur. Varro tamen hunc cibum permittit vitulis ſemeſtribus. Virgilius itaque dicendus eſt, aut Varroni eſſe contrarius, aut farragine domitis copioſe, indomitis ac junioribus parce tantum, permittere. *Fœtæ.*) Vox ambigua, quæ ſæpe gravidas, hic partu jam ſolutas ſignificat. Ec. 1. 50.

177. *Mulctralia.*) Vaſa mulgendo pecori. Ecl. 3. 30.

180. *Aut Alphea, &c.*) *De Piſa*, urbs an fons tantum fuerit, dubitare videtur Strabo l. 8. Regio certe fuit, & pars Elidis, ſive Eleæ, in Peloponneſo: in qua *Olympia* urbs, & *Al-*



*phæus,*

Et Jovis in luco currus agitare volantes;
Primus equi labor eſt, animos atque arma videre
Bellantum, lituoſque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & ſtabulo frænos audire ſonantes.
Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulſus ab ubere matris
Audiat, inque vicem det mollibus ora capiſtris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inſcius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceſſerit æſtas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis: ſinuetque alterna volumina crurum.
Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Provocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix ſumma veſtigia ponat arena.
Qualis Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes atque arida differt
Nubila: tum ſegetes altæ campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris, ſummæque ſonorem
Dant ſilvæ, longique urgent ad litora fluctus:
Ille volat, ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.
Hic vel ad Elei metas & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas;
Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.
Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito: namque ante domandum
Ingentes tollent animos, prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.
Sed

*& impellere currus celeres in luco Jovis: primus labor equi eſt, videre contentiones & arma pugnantium, & ferre clangorem tubarum, & tolerare gemitum rotæ tractæ, & audire in ſtabulo crepitum frænorum: præterea magis ac magis lætari blandis laudibus magiſtri, & amare ſonitum palpati colli. Audiat autem iſta, ut primum depulſus eſt a lacte matris: & vice frænorum præbeat collum mollibus loris* adhuc *debilis, imo & tremens, necdum confidens ætati. At cum quartus annus acceſſerit, tribus jam elapſis, ſtatim incipiat deſcribere gyros, &* incedere *paſſibus numeroſis ac ſonantibus: & inflectat alterne commiſſuras crurum*, ita ut *videatur conflictari; deinde laceſſat ventos curſu: & currens per campos patentes, quaſi ſolutus fræno, vix attingat pedibus ſuperficiem arenæ. Qualis eſt Aquilo, cum imminet vehemens a ſeptentrionalibus partibus*, & cum *diſſipat procellas Scythiæ & nimbos* adhuc *ſiccos: tum ſegetes altæ, & agri* ſpicis *fluctuantes tremiſcunt modico flatu: & cacumina ſilvarum edunt ſtrepitum: & longi fluctus impellunt ſe ad litora. Aquilo* autem *ruit: ſimul radens curſu campos, & ſimul mare. Talis* equus, *vel ſudabit, & emittet ore ſpumam ſanguineam, ad metas & magna ſpatia campi Olympici; vel melius trahet collo tenero vehicula Belgica. Tunc denique permitte, ut magnum corpus* eorum, qui jam *domiti* ſunt, *pingueſcat denſa farragine: nam* ii ſaginentur, *antequam domentur, efferent animum ferocem, & comprehenſi recuſabunt pati flagella flexibilia, & obtemperare duris frænis.*
Sed

NOTÆ.

*pheus* fluvius, G. 1. 59. loca ludis Olympicis & Jovis templo inſignia. Vide ſupra v. 20.

183. *Lituoſque pati, &c.* ) *Lituus*, ſpecies incurvæ buccinæ: e cujus ſimilitudine *lituus* quoque dicitur augurum baculus, quo varias cœli regiones deſignabant.

196. *Qualis Hyperboreis, &c.*) De *Scythia*, E. 1. 66. De *Aquilone*, ſive *Borea*, vento ſeptentrionali, E. 7. 51. De *Hyperboreis*, ſeu *Riphæis* Moſcoviæ montibus, G. 1. 240. Dicuntur Hyperborei, quia ſupra eos & ex iis ſtare incipit Boreas. Differt *Aquilo Scythiæ hyemes*, id eſt, nubes in Scythia collectas meridiem verſus propellit; eaſque *aridas*, quia non ſolvit eas in pluviam, utpote ſiccus & conſtringens.

202. *Elei... campi ſpatia, &c.*) Stadiū Olympicū in Elide, de quo G. 1. 59. & G. 3. 20. & modo v. 181.

204. *Belgica eſſeda.* ) Eſſedum, vehiculi genus, tam ad iter, quam ad bella comparatum. Eo quippe uti ſolitos fuiſſe Britannos in bellis memorat Cæſar, de bello Gall. lib. 4. Quod & vicinis quoque gentibus ut Belgis, qui Galliæ partem tertiā occupabant, fuiſſe in uſu colligitur ex aliis auctoribus. De *Farragine*, v. 176.

206. *Ante domandum.* ) Vide infra v. 348.

208. *Lupatis*, Lupatum, frænum aſperrimum,



Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quam Venerem & cæci ſtimulos avertere amoris,
Sive boum, ſive eſt cui gratior uſus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in ſola relegant
Paſcua poſt montem oppoſitum, & trans flumina lata.
Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſervant.
Carpit enim vires paullatim, uritque videndo
Fœmina: nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbæ:
Dulcibus illa quidem illecebris, & ſæpe ſuperbos
Cornibus inter ſe ſubigit decernere amantes.
Paſcitur in magna ſilva formoſa juvenca:
Illi alternantes multa vi prælia miſcent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora ſanguis,
Verſaque in obnixos urgentur cornua vaſto
Cum gemitu; reboant ſilvæque & magnus Olympus.
Nec mos bellantes una ſtabulare: ſed alter
Victus abit, longeque ignotis exſulat oris:
Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris, tum quos amiſit inultus amores:
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura jacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis & carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco: ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt, ubi collectum robur, vireſque receptæ,
Si-

*Sed nulla cura magis corroborat* eorum *vires, quam impedire coitum & aculeos inſani amoris, ſive boum, ſive equorum cultus alicui placet. Et propterea removent tauros longe, & in deſerta paſcua, poſt montem interjectum, & trans latos fluvios. Vel ſervant incluſos interius ad præſepia* pabulo *abundantia. Nam fœmina, dum videtur, paullatim minuit vires, & exhaurit* marem: *nec permittit* ut *meminerit ſilvarum, & pabuli: illa quidem* facit hoc *dulcibus blanditiis, & ſæpe cogit ſuperbos amantes certare inter ſe cornibus. Pulchra juvenca paſcitur in magna ſilva:* tauri vero *illi viciſſim multo ardore miſcent pugnam plagis frequentibus: niger ſanguis tingit membra, & cornua impinguntur converſa* viciſſim *in* adverſarium *obnitentem, magno cum gemitu: & ſilvæ & magnum cœlum remugiunt. Nec ſolent adverſarii manere in eodem ſtabulo: ſed alteruter abit victus, & procul exſulat in regione incognita: multum dolens de ignominia, & vulneribus* illatis *a feroci victore, & de amica quam perdidit ſine ultione, & exit e regnis avorum*, frequenter *retorquens oculos ad ſtabulum. Exercet igitur ſuas vires omni cura, & jacet pernoctans in cubili ſtrato ſub duris ſaxis, comedens frondes hiſpidas, & juncos acutos: & experitur ſe: & diſcit furere in ſua cornua obluctans trunco arboris: & impetit aerem ictibus: & proludit ad pugnam arenis ſparſis. Deinde poſtquam robur reparatum eſt, & vires refectæ,*
mi-

NOTÆ.

mum, uncis armatum ferreis *lupinorum* dentium formam habentibus, unde nomen eſt.

215. *Uritque videndo.* ) Dum videtur. Gerundia enim plerumque vim habent paſſivam, Ecl. 8. 71.

221. *Lavit.* ) Dicitur *lavare*, & *lavere*: hic *lavit*, non eſt præteritum a *lavare*, longam enim haberet ſyllabam primam; ſed præſens a *lavere*, atque ita habet brevem.

223. *Olympus.* ) Cœlum translative, proprie mons in Theſſalia, tantæ altitudinis ut nubes excedere, & ad cœlum uſque pertingere dicatur: unde quaſi Deorum ſedes celebratur a Poetis. Vide Ecl. 3. 56.

228. *Regnis avitis.* ) Agris in quibus natus erat, ac veluti dominabatur; ſic Ecl. 1. *Mea regna videns mirabor ariſtas.*

230. *Jacet pernox.* ) Servius tamen, & juxta omnium, ut ait, veterum exemplarium fidem Pierius legunt *pernix*, & explicant, *perſeverans*, a pernitendo. At *pernix* nuſquam habet hanc ſignificationem, & ubique celeritatem notat: ut ſupra v. 93. *Pernix Saturnus*, & Æn. 4. 180. *Pedibus celerem & pernicibus alis.* Celeritas autem, huic tauro, mœrenti ac feſſo non convenit: legatur itaque *pernox*, cum utroque Scaligero.

231. *Carice.* ) Planta ex arundineo genere,
Gal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Signa movet, præcepſque oblitum fertur in hoſtem:
Fluctus ut in medio cœpit cum albeſcere ponto
Longius, ex altoque ſinum trahit: utque volutus
Ad terras, immane ſonat per ſaxa, nec ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat unda
Verticibus nigramque alte ſubjectat arenam.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes urſi ſtragemque dedere
Per ſilvas: tum ſævus aper, tum peſſima tigris:
Heu! male tum Libyæ ſolis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, ſi tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam fræna virum, neque verbera ſæva,
Non ſcopuli, rupeſque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos unda torquentia montes.
Ipſe ruit, denteſque Sabellicus exacuit ſus,
Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca ſerus freta: quem ſuper ingens

Por-

*mutat locum, & celeriter incurrit in hoſtem immemorem. Veluti fluctus, cum cœpit albeſcere procul in medio mari, & eminus ſinuatur: ac veluti volvens ſe ad litus, reſonat horrende inter rupes, & cadit non minor ipſa rupe: at aqua infima ebullit in vortices, & ſuperjicit in altum nigram arenam. Certe omne genus in terris, & hominum, & ferarum, & genus piſcium, pecudes, & volucres verſicolores, rapiuntur in furorem, & ignem: omnes habent eumdem amorem. Nullo alio tempore leæna negligens catulos crudelior errat in campis: neque urſi turpes edunt plures cædes paſſim & ſtrages in ſilvis: tunc aper* eſt *crudelis, tunc tigris eſt peſſima: heu! tunc periculoſe inceditur per deſertos agros Africæ. Nonne vides, ut tremor quatiat omnia membra equorum, ſi dumtaxat aer advexit* ad nares *notum odorem* fœminæ? *Tunc ſunt nec fræna aurigarum, nec ſæva flagella, nec ſcopuli & rupes cavæ, neque fluvii interjecti & volventes ſaxa abrepta vi aquarum, retardant eos. Ipſe aper Sabellicus irruit, & acuit dentes, & conculcat terram pedibus, & fricat coſtas arbore, & ex utraque parte indurat humeros ad plagas.* Quid facit *juvenis, cujus in oſſibus durus amor excitat ignem? ſcilicet vigilans per obſcuram noctem trajicit natatu fretum agitatum ſubita tempeſtate:*

ſuper

## N O T Æ.

Gallice non nominata, de qua Ecl. 3. 20.

236. *Signa movet.*) Metaphoram a bellis hominum, qui, cum caſtra movent, ſigna terræ defixa avellunt, alioque transferunt.

241. *Subjectat.*) *Superjicit*: & notavimus Ecl. 1. 46. præpoſitionem *ſub* in compoſitis aliquando ſignificare *ſuper*.

249. *Libyæ*) Africæ pars eſt, quæ vulgo pro Africa tota ſumitur. G. 1. 241.

251. *Odor attulit auras.*) Commutatio: id eſt, aura, ſive aer impulſus attulit odorem.

255. *Sabellicus ſus.*) Vel aper, vel ſus domeſticus, e Sabinorum, vel Sabellorum regione, Romæ vicina. Æn. 7. 665.

258. *Quid juvenis, &c.*) Leander juvenis ex Abydo Aſiæ oppido, cum Heronem puellam, Veneris ſacerdotem, e Seſto Thraciæ oppido, deperiret, clam noctu trajiciebat natatu fauces Helleſponti, inter utrumque oppidum interjectas; ſed aliquando viribus deſtitutus, ac tempeſtate oppreſſus interiit. Cadaver cum eſſet ad litus Thraciæ delatum, Hero doloris impatientia ex ipſa arce in mare ſe præcipitem abjecit. De *Seſto*, *Abydo*, & *Helleſponto*, G. 1. 207.

261. *Porta cœli.*) Eſt, juxta Manutium, aer nubibus plenus: juxta alios, oriens; quia inde Solis incipit motus: juxta alios ipſa nubes, ex qua portæ inſtar hiſcente, fulmen erumpit. Juxta Cerdanum optime, regia, ſive templum Jovis. Nam Jupiter a poetis quaſi e templo fulminare dicitur. Lucret. l. 1. 1096. *Cœli tonitralia templa*. Silius l. 1. 136. *Tonat alti regia cœli*.

264. *Lynces.*) Species luporum cervariorum, de quibus Ecl. 8. 3. Has, ut & tigres, currui Bacchus alligavit.

267. *Glauci Potniades, &c.*) Glaucus Siſy-

phi



Porta tonat cœli, & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora: nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum,
Atque canum? quid, quæ imbelles dant prælia cervi?
Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum:
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumpſere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant:
Continuoque avidis ubi ſubdita flamma medullis,
Vere magis (quia vere calor redit oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in zephyrum, ſtant rupibus altis,
Exceptantque leves auras: & ſæpe ſine ullis
Conjugiis, vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles
Diffugiunt: non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus,
In Boream, Caurumque, aut unde nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluvio contriſtat frigore cœlum.
Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus.
Hippomanes, quod ſæpe malæ legere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.

Sed

*ſuper ejus* caput *magna porta cœli tonat, & mare impactum rupibus ſonat: nec miſeri parentes poſſunt* eum *impedire, nec* ipſa *inſuper amica peritura crudeli morte. Quid, lynces maculoſæ Bacchi, & genus acre luporum & canum: quid, fugaces cervi, quanta gerunt bella? Notabilis eſt tamen præ cæteris furor equarum. Et* vero *Venus ipſa immiſit illis* hunc *furorem, quo tempore equæ Potniades devoraverunt maxillis membra Glauci. Amor rapit illas trans Gargara, & trans rapidum Aſcanium: tranſcendunt montes, & trajiciunt fluvios: ſtatimque, poſtquam ignis exarſit in medullis avidis, præſertim vere (quia vere calor redit in oſſa) illæ omnes ſtant in altis rupibus obvertentes ora ad zephyrum, excipiuntque levem aerem: & ſæpe ſine ullo concubitu, gravidæ vento,* quod *mirum* eſt *dictu, currunt per ſaxa, & rupes, & valles humiles: non ad* ortum *tuum, o Eure; neque ad ortum Solis,* neque *ad Boream & Caurum; neque ad eam partem, unde oritur Auſter nigerrimus, &* unde *contriſtat aerem pluvia tempeſtate. Poſt hunc denique* conceptum *diſtillat e partibus genitalibus viſcoſus liquor, quem paſtores apto nomine vocant hippomanes, quod ſæpe malæ novercæ collegerunt, addideruntque* huic *herbas, & verba malefica.*

Sed

## N O T Æ.

phi filius, e Potnia Bœotiæ vico, cum equas ſuas, quo eſſent velociores, a coitu cohiberet; Venus indignata tantum iis furorem immiſit, ut dominum laniarint.

269. *Gargara ... Aſcanium.*) *Gargara*, pars Idæ montis, & oppidum in Troade. *Aſcanius*, Bithyniæ fluvius in Aſia. Hic pro quolibet monte & fluvio.

273. *Ore omnes verſæ, &c.*) Equas in Luſitania circa Olyſſiponem ex vento concipere memorant Solinus, Columella, Varro. Fabulam putat Juſtinus, remque detorquet ad pernicitatem equorum Galleciæ & Luſitaniæ. Virgilius, duce Ariſtotele, ex illo conceptu non verum fœtum, ſed lentum virus ſtillare ait: idque vocant *hippomanes* ab equi furore; ἵππο- enim *equus*, & *μανία furor*. Eſt etiam *hippomanes*, caruncula, quæ fronti pulli adnaſcitur: utrumque venenatum creditur.

277. *Non, Eure, tuos, &c. in Boream, &c.*) Alii ſic interpretantur: Non ad Eurum, ſed ad Boream, &c. Ego ſic: Non ad Eurum, neque ad Boream, &c. Quia ſcriptorum maxima pars videtur hanc vim uni Zephyro tribuere: ut & ipſe Virgilius; *Ore omnes verſæ in Zephyrum*. De *Zephyro*, vento occidentali, Ecl. 5. 5. De *Borea* ſeptentrionali, Ecl. 7. 51. De *Auſtro*, meridionali, Ecl. 2. 58. De *Euro*, orientali, G. 1. 371. *Caurus*, ſive *Corus*, ſpirat inter ſeptentrionem & occaſum.

279. *Pluvio frigore.*) Auſter non eſt frigidus, ſed calidus atque humidus; unde *frigus* hic pro pluvia tempeſtate uſurpatur, ut *hyems* ſæpe pro æſtiva etiam tempeſtate, G. 1. 321. *Ferret hyems culmumque levem ſtipulaſque volantes*.

280. *Hippomanes.*) Supra v. 273.

286. Ho-

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc ſatis armentis. Superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtaſque capellas:
Hic labor; hinc laudem fortes ſperate coloni.
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor: juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum.
Incipiens, ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondoſa reducitur æſtas:
Et multa duram ſtipula filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpeſque podagras.
Poſt, hinc digreſſus, jubeo frondentia capris
Arbuta ſufficere, & fluvios præbere recentes;
Et ſtabula a ventis hyberno opponere ſoli
Ad medium converſa diem: cum frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ,
Nec minor uſus erit: quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores.
Denſior hinc ſoboles, hinc largi copia lactis.

Quam

*Sed fugit interim, fugit tempus irreparabile: dum ferimur circa ſingula, correpti amore. Hoc ſufficit armentis. Supereſt ſecunda pars laboris, nempe tractare greges lanigeros, & capellas hirſutas. Hoc difficile eſt; hinc ſperate gloriam, o ruſtici laborioſi. Nec dubito animo, quam ſit difficile ſuperare ſermonis dignitate iſta argumenta, & addere hoc ornamentum rebus vilibus. Sed amor ſuavis rapit me per altiſſimas ſolitudines Parnaſſi: placet ire per ea culmina, per quæ nulla orbita veterum deflectit facili inclinatione ad Caſtaliam undam. Nunc, o veneranda Pales, nunc canendum eſt magna voce. Principio, jubeo ut oves comedant herbam in mollibus ſtabulis, donec æſtas frondoſa paullatim redit: & ut colonus tegat duram terram multa palea, & manipulis filicum, ſub ipſis ovibus; ne rigor frigidus terræ lædat pecus tenerum, & importet ſcabiem ac turpes podagras. Poſtea diſcedens ab ovibus, jubeo ut præbeat capris arbutos virides, & det aquam recens hauſtam; & ut ſtabula tuta a ventis, objiciantur ſoli hyemali, verſa ad meridiem: cum frigidus Aquarius jam demum occidit, & aquam emittit ſub extremum annum. Hæ quoque capræ non colendæ ſunt a nobis minore ſtudio, nec minor erit utilitas ex iis: etſi Mileſia vellera ovium, imbuta Tyria purpura, magno pretio vendantur. E capris ſoboles frequentior eſt, & largior abundantia lactis.* Quan-

N O T Æ.

286. *Hoc ſatis armentis. Superat, &c.*) II. PARS. *De cultu ovium & caprarum.* Præcepta continet quatuor. I. *De hyberna utriuſque gregis curatione*, v. 295. II. *De æſtiva utriuſque cura, & meridiana ac ſerotina paſtione*, v. 322. III. *De lanificio*, v. 384. IV. *De lactis proventu*, v. 394.

291. *Parnaſſi.*) De eo monte Phocidis, Ecl. 6. 29. Cujus in radicibus *Caſtalia* eſt, ſive fons Caſtalius, Muſis ſacer. De *Pale*, Dea pabuli, ſupra v. 1.

297. *Filicumque maniplis.*) Filix, Ital. *felce*, nota herba.

301. *Arbuta.*) Sunt proprie fructus arbuti: hic ſumuntur pro ipſa arbuto, Ital. *corbezzolo*: quæ arbor inter caprarum pabula numeratur a Colum. l. 7. *Ea ſunt arbutus, cytiſus agreſtis*, &c. Vide Ecl. 3. 82.

303. *Olim.*) Vulgo tempus ſignificat præteritum, aut futurum: aliquando præſens, aut indefinitum, ut hic, & Æn. 5. 125. *Quod tumidis ſubmerſum tunditur olim fluctibus.* Et alibi. Tunc autem ſignificat, *aliquando, ſæpe, denique*, &c.

304. *Extremoque irrorat Aquarius anno.*) Annum exprimit eum, qui a Martio menſe numerari incipit; & ſic deſinit in Januarium & Februarium: aquarius autem oritur Januario, cadit Februario menſe. *Aquarius*, dicitur Ganymedes Trois filius, quem Jupiter, aquila tranſvectum in cœlum, ſuis poculis præfecit: unde urnam habet, aquam fundentis ſitu: de eo, Æn. 5. 252.

306. *Mileſia, &c.*) Miletus urbs in finibus Ioniæ & Cariæ: lanarum proventu celebrata. De *Tyro & purpura*, G. 2. 506.

311. 312. *Incanaque menta Cinyphii, &c.*) *Incana* affirmat, augetque: ut Æn. 6. 809. Inca-



Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra,
Læta magis preſſis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, ſetaſque comantes,
Uſum in caſtrorum & miſeris velamina nautis.
Paſcuntur vero ſilvas, & ſumma Lycæi,
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.
Atque ipſæ memores redeunt in tecta, ſuoſque
Ducunt, & gravido ſuperant vix ubere limen.
Ergo omni ſtudio glaciem ventoſque nivales,
Quominus eſt illis curæ mortalis egeſtas,
Avertes: victumque feres, & virgea lætus
Pabula: nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero, Zephyris cum læta vocantibus æſtas,
In ſaltus utrumque gregem atque in paſcua mittes:
Luciferi primo cum ſidere, frigida rura
Carpamus: dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.
Inde, ubi quarta ſitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ;
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam:
Æſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut ſicubi nigrum

Ili-

*Quanto magis mulctrale ſpumaverit, uberibus exhauſtis, tanto copioſius lac fluet ex uberibus preſſis. Interea paſtores etiam ſecant barbas, & pilos canos, & ſetas longas hircorum Libycorum, ad uſus bellorum, & ad veſtes pauperum nautarum. Capræ autem comedunt arbores, & cacumina Lycæi, & rubos ſpinoſos, & dumos qui amant loca edita: & ipſæ meminerunt redire in ſtabula, & eo deducunt ſuos fœtus; & vix tranſiliunt limen, uberibus onuſtis lacte. Itaque omni cura defendes ipſas a frigore & ventis nivalibus; quo minus ipſæ provident mortali indigentiæ: portabiſque libens cibos & pabula e virgis. Nec claudes ipſis fœnile per totam hyemem. At vero cum grata æſtas imminebit, Zephyro invitante, tum induces utrumque pecus ovium & caprarum in ſaltus & in paſcua: ſub primum ortum Luciferi fac ut paſcantur campos ſubfrigidos: dum mane novum eſt, dum herbæ candidæ ſunt, & ros in teneris herbis jucundiſſimus eſt pecudibus. Deinde cum quarta diei hora induxerit ſitim, & cicadæ querulæ fatigabunt ſtridore ſuo arbores; jube ut greges circa puteos, aut circa profunda ſtagna aquam bibant currentem canalibus factis ex ilice. At ſub medium diem, jube ut quærant opacam vallem: ſi alicubi magna quercus Jovis antiqua firmitate porrigit ingentes ramos, aut ſi alicubi obſcura* nemo-

N O T Æ.

*Incanaque menta regis Romani*, Numæ, qui annos 80. natus deceſſit. *Tondent.*) Priſcianus ſumit paſſive pro *tondentur*; & *hirci*, accipit in nominativo: commodius tam active legetur; & *hirci*, in genitivo; ſuppreſſo nominativo, *paſtores*. *Cinyphii.*) Africani. Cinyps eſt Ptolomæo Africæ fluvius, prope Garamantes; ubi hirci ſunt villoſiſſimi.

313. *Uſum in caſtrorum, &c.*) Ex hircorum pilis cilicia texuntur: vel ad nautarum militumque veſtes, ſaccos, funes; vel etiam ad tegenda turrium tabulata, ne iis facile ignis, bellicis machinis impactus, adhæreſcat. Ita Varro, Philo, &c. De *Lycæo*, monte Arcadiæ, Ecl. 10. 15.

321. *Fœnilia.*) Loca in quibus fœnum includitur, non ſunt claudenda: id eſt, ex iis ſemper educendum eſt fœnum ad alendas capras. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5. De *Lucifero*, ſtella Veneris, Ecl. 6. 86.

327. *Quarta ſitim, &c.*) Horas inæquales intelligit, quæ diem quemlibet in duodecim partes dividunt, ab ortu Solis ad occaſum; & noctem quamlibet duodecim in partes. Quo ſenſu meridies *ſexta* hora eſt; *quarta* nonæ noſtræ reſpondet. De *cicadis*, *cicale* Ecl. 2. 13. De *arbuſtis*, Ecl. 1. 40.

330. *Ilignis.*) Ex ilice factis. *Ilex* arbor glandifera, *leccio*.

332. *Jovis quercus, &c.*) Quomodo ſacra ſit Jovi, Ecl. 7. 13. Monet Servius non eſſe mentem Virgilii, ut greges in ſacros lucos deducantur, quod nefas erat: ſed hic *quercum Jovis*, & *ſacram umbram*, generalia eſſe, non ſpecialia epitheta: quia generatim omnis quercus Jovi, & omne nemus Dianæ ſacratum eſt.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rurſus aquas, & paſcere rurſus
Solis ad occaſum: cum frigidus aera Veſper
Temperat, & ſaltus reficit jam roſcida Luna,
Litoraque halcyonem reſonant, & acanthida dumi.
Quid tibi paſtores Libyæ, quid paſcua verſu
Proſequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque, & totum ex ordine menſem
Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine ullis
Hoſpitiis: tantum campi jacet. Omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque
Armaque, Amyclæumque canem, Creſſamque pharetram.
Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Injuſto ſub faſce viam cum carpit, & hoſti
Ante exſpectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæoticaque unda,
Turbidus & torquens flaventes Iſter arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta ſub axem.
Illic clauſa tenent ſtabulis armenta: neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu late, ſeptemque aſſurgit in ulnas.

Sem-

*multis ilicibus ſilva explicat ſacram umbram. Poſtea jube ut famuli iterum dent illis dulcem potum & iterum ducant illos paſtum, ſub occaſum Solis; cum Veſper frigidus mitigat* calorem *aeris, & cum Luna humida reparat arbores, & cum litora perſtrepunt* voce *halcyonis, & ſpinæ cantu acanthidis. Cur tibi paſtores Numidiæ, cur paſcua verſu dicam, & pagos conſtantes paucis caſis? Sæpe grex paſcitur noctu diuque, & per totum ſpatium menſis; inceditque per longas ſolitudines, ſine ullis ſtabulis: tanto eſt vaſtitas camporum. Paſtor Numida trahit ſecum omnia, & domum, & larem, & arma, & canem Amyclæum, & pharetram Cretenſem. Non aliter ac fortis Romanus in patrio exercitu, cum ingreditur viam ſub graviori onere, & obſtat hoſti, caſtris ordine diſpoſitis, antequam exſpectetur. At non ſic fit, ubi ſunt Scythiæ gentes, & Mæotica palus, & Danubius turbidus volvens flavas arenas: & ubi Rhodope reflectitur tendens ad medium ſeptentrionem. Illic continent pecora clauſa in ſtabulis; nec ullæ apparent, aut herbæ in agris, aut frondes in arboribus: ſed terra jacet late deformata cumulis nivium, & alta glacie, & tumeſcit ad uſque ſeptem cubitos.*

Sem-

## N O T Æ.

336. *Veſper.*) Stella Veneris, Ecl. 6. 86. De *halcyone*, avi, ejuſque fabula, G. 1. 399. *Acanthis*, avis, Ital. *cardellino*.

339. *Libyæ.*) Libya generatim Africam ſignificat, G. 1. 241. Tamen hi paſtorum mores præcipue pertinent ad eam Africæ partem litoralem, quæ *Numidia* vocata eſt: cujus incolæ *Numidæ* vel *Nomades*, a νομὰ *paſtuum*; quia paſtioni pecorum addicti.

340. *Mapalia.*) Salluſtius. *Ædificia Numidarum, quæ mapalia illi vocant: oblonga, incurvis lateribus tecta: quaſi navium carinæ ſunt.* Ab his non ferè differunt *magalia*, de quibus Æn. 1. 425. *Miratur molem Æneas, magalia quondam*: niſi quod hæc vox primam habet longam, illa brevem.

344. 345. *Laremque.... Amyclæumque canem, &c.*) De *Laribus & Penatibus*, Æn. 2. 717. *Amyclæ*, urbs Laconiæ, celebris canum genere & venatu, de qua ſupra v. 89. *Creſſa*, e Creta, inſula Mediterranei maris, cujus incolæ ſagittandi induſtria memorabiles.

347. *Injuſto ſub faſce.*) Qui plus æquo gravis eſt. Sexaginta fuiſſe librarum a Vegetio memoratur. Quarum autem eſſet rerum, patet ex Cic. Tuſcul. l. 2. 16. *Qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre, ſi quid ad uſum velint: ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.*

347. 348. *Hoſti Ante exſpectatum, &c.*) Vulgo referunt *hoſti* ad *ſtat*, hoc ſenſu: *ſtat hoſti*, *obſtat hoſti*. Iidemque *ante exſpectatum*, vertunt, *antequam exſpectetur*, ut ſupra v. 206. *ante domandum*, *antequam domitur*. Quo exemplo dixit Silius, imitator Virgilii, l. 2. v. 31. *Dabitur tibi copia noſtri, ante exſpectatum*. Habent tamen exemplaria nonnulla *hoſtem*, non *hoſti*: atque ita legit Vegetius l. 1. de re milit. & interpretatur, *ante hoſtem exſpectatum*, id eſt, *ſperatum, optatum*: ut animoſam Romanorum audaciam notet.

349. *Scythiæ gentes, &c.*) De iis, Ecl. 1. 66. *Mæotica unda.*) Palus Mæotis, *mar bianco*, ultra pontum Euxinum, a quo per Cimmerium Boſphorum diſtinguitur; Tanaim fluvium excipiens. Primam habet ſyllabam brevem apud Ov. Triſt. 3. 12. 2. *Longior antiquis viſa Mæotis hyems.*



Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentes haud umquam diſcutit umbras:
Nec cum invectus equis altum petit æthera, nec cum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ:
Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.
Æraque diſſiliunt vulgo, veſteſque rigeſcunt
Indutæ, cæduntque ſecuribus humida vina,
Et totæ ſolidam in glaciem vertere lacunæ,
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non ſecius aere ningit:
Intereunt pecudes: ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, & ſummis vix cornibus exſtant.
Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis;
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ:
Sed fruſtra oppoſitum trudentes pectore montem
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, & magno læti clamore reportant.
Ipſi in defoſſis ſpecubus ſecura ſub alta
Otia agunt terra: congeſtaque robora, totaſque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.

Hic

*Semper eſt hyems, ſemper Cauri proflantes frigus. Præterea numquam Sol diſſipat umbras pallidas: nec quando conſcendens currum aſcendit in cœlum altum; nec quando lavat rubris aquis Oceani currum cadentem. Cruſtæ ſubitæ conſtringuntur in currenti fluvio: & unda nunc portat dorſo ferratas rotas; illa* quidem *ante excipiens latas naves, nunc* excipiens *plauſtra*. Vaſa *ærea paſſim franguntur, & veſtes indutæ congelantur; &* homines *rumpunt ſecuribus vina* prius *liquida, & totæ lacunæ convertunt ſe in duram glaciem, & gutta horrida dureſcit in barbis impexis. Interim non ſegnius nix cadit per totum aerem: moriuntur pecora: magna boum corpora ſtant circumdata nivibus: & cervi preſſo agmine torpent* ſub *novo onere, & vix eminent extremis cornibus.* Incolæ *non perſequuntur illos timidos immiſſis canibus, aut ullis laqueis, aut formidine pennarum rubrarum; ſed cominus feriunt ferro* eos, *dum propellunt pectore oppoſitum cumulum* nivis, *& occidunt* eos *alte rudentes, & læti referunt magno clamore.* Scythæ *ipſi ſecure* & *quiete vivunt in excavatis ſpeluncis, ſub profunda terra: & inferunt focis, injiciuntque flammis quercus accumulatas & ulmos integras.*

Illic

## N O T Æ.

Geographi annum die unica, unica item nocte conſtare, utraque ſemeſtri. Igitur hyperbolica eſt hæc deſcriptio, & *nullæ frondes*, *nullæ herbæ* ſunt, *raræ frondes & herbæ*. *Cauri*, venti inter ſeptentrionem & occaſum ſpirantes.

350. *Iſter.*) Danubius, de quo, G. 2. 497.

351. *Redit medium Rhodope, &c.*) Mons ille Thraciæ in orientem extenditur, ibique conjungitur cum Hæmo; tum inde abſcedens, ſeptentrionem verſus quaſi regreditur. De *axe*, ſeu polo ſeptentrionali, G. 1. 240.

355. *Septem...in ulnas.*) *Ulna*, a Græco ὠλένη eſt proprie *cubitus*; ſive ſpatium a flexu cubiti ad medii digiti partem extremam: atque ita hic ſumitur. Latius etiam interdum ſumitur pro ſpatio brachii utriuſque extenſi. Notandum autem hunc rigorem hyemis, noctiſque perpetuitatem, non convenire proprie Scythiæ & Mæoticæ regioni; ſed iis tantum partibus, quæ ad polum accedunt propius; ſub quo probant

359. *Rubro æquore.*) Non mari orientali, quod vulgo rubrum dicitur, & Erythræum; ſed occidentali, quod a colore decedentis ſolis rubeſcere videtur.

365. *Vertere lacunæ.*) Foſſæ, in quibus aquæ pluviæ, aliæque colliguntur. *Vertere*: verſæ ſunt, verterunt ſe: ut alibi paſſim.

366. *Stiria.*) Gutta, diminutivum eſt *ſtilla*.

367. *Non ſecius.*) Non ſegnius, G. 2. 277.

372. *Puniceæ formidine pennæ.*) *Formido*, linea, aut funiculus erat, cui plumæ implicabantur variis tinctæ coloribus, ad feras terrendas, ut in retia agerentur. De colore *puniceo*, ſplendide rubente, Ecl. 5. 17.

374. *Rudentes.*) Hanc vocem tribuit hic *cer-*

T 2 *vis,*

Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.
Talis Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni
Gens effræna virum Riphæo tunditur Euro:
Et pecudum fulvis velantur corpora ſetis.
Si tibi lanicium curæ: primum aſpera ſilva,
Lappæque tribulique abſint: fuge pabula læta:
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries ſit candidus ipſe,
Nigra ſubeſt udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum; plenoque alium circumſpice campo.
Munere ſic niveo lanæ, ſi credere dignum eſt,
Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.
At cui lactis amor, cytiſum, lotoſque frequentes
Ipſe manu, ſalſaſque ferat præſepibus herbas.
Hinc & amant fluvios magis, & magis ubera tendunt,
Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.
Multi jam excretos prohibent a matribus hœdos,
Primaque ferratis præfigunt ora capiſtris.

400 Quod

*Illic traducunt noctem ludendo, & imitantur vini potum fermento & baccis acidis. Sic genus hominum indocile, ſuppoſitum Boreali ſeptentrioni, perflatur Riphæo vento: & tegitur circa corpora fulvis villis animalium. Si ſtudes lanæ: primo ſint procul ſilvæ ſpinoſæ, & lappæ, & tribuli: fuge pabula nimis pinguia, & ſtatim elige greges teneris pilis candidos. Etſi autem aries ipſe ſit candidus, cui lingua ſolum nigra eſt ſub humido palato, illum rejice; ne denigret maculis fuſcis vellera fœtuum: & elige alium in campo pleno ovium. Sic Pan Deus Arcadiæ, ſi fas eſt credere, decepit te, o Luna, captam dono niveæ lanæ, invitans te in altam ſilvam: nec tu aſpernata es invitantem. At qui ſtudet lacti, ille manu inferat in præſepia cytiſum, & copioſas lotos, & ſalſas herbas: inde magis appetunt potum, & magis implent mammas, & relinquunt in lacte ſecretum ſaporem ſalis. Multi hœdos jam ſeparatos arcent a matribus, cingendo extremum os loris ferratis.*

*Quod*

## N O T Æ.

vis, Æn. 7. 16. *Leonibus*, Æn. 8. 248. *Caco ſemiferi*, Perſius Sat. 3. 9. *Aſino*: ſed Perſius primam producit, quam corripit Virgilius: *Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas*.

380. *Fermento, atque acidis ... ſorbis.*) Deſignat duplicem ſpeciem liquoris, qui vini defectum ſupplet in frigidioribus plagis. Primus fit *fermento*, id eſt, fermentatione hordei, tritici, avenæ: cum ſcilicet certo quodam calore medicata grana turgeſcunt, & aceſcunt; qui duo ſunt effectus fermenti: quod ideo ſic appellatur, a *ferveo*, quaſi *fervimentum*: & ſic fere cereviſia fit, Ital. *birra*. Alter liquor exprimitur e baccis fructibuſque acidioribus contuſis, qualia ſunt poma, pyra, corna, ſorba.

381. *Hyperboreo ſeptem, &c.*) De nomine *hyperboreo*, ſupra v. 199. De nomine *ſeptentrionum* variæ ſunt ſententiæ: probabilior illa, quæ Varronis eſt, ita dici a *bobus*, qui *teriones* olim vocati ſunt, quia in aratione terram terunt. Signum enim illud Boreale, quod *urſam majorem* appellamus, ruſtici antiquitus *plauſtrum majus* appellavere: ob ſeptem ſtellas, in eo maxime conſpicuas, & in plauſtri, aut junctorum boum formam diſpoſitas. Vicinumque ſignum dixerunt *Booten*: quia boves illos, ſive plauſtrum, præ ſe agere videtur.

382. *Riphæo Euro.*) De *Riphæis* montibus Moſcoviæ, valde ſeptentrionalibus, G. 1. 240. *Eurus*, ventus eſt orientalis; iiſque montibus ingruit, qua parte vergunt ad orientem: neque enim tota illa montium compages recto ordine ad polum tendit, ſed longe lateque porrigitur.

385. *Lappæque, tribulique, &c.*) *Lappa*, Ital. *lappola*; *tribulus*, herba e carduorum genere, Ital. *tribolo*: de iis jam G. 1. 153.

*Fuge pabula læta.*) Quia ſuccus omnis ex hoc cibo in adipem abit, non in lanam.

388. *Nigra ſubeſt, &c.*) Plinius l. 8. 47. *Arietum maxime ſpectantur ora; quia cujus coloris ſub lingua habuere venas, ejus & lanicium eſt in fœtu: variumque, ſi plures fuere.*

392. *Pan Deus, &c.*) De *Pane* Eclog. 2. 31. Macrobius fabulam teſtatur ſumptam e Nicandro, qui Georgicorum antiquus ſcriptor fuit. Ita narrat Probus, ut velit Pana, amore Lunæ percitum, ei mediam gregis ſui partem muneris loco obtuliſſe; hanc elegiſſe oves candidiſſimas: atque ita deceptam fuiſſe, quod eſſet pars illa deterior. Aliter alii: nempe Pana

na



Quod ſurgente die mulſere horiſque diurnis,
Nocte premunt: quod jam tenebris & ſole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida paſtor,
Aut parco ſale contingunt, hyemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed una
Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum
Paſce ſero pingui: numquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſuſque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam curſu timidos agitabis onagros;
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulſos ſilveſtribus apros
Latratu turbabis agens, monteſque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Sæpe ſub immotis præſepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit;
Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & umbræ,
Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus,
Fovit humum: cape ſaxa manu, cape robora, paſtor,

Tol-

*Quod expreſſerunt* lactis *ſub ortum diei, & per horas diei; id coagulant per noctem: quod ex*preſſerunt *ſub noctem, & Sole occidente, id paſtor ferens in caniſtris circa lucem vadit in urbem: aut condiunt moderato ſale, & reſervant in hyemem. Nec tibi ultima ſit cura canum: ſed ſimul ale ſero pingui celeres canes Spartæ, & fortes Moloſſos. Illis cuſtodientibus, numquam timebis ſtabulis nocturnum latronem, aut incurſiones luporum, aut inquietos Hiſpanos a tergo* ingruentes. *Sæpe etiam perſequeris curſu pavidos onagros; urgebiſque canibus leporem, & canibus damas. Sæpe inſequens exturbabis latratu apros ejectos e cubilibus ſilveſtribus, & per montes altos impelles clamoribus magnum cervum in retia. Diſce etiam urere in ſtabulis cedrum odoratam, & fugare galbaneo odore pernicioſos chelydros. Sæpe, vel vipera tactu noxia latuit ſub præſepibus male purgatis, & territa fugit lucem; vel coluber, peſtis infeſta bolus, ſolitus ſubire tecta atque umbracula, & infigere venenum pecori, incubuit terræ; cape manu lapides, cape fuſtes, o paſtor:*

*& tol-*

## N O T Æ.

na ſe in arietem candidiſſimum transformaſſe, Lunamque formæ candore deceptam, ac ſequentem abduxiſſe in ſilvas ac vitiaſſe.

394. *Cytiſum, lotoſque.*) De *Cytiſo*, Ecl. 1. 79. *De loto*, G. 2. 84.

399. *Præfigunt ora capiſtris.*) Ut matrum ubera, cum appetunt, pungant, ab iiſque repellantur.

402. *Calathis.*) Caniſtris e vimine. Sunt etiam pocula vinaria, Ecl. 5. 71.

404. *Nec tibi cura canum, &c.*) III. PARS. *De cultura canum.* Præceptum unicum de ipſorum cibo: quem, *ſerum*, ſive aquam lactis eſſe jubet; idque vocat *pingue*, quia ejus uſus inducit pinguedinem.

405. *Veloces Spartæ, &c.*) *Sparta* ſive *Lacedæmon*, nobiliſſima totius Peloponneſi urbs, cujus legiſlator Lycurgus fuit. *Moloſſia*, Epiri regio, ſic dicta a Moloſſo, Pyrrhi Epiri regis, & Andromaches Hectoris viduæ filio, Æn. 3. 292. Spartani canes iis reſpondent, quos dicimus *levrieri*: Moloſſi iis, quos dicimus *alani*.

408. *Iberos.*) Iberi rapinis aſſueti memorantur a Juſtino l. 44. aliiſque ſcriptoribus: iidem ſunt, qui & Hiſpani; ſive id nominis habuerint ab Ibero, *Ebro*, hujus oræ nobili flumine; ſive ab Iberis Aſiæ populis, inter Colchidem & Albaniam ſitis, unde commigraſſe dicuntur.

409. *Onagros*) Silveſtres aſinos.

414. *Diſce &, &c.*) IV. PARS. *De rebus pecori infeſtis*: Præcepta continet quatuor. I. Eſt *De fugandis ſerpentibus, vel odorum ſuffitu, vel ſaxis, vel fuſtibus*, v. 414. II. *De ſcabiei cauſis, nempe imbre, frigore, illoto ſudore, ſpinarum vulneribus: deque ejus remediis, lotione, unctione, & ſectione ulceris*, v. 444. III. *De febri, ejuſque remedio, nempe venæ apertione*, v. 457. IV. *De peſte ejuſque effectis latiſſime*, v. 474.

415. *Galbaneoque, &c.*) *Galbanum*, ſuccus eſt, gummi aut thuris modo expreſſus e ferula, ſive narthece: cujus nidore ſerpentes fugantur, ex Plin. l. 12. 25. *Chelydrus*, ſerpentis ſpecies, de quo G. 2. 214.

417. *Vipera.* Serpentis ſpecies; ſic dicta, quaſi *vivipara*; quia ex Ariſtotele Hiſt. animal. l. 1. 6. cum ceteræ ſerpentes ova pariant, una vipera vivum animal parit.

423. *Ag-*

Tollentemque minas & ſibila colla tumentem
Dejice. Jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardoſque trahit ſinus ultimus orbes.
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squamea convolvens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus Auſtris,
Stagna colit, ripiſque habitans hic piſcibus atram
Improbus ingluviem, raniſque loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens
Sævit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.
Ne mihi tum molles ſub dio carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas:
Cum poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens
Arduus ad Solem, & linguis micat ore triſulcis.
Morborum quoque te cauſas & ſigna docebo.
Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.

445 Dul-

*& tollentem minas ac tumentem ſibilanti collo deturba: jamque fugiens occuluit profunde timidum caput, cum compago media* corporis, *& motus extremæ caudæ abrumpitur, & extrema curvatura trahit lentas ſpiras. Eſt etiam malus ille ſerpens in ſilvis Cantabriæ*, *contorquens dorſum ſquamoſum erecto pectore, & magnis maculis notatus* ſub *longa alvo. Qui, quandiu aliqui fluvii erumpunt e fontibus, & quandiu terra humida eſt*, propter *ver udum, & Auſtros imbriferos: amat ſtagna, & degens in ripis illic avidus implet fœdam gulam piſcibus & ranis clamoſis. Poſtquam aquæ exſiccatæ* ſunt, *& terræ hiant calore, emergit in ſiccam terram. & vibrans oculos ignitos, & ſiti exaſperatus, atque impatiens ardoris, furit per agros. Ne mihi tum veniat* in mentem *indulgere dulci ſomno ſub aere, nec jacere inter herbas in clivo nemoris: quando ille renovatus depoſita pelle, & juventute reſplendens, aut relinquens in latebris fœtus vel ova, repit erectus ad Solem, & vibrat linguam trifidam. Docebo te etiam cauſas & indicia morborum. Fœda ſcabies corripit oves, cum frigida pluvia profunde penetravit ad vivum, & hyems horrens alba glacie; vel quando ſudor hæſit*, nec *deterſus eſt* ovibus, *poſt tonſuram, &* quando *ſpinæ aſperæ læſerunt* earum *corpora.* Præ-

## N O T Æ.

423. *Agmina caudæ.*) Agmen de ſerpente dicitur, quia corporis pars poſt partem ſuccedit, atque *agitur*; inſtar exercitus agminatim procedentis. Sic tribuitur pluviæ, G. 1. 322. *Cælo venit agmen aquarum*: quia gutta poſt guttam cadit. Sic tribuitur fluvio, Æn. 2. 782. *Leni fluit agmine Tybris*: quia fluctus poſt fluctum volvitur.

425. *Eſt etiam ille, &c.*) *Cherſydrum* ſignificat, eumque deſcribit e Nicandro: nomen ejus a χέρσος *terra* & ὕδωρ *aqua*, quia in terra & aquis vivit. Ex Solino c. 8. frequentiſſima eſt cherſydris *Calabria*, extrema pars Italiæ meridiem verſus.

429. *Auſtris.*) A meridie flantibus, Ecl. 2. 58.

431. *Ingluviem.*) Sinus eſt gutturis; ſive pellis cava, qua cibus primo ingeſtus, & adhuc indigeſtus continetur.

435. *Sub dio.*) Sub divo, *ſub Jove frigido*, inquit Horat. Od. 1. 1. 25. ſub cœlo & aere: quia Jupiter pro aere ſumitur; vide G. 2. 325.

436. *Dorſo.*) Vel *dorſo nemoris*, id eſt, clivo & colle nemoroſo, qui in dorſum aſſurgit. Vel, ut vult Mancinellus, *dorſo jacuiſſe*, id eſt reſupinum jacuiſſe.

437. *Cum poſitis novus exuviis, &c.*) Plinius l. 8. 27. *Anguis hiberno ſitu membrana corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſque vernat. Exuit autem a capite primum, &c.* Juxta alios pellem exuit, per arcta petrarum foramina tranſeundo.

438. *Catulos aut ova, &c.*) *Catuli*, proprie ſunt canum fœtus; tranſlative, quorumlibet animalium. Videturque dubitare Virgilius, ſitne cherſydrus, *oviparus*, an *viviparus*, quemadmodum de vipera mox diximus. Probabilius oviparus eſt; & hic, *catuli*, ſignificant fœtus ex ovis egreſſos.

439. *Lin-*



Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magiſtri
Perfundunt, udiſque aries in gurgite villis
Merſatur, miſſuſque ſecundo defluit amni:
Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca,
Et ſpumas miſcent argenti, vivaque ſulphura,
Idæaſque pices, & pingues unguine ceras,
Scillamque, helleboroſque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.
Quin etiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa
Cum furit, atque artus depaſcitur arida febris,
Profuit incenſos æſtus avertere, & inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam,
Biſaltæ quo more ſolent, acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, atque in deſerta Getarum,
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.
Quam procul, aut molli ſuccedere ſæpius umbræ
Videris, aut ſummas carpentem ignavius herbas,
Extremamque ſequi, aut medio procumbere campo
Paſcentem, & ſeræ ſolam decedere nocti;

Con-

*Propterea paſtores lavant aquis dulcibus totum gregem, & aries humido vellere demergitur in fluvium, & merſus rapitur aqua profluente: aut ungunt acerba amurca corpus tonſum, & miſcent ſpumam argenti, & ſulphur vivum, & picem Idæam, & ceram pinguem unguento, & ſcillam, & graves helleboros, & nigrum bitumen. Nulla tamen eſt opportunitas magis commoda* in his *malis, quam ſi quis poſſit ſecare ferro extremam oram ulceris*: nam *malum creſcit & durat, dum tegitur; quamdiu paſtor recuſat admovere vulneribus manum medicam, & otiatur, petens a Diis ſucceſſum meliorem. Præterea, quando dolor penetrans in oſſa intima ovium furit, & febris calida abſumit corpus, prodeſt expellere calorem inflammatum, & inter extremas* ungulas *pedis aperire venam*, ex qua *ſanguis exſilit: quomodo ſolent* aperire *Biſaltæ, & ſævus Gelonus, cum fugit in Rhodopen atque in deſerta Getarum, &* cum *bibit lac coagulatum cum ſanguine equorum. Quam* ovem *procul videris, aut quærere ſæpius dulcem umbram, aut mandere negligentius ſummas herbas, aut ultimam incedere, aut reſidere in medio campo inter paſcendum, & ſolam abire nocte* jam *provecta*; hujus

## N O T Æ.

439. *Linguis triſulcis.*) Ariſtoteles de part. animal. l. 2. 17. ſerpentum linguam agnoſcit longam ac bifidam; poetæ trifidam: ſive quod in modum cuſpidis conformata triplex habeat acumen; ſive quod ita vibretur celeriter, ut non tantum trifida, ſed triplex etiam appareat: unde Ovid. Met. 3. 39. *Treſque micant linguæ.*

448. 449. 450. *&c. Amurca.*) Fæx olivarum, vel ſedimentum olei. *Spuma argenti*, aliter *lithargyrium*, quæ materies in argenti fodinis reperitur. Abramus ex Calpurnii Ecl. 5. de vivo argento explicat. *Pix Idæa*, id eſt optima, qualis eſt in Ida, ſive Cretæ inſula, ſive Troadis monte, duplex enim eſt. *Scilla* vel *ſquilla*, bulbi genus. *Helleborus* vel *helleborum*, ſive *veratrum*, *grave* dicitur, quia olim noxium habitum eſt ac *terribile. Poſtea tam promiſcuum, ut plerique ſtudiorum gratia, ad providenda acrius, quæ commentabantur, ſæpius ſumptitaverint.* Plin. lib. 25. 5. Purgat, juxta eundem, vomitione, & ſternutamento. *Bitumen* limus eſt, cujus natura vicina ſulphuri. *Vivaque ſulphura*; verſus dactylicus, cujus extrema ſyllaba cum prima verſus conſequentis eliditur. Sic G. 2. 69. *Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida.*

460. *Ima ferire pedis, &c.*) Jubet Columella l. 7. 5. *De talo, vel inter duas ungulas, ſanguinem emitti.*

461. *Biſaltæ quo more, &c.*) Mos ille tribuebatur, non *Biſaltis* dumtaxat, Thraciæ vel Macedoniæ populis, neque dumtaxat *Gelonis* populis Scythiæ, vel Thraciæ; ſed generatim Scythis, Sarmatis, Getis, & Maſſagetis omnibus. Ita Plinius, Claudianus &c.

463. *Lac.*) Vel ovium, vel equorum, cujus item apud eos uſus fuit. De *Rhodope*, *Getis*, & *Gelonis*, G. 2. 115.

472. To-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Continuo ferro culpam compeſce, priuſquam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
Non tam creber, agens hyemem, ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum peſtes: nec ſingula morbi
Corpora corripiunt; ſed tota æſtiva repente
Spemque, gregemque ſimul, cunctamque ob origine gentem.
Tum ſciat, aerias Alpes, & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis, & Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque poſt tanto videat, deſertaque regna
Paſtorum, & longe ſaltus lateque vacantes.
Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum;
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex, ſed ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus,
Ruſſus abundabat fluidus liquor; omniaque in ſe
Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.
Sæpe in honore Deum medio ſtans hoſtia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros.
Aut ſi quam ferro mactaverat ante ſacerdos,
Inde neque impoſitis ardent altaria fibris,
Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates:
Ac vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri,
Summaque jejuna ſanie infuſcatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præſepia reddunt.

Hinc

hujus *morbum coerce ſtatim ferro, antequam ſæva contagio gliſcat in turbam*, quæ ſibi *non cavet. Turbo tempeſtatem ferens non ingruit tam denſus, quam frequentes ſunt pecudum morbi: neque morbi invadunt ſingula corpora, ſed tota æſtiva ſtatim, & fœtus, & gregem, & totam gentem ab ipſa origine*. Tum hoc *perſuaſum habebit, quiſquis nunc etiam videbit, poſt tantum tempus, Alpes excelſas, & Norica caſtella in collibus, & agros Timavi* fluvii *Japidiæ, & regna paſtorum deſerta, & ſilvas longe lateque vacuas. Hic olim dira peſtilentia orta eſt corruptione aeris, & inflammata eſt toto ardore autumni, & interfecit omne genus pecudum, & omne* genus *ferarum, & vitiavit aquas, & fœdavit pabula veneno. Nec modus mortis erat vulgaris: ſed poſtquam ſitis fervida penetrans in omnes venas contraxerat miſera membra, tum humor tabidus exudabat, & convertebat in ſe paullatim* medullam *omnium oſſium putrefactam morbo. Sæpe in medio ſacrificio Deorum victima ſtans ante aram, dum infula lanea alligatur niveis tæniis, cecidit moribunda inter miniſtros ſtupefactos. Aut ſi ſacerdos prius occiderat aliquam cultro, ex ea neque viſcera impoſita aris concipiunt ignem, neque aruſpex interrogatus poteſt reddere reſponſa: & cultri ſuffixi vix colorantur ſanguine, & ſuperficies arenæ nigreſcit exigua ſanie. Præterea vituli moriuntur in pratis fertilibus, & exhalant dulces animas in ſtabulis plenis.*

Præ-

N O T Æ.

472. *Tota æſtiva.*) *Æſtiva & hyberna*, loca ſunt ubi milites per æſtatem & hyemem degunt: idque a militibus tranſtulit ad greges, qui æſtivis noſtibus non continentur in ſtabulis, ſed in paſcuis ſub dio.

474. *Tum ſciat, aerias Alpes, &c.*) V. PARS, & ultima, ſive Epilogus. *Deſcriptio ſæviſſimæ peſtis*, quæ tractum omnem Alpinum vaſtaverat, regionem olim paſcuis & pecore feraciſſimam: ac licet multo ante Virgilii tempore ſæviiſſet, illius adhuc veſtigia tum reſtabant. *Alpes*, Montes, qui Italiam a Gallia & Germania diſterminant, Eclog. 10. 47. *Norici.*) Natio Germanica, in limite Alpium & ultra Alpes: nunc Bavaria, fortaſſe & Auſtria.

475. *Timavus.*) Fluvius Carnorum in ea Venetorum ditione, quæ Forojulienſis dicitur, *Friuli*. Hic olim *Japides*, gens Illyrica, Straboni *Japodes*, Ecl. 8. 6.

481. *Tabo.*) *Tabum*, diminuta vox a *tabes*: quæ liquefactio eſt, rei alicujus ſoliditatem ſolvens: vulgo ſumitur *tabum* pro corrupto ſanguine, nec multum differt a *ſanie*; hic tamen pro corruptione ſumitur. Oritur a Dorica voce τακω pro τηκω *liquefacio*.

482. *Simplex.*) Non facilis, ex uſu & ordine naturali, ſed violenta ac difficilis. Citatque Servius illud e Salluſtio: *Ne ſimplici quidem morte moriebantur.*





Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit obeſis.
Labitur infelix ſtudiorum atque immemor herbæ
Victor equus, fonteſque avertitur, & pede terram
Crebra ferit: demiſſæ aures: incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus.
Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis: imaque longo
Ilia ſingultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, & obſeſſas fauces premit aſpera lingua.
Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenæos: ea viſa ſalus morientibus una.
Mox erat hoc ipſum exitio: furiiſque refecti
Ardebant: ipſique ſuos jam morte ſub ægra
(Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum!)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & mixtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremoſque ciet gemitus. It triſtis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum, non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urget inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.

Quid

*Præterea rabies oritur blandis canibus: & tuſſis anhela concutit porcos ægros, eoſque ſtrangulat tumente gutture. Equus* aſſuetus *victoriæ cadit, miſer* poſt tot nobilia *exercitia, cibique negligens: & abhorret a potu, & crebro percutit terram ungulis: aures dejectæ* ſunt: *ibidem* eſt *dubius ſudor, & ille quidem frigidus* in iis qui mox *morituri ſunt: pellis rigeſcit, & dura ad tactum reſiſtit tangenti. Primis diebus ante mortem dant hæc indicia. Si vero progreſſu* temporis *morbus incipit augeri: tum vero oculi inflammantur; & anhelitus educitur ab intimo pectore, interdum impeditur gemitu: & tendunt ima ilia longo ſuſpirio, ſanguis niger fluit e naribus, & lingua ſicca hæret gutturi obſtricto. Utile fuit* primo *immittere* in os *liquorem Bacchicum inſinuato cornu: hoc ſolum viſum remedium morientibus. Deinde hoc ipſum pernicioſum erat: &* vino *corroborati inflammabantur furore: & jam, non longe ab ægra morte, lacerabant dentibus* carne *nudatis ſua membra diſcerpta. Dii reſervate meliora piis, & illam rabiem hoſtibus! Ecce autem taurus anhelans cadit ſub ferreo vomere, & ejicit ex ore ſanguinem miſtum ſpuma, trahitque ultimum ſpiritum. Arator triſtis incedit, ſolvens taurum dolentem fratris morte, & relinquit aratrum fixum in medio labore. Non umbræ profundarum ſilvarum, non jucundæ poſſunt herbæ recreare animos* taurorum, *non amnis clarior electro, qui fluens inter ſaxa percurrit campum: at ima latera flacceſcunt, & ſtupor tenet oculos eorum immobiles, & cervix vergit ad terram deprimente pondere.*

*Quid*

N O T Æ.

487. *Lanea dum, &c.*) Infula, ut ex Paſchalio, aliiſque cõſtat, fuit latior faſcia, lanea & alba: caput non quidem totum operiens, ſed tempora inſtar diadematis cingens: unde vitta ſeu tænia pendebat. Hac victimæ, ſacerdotes, vates coronabantur. *Lanea* quidẽ, quia lanæ magnus in ſacris uſus fuit: vide Ec. 8. 64. Æ. 4. 459.

497. *Faucibus angit obeſis.*) Bene *angit*; quia *angina* morbus eſt fauces occupans: *ſchinanzia*. *Obeſis*) vel natura, vel morbo.

498. *Infelix ſtudiorum.*) Pari forma dixit Virgilius G. 4. 491. *Victus animi*. Æn. 5. 73. *Ævi maturus*. Æn. 11. 73. *Læta laborum Dido*. Æn. 12. 416. *Fortunatus laborum*, &c.

500. *Incertus Sudor*) Vel cujus cauſa incerta eſt, cũ nulla præceſſerit fatigatio, vel potius varius, inſtabilis, qui modo oritur, modo deſinit.

510. *Lenæos*) Bacchicos. Sic dictus Bacchus ἀπὸ ληνοῦ *torcular*. G. 2. 4.

522. *Electro.*) Electrum puriſſime fulget: ſive pro *ſuccino* ſumatur; *ambra*: de quo Ecl. 8. 54. ſive pro metallo, de quo Æn. 8. 402.

Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertiſſe graves? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ:
Frondibus & victu paſcuntur ſimplicis herbæ:
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina, nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre raſtris terram rimantur, & ipſis
Unguibus infodiunt fruges, monteſque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat: timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes & circum tecta vagantur.
Jam maris immenſi prolem, & genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit & curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquamis aſtantibus hydri.

Ipſis

*Quid proſunt illis labor aut opera* collata homini. *Quid* prodeſt *araſſe vomere terras difficiles? Tamen, non dona Bacchi e Maſſico* monte, *non epulæ conſervatæ nocuerunt* illis. *Aluntur frondibus & pabulo herbæ communis: potius ſunt rivi puri, & amnes agitati curſu: nec curæ excutiunt ſomnum ſalutarem. Aiunt nullo alio tempore in illis plagis boves deſideratas* fuiſſe *ad ſacra Junonis: & currus tractos* fuiſſe *ad alta templa* ab *uris inæqualibus.* Itaque agricolæ *difficile proſcindunt terram raſtris, & ipſis unguibus defodiunt ſemina, & obnixo collo trahunt per altos montes plauſtra ſtridentia. Lupus non meditatur inſidias circa ovile, nec errat noctu circa greges: illum aſperior cura ſubigit; timidi damæ & fugaces cervi jam vagantur, & inter canes, & circa domos. Jam in ultimo litore fluctus lavat progeniem vaſti maris, & omne genus piſcium, veluti corpora naufraga, & vituli* marini *præter ſolitum fugiunt in fluvios. Moritur quoque vipera, fruſtra tecta cavis latibulis, & hydri conterriti ſquamis arrectis.*

*Aer*

N O T Æ.

526\. *Maſſica Bacchi.* ) Vina e Maſſico, monte Campaniæ. De *Baccho*, Ecl. 5. 30. 69.

531\. *Tempore non alio, &c.* ) Volunt plerique omnes poſt Serviū, alluſum hic eſſe ad Hiſtoriam, quæ ab Herodoto, Plutarcho, Valerio refertur. Sic autē a Cicerone Tuſcul. 1. 47. *Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur. Nota fabula eſt. Cum enim illam ad ſolemne & ſtatum* Junonis *ſacrificium curru vehi jus eſſet, morarenturque jumenta: tunc juvenes ii, veſte poſita, ad jugum acceſſerunt. Ita ſacerdos advecta in fanum, cum currus ductus eſſet a filiis, precata a Dea dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſet a Deo: poſt epulatos cum matre adoleſcentes ſomno ſe dediſſe, mane inventos eſſe mortuos.* Sed id quoquo modo Servius detorquear, extra rem omnino eſt. Illud unum inde cognoſcimus, Junonis ſacerdotes, curru invectas, ad templa proceſſiſſe. Ego ſuſpicor adhibitos currus ad ipſa ſacra, ſive ſimulacra Junonis, ſive alia quælibet ſacrificii inſtrumenta convectanda: quemadmodum Cereris ſimulacrum plauſtris quoque vehebatur. Juvat conjecturam tarditas boum; at Junonis ſacra lente admodum & graviter ſolita circumferri, notum eſt ex Horatio, Sat. 1. 3. 10. *Perſæpe velut qui Junonis ſacra ferret.* Ex Athenæo, apud quem adagii loco eſt, Ἥρας βαδίζειν, *Junonio greſſu incedere.* De *Junone*, Æn. 1. 19.

532\. *Uris imparibus.* ) Cum boves manſueti deeſſent, feri jungebantur, iique inæquales, quod in re curuli difforme eſt. De *uris*, ſive bobus ſilveſtribus, G. 2. 374.

533\. *Donaria.* ) Aliquando *dona* ſignificant: hic *templa*, ſive loca in quibus dona ſervantur: Apulejus l. 9. *Ibi donarium Deæ perquam opulentum.*

534\. *Raſtris.* ) De iis, G. 1. 160.

536\. *Plauſtra.* ) De iis, Georg. 1. 163.

543\. *Fugiunt in flumina phocæ.* ) Marinæ peſtilentiæ metu, ad flumina præter conſuetudinem fugiunt. Plin. l. 9. 7. *Vituli marini, quos vocant phocas, ſpirant ac dormiunt in terra: item teſtudines.* Quare vitæ ſunt ancipitis, & in utroque elemento vivunt.

545\. *Vipera.* ) Plinius l. 10. 62. *Terreſtrium ſola intra ſe parit ova unius coloris, & mollia, ut piſces. Tertia die intra uterum catulos ex-*

*clu-*



Ipſis eſt aer avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Præterea nec jam mutari pabula refert,
Quæſitæque nocent artes: ceſſere magiſtri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.
Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone: morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,
Arenteſque ſonant ripæ, colleſque ſupini.
Jamque catervatim dat ſtragem, atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat coriis uſus: nec viſcera quiſquam
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma:
Nec tondere quidem morbo illuvieque pereſa
Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verum etiam inviſos ſi quis tentarat amictus;
Ardentes papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus ſacer ignis edebat.

*Aer eſt perniciosus ipſis avibus, & illæ cadentes amittunt vitam inter altas nubes. Præterea nec jam prodeſt mutare pabula: & medicinæ adhibitæ noxiæ ſunt. Receſſere* medicinæ *principes, Chiron* filius *Philyræ, & Melampus* filius *Amythaonis. Pallida Tiſiphone furit, emiſſa in lucem e nocte inferna; præ ſe ducit morbos & metum, & aſſurgens in dies, extollit altius caput inſatiabile. Fluvii, & ſiccæ ripæ, & colles curvi fremunt balatu ovium & frequentibus mugitibus. Jamque* Tiſiphone *edit ſtrages turmatim, & accumulat in ipſis ſtabulis cadavera diffluentia fœda tabe: donec in mentem venit* populis *ſepelire ea terra, & occultare in foveis. Nam neque* ulla *erat utilitas in coriis: nec quiſquam poteſt abluere undis, aut purgare igne viſcera:* ac *ne tondere quidem villos corroſos lue & ſanie: nec poſſunt tangere telas putridas.* Sed etiam *ſi quis attrectaverat veſtes* ejuſmodi *odioſas, ardentes puſtulæ, & fœdus ſudor adhærebat membris graveolentibus, & ſacer ignis abſumebat deinde membra* fœdata *ejus, qui vel brevi temporis ſpatio tardabat* eas dimittere.

N O T Æ.

*cludit: deinde ſingulos diebus ſingulis parit, viginti fere numero. Itaque ceteræ tarditatis impatientes, perrumpunt latera occiſa parente.* Ita fere Ariſtoteles, Nicander, Plutarchus, &c. Propterea-que Romæ parricidæ ſubmergebantur inſuti culeo cum vipera, cane, gallo & ſimilia. Ælianus tamen, & alii, ſupereſſe partui ſuo viperam tradunt: idque verius eſſe nunc fere conſtat.

*Hydri.* ) Plinius l. 28. 4. *In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua vivit: hydri vocantur, nulli ſerpentium inferiores veneno.* Ab ὕδωρ *aqua.*

550\. *Phillyrides Chiron, &c.* ) Id eſt, præſtantiſſimi medici, quales olim fuere *Chiron* & *Melampus. Chiron* fuit Centaurus, Saturni & Phillyræ filius, ut diximus ſupra v. 92. Qui cum creviſſet, abiit in ſilvas, ibique herbarum viribus cognitis ſapientiſſimus evaſit medicus: a Peleo, Nerei genero: & Thetide, Pelei uxore, ad inſtruendum Achillem electus. Denique cum eſſet graviter vulneratus fortuito caſu Herculeæ ſagittæ, Lernæo ſanguine infectæ, doloris impatientia oravit ſuperos, ut ſibi, quamquam immortali, mori liceret: quo conceſſo, ab iis in cœlum translatus eſt, & in Zodiaco locatus, ubi nunc *Sagittarius* vocatur. *Melampus*, Amythaonis & Dorippes filius, dicitur augurio claruiſſe, & animalium omniū atque avium percepiſſe voces. Filias Prœti furiis agitatas ad ſanam mentem reſtituit, Ecl. 6. 48. Ob medicinæ ſcientiam, templo, feſtis & ſacrificiis honoratus. Pauſan. l. 1.

551\. *Stygiis.* ) *Styx*, fons Arcadiæ eſt, fluvius habitus inferorum, & a ſuperis tanta veneratione cultus, ut per illum jurarent; &, ſi juramentum violarent, divinitate uſuque nectaris per centum annos privarentur. Hic autem honos ei conceſſus, quia ejus filiæ Victoria, Vis, Robur, Zelus, Diis opem adverſus Titanas tulerant, ut eſt apud Heſiodum in Theog. Nomen a στυγέω *odi.*

552\. *Tiſiphone.* ) Una e Furiis, de quibus G. 1. 278.

566\. *Sacer ignis.* ) Male Servius interpretatur de *ſacro morbo*, qui *epilepſia* eſt. Reliqui de eo qui dicitur vulgo, *ignis ſancti Antonii*; Græcis ἐρυσίπελας; Plinio, *Zoſter & circinus*; & a Lucretio ita deſcribitur l. 6. *Exſiſtit ſacer ignis & urit corpore ſerpens, quamcumque arripuit partem, repitque per artus.*

V P. VIR-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN · ALERE FLAMMAM VERITATIS · DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# P. VIRGILII MARONIS GEORGICORUM LIBER IV.

## ARGUMENTUM.

*POST brevem de apibus, & mellatione propoſitionem, dedicationemque operis, opus ipſum octo partibus exſequitur. I. Eſt de commoda apum habitatione. II. De earum pabulatione, examinibus, pugnis. III. De duabus earum ſpeciebus. IV. De earum quaſi civili prudentia & republica. V. De mellationis temporibus. VI. De morbis apum, morborumque ſignis ac remediis. VII. De apum reparatione, cum perierunt. VIII. De reparationis hujus inventione, & auctore, Ariſtæo, cujus fabulam epilogi loco fuſe narrat: eidemque attexit fabulam Eurydices & Orphei.*

PRotinus aerii mellis cœleſtia dona
Exſequar. Hanc etiam, Mæcenas, aſpice partem.
Admiranda tibi levium ſpectacula rerum,
Magnanimoſque duces, totiuſque ordine gentis
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dicam.
In tenui labor, at tenuis non gloria: ſi quem
Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio ſedes apibus ſtatioque petenda,
Quo neque ſit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves hœdique petulci

Flo-

## INTERPRETATIO.

*Continuo deſcribam cæleſtia munera aerii mellis. O Mæcenas! fave huic etiam parti* Georgicorum. *Dicam ſpectacula parvarum rerum admiranda tibi, & reges* apum *generoſos, & mores, atque artes totius generis per ordinem, & ſpecies, & pugnas. Labor* ille eſt *in parva re, ſed gloria non eſt parva: ſi Dii adverſi permittunt aliquem* id exſequi, & ſi *Apollo invocatus exaudit. Primo quærenda* eſt *apibus ſedes & habitatio* in loco, *ad quem venti non poſſint pervenire; (nam venti impediunt quominus* apes *ferant pabula in alveare) & in* quo *oves & hœdi petulantes*

*non*

## NOTÆ.

1. *Aerii mellis cœleſtia dona.*) Ex aere ros defluit, adhæretque floribus, & arborum foliis: inde colligitur ab apibus, & mel conficitur. Quare *aeris* & *cœli* donum eſt. De *Mæcenate* in arg. Georg.

7. *Numina læva.*) *Læva*, modo in bonam, modo in malam partem ſumuntur; ut diximus Ecl. 1. 16. Hic in malam, ita enim explicat hunc verſum Gellius l. 5. 12. dicitque *vim eſſe quorundam Deorum in lædendo magis, quam in juvando potentem..... nam Deos quoſdam, ne obeſſent, placabant.* In his ponit Deum *Averruncum*, & *Robigum*, & *Vejovem*, cujus eſſet Romæ templum, in eoque ſimulacrum, ſagittas tenens quaſi paratas ad nocendū. Indeque nomen ejus deducit, quod ſicut *Jovem* dixerant, Deum qui juvaret; ita *Vejovem*, qui non juvaret: particula enim *ve*, aliquando augendæ, aliquando minuendæ rei valet. *Vejovem* autem, & *Plutonem*, & *Ditem*, unum eumdemque eſſe perhibet Martianus Capella. Et vero Virgilius Æn. 4. 636. *Plutonem* vocat *Jovem Stygium*: at Plutonem, & furias, & cetera inferorum numina, *læva*

& ad-



Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.
Abſint & picti ſqualentia terga lacerti
Pinguibus a ſtabulis, meropeſque, aliæque volucres;
Et manibus Procne pectus ſignata cruentis.
Omnia nam late vaſtant, ipſaſque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus eſcam.
At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina rivus:
Palmaque veſtibulum, aut ingens oleaſter inumbret.
Ut, cum prima novi ducent examina reges
Vere ſuo, ludetque favis emiſſa juventus;
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hoſpitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, ſeu ſtabit iners, ſeu profluet humor,
Transverſas ſalices & grandia conjice ſaxa:
Pontibus ut crebris poſſint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtivum ſolem; ſi forte morantes
Sparſerit, aut præceps Neptuno immerſerit Eurus.
Hæc circum caſiæ virides, & olentia late
Serpylla, & graviter ſpirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipſa autem, ſeu corticibus tibi ſuta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Anguſtos habeant aditus; nam frigore mella
Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illæ

Ne-

*non ſaltent ſuper floribus, & juvenca vaga per agros non excutiat rorem* ex herbis, *nec premat herbas naſcentes. Abſit quoque a pingui alveari lacerti maculoſi ſplendenti tergo, & meropes, & ceteræ aves, &* imprimis *Procne, quæ notavit* ſibi *pectus manibus ſanguinolentis. Nam circum populantur omnia, & roſtro ferunt ipſas apes*, ut ſint *gratum pabulum pullis crudelibus. Sed adſint fontes puri, & ſtagna* cooperta *viridi lanugine, & parvus rivus currens inter herbas, palmaque, vel magnus oleaſter tegat veſtibulum. Ut, quando novi reges ducent prima examina vere* ſibi *commodo, &* quando *juniores* apes *ludent egreſſæ ex alvearibus, tunc ripa propinqua invitet* eas, *ut ſe ſubtrahant calori, & arbor occurrens excipiat* eas *hoſpitio foliorum. In mediam aquam, ſive ſtabit immota, ſive fluet, projice ſalices obliquas, & magnos lapides, ut poſſint ſtare* in iis quaſi *in frequentibus pontibus, & explicare alas ad ſolem æſtivum: ſi forte Eurus vehemens diſſipaverit redeuntes, aut disjecerit in aquas. Circa illa* omnia, *caſiæ virides, & ſerpylla longe redolentia, & copia thymbræ graviter halantis floreat; & violæ* illic *irrigentur liquido rivo. Ipſa autem alvearia, ſive a te compacta* ſint ex *corticibus cavatis, ſive texta vimine flexili, habeant introitum arctum. Nam hyems conſtringit mella frigore, & calor reſolvit eadem liquefacta. Utrinſque violentia pariter formidabilis eſt apibus: neque fruſtra illæ*

## NOTÆ.

& adverſa hominibus fuiſſe habita, nemo neſcit, teſtaturque Arnobius l. 3. De *Apolline* vatum Deo, Ec. 3. 104.

8. *Principio, &c.*) I. PARS. *De apum habitatione*: præcepta continet duo. I. *De commodo alvearibus loco, deque iis quæ adeſſe circum, aut procul abeſſe debent*, v. 8. II. *De forma alvearium*, v. 33.

13. *Squalentia terga lacerti.*) Lacertus, *lucertola*. *Squalor, ſqualidus, ſqualeo, ſqualens*, derivantur a *ſquamis*: ſignificantque quicquid ita inculcatum oblitumque eſt, ut ſquamarum in ſerpentium piſciumque coriis denſitatē & aſperitatem referat. Ita definit Gellius l. 2. 6. Sic Æ. 10. 314. *Per tunicam ſqualentem auro*: quia aurum denſe intextum erat. Sic maculæ in lacerto. Sic in corporibus congeries ſordium.

14. *Meropes.*) *Merops* avis, quæ & *apiaſter* dicitur, Ital. *aparuolo*, apibus infeſta. *Procne*, hirundo: notas quaſdam habet in pectore, quæ ſanguinē aliquo modo referunt: quas ſibi impreſſiſſe fingitur, plangens pectus, manibus cæde filii ſui cruentatis. Fabulam vide Ecl. 6. 78.

21. *Examina.*) Apum coloniæ ad novas ſedes quærendas ex alvearibus egreſſæ, *Sciami*. De iis Ecl. 7. 13.

29. *Neptuno immerſerit Eurus.*) *Neptunus* hic pro quibuslibet aquis. G. 1. 14. *Eurus*, pro quolibet vento violentiore, G. 1. 371.

30. 31. 32. *Caſiæ virides.*) *Caſia* lavendula eſt, aut roſmarinus. Ecl. 2. 49. *Serpyllum, Sermollino*: Ecl. 2. 11. *Thymbra*, quæ ſaturna

& cu-

Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque & floribus oras
Explent, collectumque hæc ipſa ad munera gluten
Et viſco & Phrygiæ ſervant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effoſſis ( ſi vera eſt fama ) latebris
Sub terra fodere larem; penituſque repertæ
Pumicibuſque cavis, exeſæque arboris antro.
Tu tamen & levi rimoſa cubilia limo
Unge fovens circum, & raras ſuperinjice frondes.
Neu propius tectis taxum ſine, neve rubentes
Ure foco cancros: altæ neu crede paludi:
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.
Quod ſupereſt, ubi pulſam hyemem Sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æſtiva luce recluſit:
Illæ continuo ſaltus ſilvaſque peragrant,
Purpureoſque metunt flores, & flumina libant
Summa leves. Hinc neſcio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidoſque fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.

Hinc

*illæ diligenter cera oblinunt parvas rimas domorum, & margines* rimarum *fuco & floribus complent, & ſervant ad hos ipſos uſus gluten collectum, tenacius viſco & pice* montis *Idæ in Phrygia. Sæpe etiam, ſi vera eſt fama, aperuerunt ſibi domum ſub terra, effoſſis latibulis; & inventæ ſunt profundæ* in *lapidibus cavis, & in alvo arboris carioſæ. Tu tamen & unge alvearia hiantia, circumlinens molli luto: & ſuperjice luto folia tenuia: neve permitte ut taxus ſit vicinior alveari: neve coque in foco cancros rubentes: neve colloca* alveare *prope paludem profundam; aut ubi odor luti gravis eſt; aut ubi ſaxa intus cava reſonant pulſu* vocis, *& ſoni ſpecies alliſa reſilit. Quod ſpectat* ad alia, *quando Sol rutilus expulit hyemem ſub terras, & aperuit cœlum lumine calido: ſtatim apes volant per ſaltus & ſilvas, & carpunt flores purpureos, & volando deguſtant ſuperficiem fluviorum. Ex his* floribus, & aquis *recreatæ neſcio qua delectatione, nutriunt fœtus, &* conficiunt *eorum nidos; ex his elaborant artificioſe ceras novas, & fabricant mella glutinoſa.*

*Dein-*

## NOTÆ.

& cunila etiam dicitur, herba condimentaria, *Santoreggia*. *Violaria*, loca violis conſita.

38. *Cera Spiramenta linunt, fucoque & floribus.*) Non cera proprie, neque floribus; ſed *melligine*, id eſt, glutine quodam, & viſcoſa tenacique materia, unde operis fundamenta cōficiunt, ex Plin. l. 11. 6. & 7. aliiſque. *Commoſis*, *piſſoceros*, & *propolis*. *Commoſis*, κόμμωσις, cruſta eſt prima, atque ima, ſaporis amari, dicta quaſi *gummitio*, a κόμμι *gummi*: quia fit e lacrymis arborum, ſalicis, ulmi, arundinis; e gummi præſertim, & reſina, &c. *Piſſoceros*, πισσόκηρος ſecunda eſt cruſta, dilutior, fitque e mitiore gummi, mediæ naturæ inter picem & ceram; unde nomen habet a πίσσα *pix* & κηρὸς *cera*. *Propolis* tertia cruſta, & proximum favorum ſtabilimentum, craſſioris materiæ, cui florum ſuccus additur: *hac omnes frigoris & injuriæ aditus obſtruuntur*, inquit Plinius; hanc ſignificat Virgilius *fucoque & floribus*: cruſtas alias inferiores per *gluten*.

39. *Fuco.*) Herba eſt, lactucæ ſimilis; ex algæ genere, *fucus marinus*, a Plinio dicta: hujus aliqua ſpecies quadamtenus rubet. *Laudatiſſima*, inquit, *quæ in Creta inſula juxta terram in petris naſcitur, tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui poſtea non poſſit*, l. 32. 6. & l. 26. 10. Notat Aldrovandus in Muſæo metallico l. 1. 7. mulieres antiquitus hac herba conciliaſſe ruborem genis, indeque factum ut pigmenta omnia muliebris formæ, imprimiſque ceruſſa ad candorem præparata dicta ſit *fucus*, Ital. *liſcio*.

41. *Viſco & Phrygiæ, &c.*) Hoc *Viſcum*, vel hic *viſcus*, Ital. *pania*. De *pice* Idæ montis in Phrygia, G. 3. 450.

44. *Pumicibuſque.*) Pumex, Ital. *pomice*.

45. *Tu tamen &, &c.*) Etſi intus apes alvearia glutine obducant, tu tamen unge exterius limo, ad majorem cautelam, &c.

47. *Taxum.*) *Taxus*, Ital. *taſſo*, de qua Ecl. 9. 30. ab alvearibus amovenda, quia ex ejus ſucco mel amariſſimum conficitur, quale eſt Corſicum, Ecl. 9. 57.

47. *Neve rubentes, &c.*) Cancri, *granchi*, rubentes cum cocti ſunt, nidore nocent apibus. *Palus* altitudine ſubmergit apes: quia non facile patitur lapides, quibus quaſi pontibus, apes inhæreſcunt. *Cœnum*, nocet odoris gravitate. *Echo*, remiſſio ſono pavidas facit.

51. *Quod ſupereſt, ubi, &c.*) II. PARS. *De pabulatione apum, examinibus, pugnis*. Præcepta con-



Hinc ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cœli
Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,
Obſcuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulces & frondea ſemper
Tecta petunt; huc tu juſſos aſperge ſapores,
Trita meliſphylla, & cerinthæ ignobile gramen:
Tinnituſque cie, & Matris quate cymbala circum.
Ipſæ conſident medicatis ſedibus; ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint, ( nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu )
Continuoque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longe præſciſcere: namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter ſe coeunt, penniſque coruſcant,
Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem.
Ergo ubi, ver nactæ ſudum, campoſque patentes,

Erum-

*Deinde quando videbis examen, emiſſum ex alvearibus per æſtatem ſerenam, volare in altum aerem, & nigram nubem* apum *diffundi vento; conſidera: quærunt ſemper aquas dulces, & ramos frondentes* ubi conſidant: *ſparge circa hunc locum odores præſcriptos, meliſphylla confricata, & vilem herbam cerinthæ: & excita tinnitum, & quate circum cymbala* Cybeles, *matris* Deorum. *Apes conſiſtent in ſedibus ſic præparatis: apes ſeſe immittent more ſuo in intima alvearia. Si vero exire* voluerint *ad certamen, ( nam ſæpe diſcordia magno impetu inflammat utrumque regem ) ſtatim licet longe præſentire & iram plebis & corda belli avida: nam Martius etiam ſtrepitus rauci æris excitat tardas, & auditur bombus referens fractos ſonitus buccinarum. Tunc feſtinæ inter ſe congregantur, & micant alis, & acuunt aculeum roſtris, & parant* ad pugnam *brachiola, & ſtipantur denſæ circa regem & ipſius cellam, & invitant hoſtem magno fremitu. Itaque quando invenerunt tempus ſerenum, & ſpatia* aeris *aperta,*

*ruunt*

## NOTÆ.

continet duo. I. *Quomodo examina cogenda ſint in alvearia*, v. 58. II. *Quomodo pugnæ compeſcendæ ſint*, v. 80.

51. *Egit ſub terras.*) Sub polum auſtralem, ſive antarcticum, quem *ſub pedibus Styx atra videt*, G. 1. 243. Pellit autem Sol hyemem ad illas partes, quia ad noſtras accedit, ab illis recedit: quo ex receſſu ſequitur hyems.

52. *Æſtiva luce.*) Calidiore: nec enim proprie æſtas hic ſignificatur, ſed ver.

54. *Libant.*) Deguſtant, radunt: Æn. 1. 740.

57. *Excudunt ceras.*) Metaphora a fabris ferrariis ducta, quorum eſt proprie ferrum *cudere*: ideo comparabit apes cum Cyclopibus, v. 170.

59. *Nare per æſtatem liquidam.*) *Nare* ſæpe pro *volare*; *volare* ſæpe pro *nare*; mutua translatione ſumuntur: vide Æn. 5. 219. *Liquidam.*) Puram, ſerenam: unde Ecl. 6. v. 33. *Et liquidi ſimul ignis*.

63. *Meliſphylla.*) Ita reſtituit e manuſcriptis N. Heinſius, cum ante, non ſine Latinæ quantitatis damno, legeretur ſecunda brevi, *meliphylla*. Citrago eſt Latinorum, Italorum *meliſſa*, herba apibus gratiſſima, Græco nomine dicta a μέλι *mel* & φύλλον *folium*.

*Cerinthæ.*) *Cerintha*, κήρινθον a κηρίον *Favus*: Ital. *favo*, juxta Ruellium, a paſcendis apibus.

64. *Tinnituſque cie, & matris, &c.*) Certum eſt apes tinnitu æris colligi unum in locum: gaudione, an metu, Ariſtoteles dubitat: Plato & Plinius gaudio tribuunt; Varro & Columella metui. *Cymbala.*) Ærea inſtrumenta concava, quæ bacillis æreis percuſſa tinnitum edebant. *Matris.*) Cybeles matris Deorum, quæ & *Rhea*, & *Ops*, & *Veſta*, vocata eſt: cujus in ſacris quatiebantur cymbala ex veteri inſtituto *Corybantum* ſive *Curetum*, de quibus infra dicemus v. 151. *Duobus Regibus.*) Colum. l. 9. 9. *Inter ſe tanquam civilibus bellis, & cum alteris, tanquam cum exteris gentibus, præliantur*. Hic bellum deſcribitur civile. Nam ex Plin. l. 11. 16. *Naſcuntur aliquando in extremis favis apes grandiores, quæ cæteras fugant*.

69. *Trepidantia.*) Non timida, ſed cum feſtinatione tumultuantia: ſic Æ. 9. 114. *Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves*, id eſt, ne feſtinate. Sic infra v. 73. *Tum trepidæ inter ſe coeunt*.

75. *Prætoria.*) Cellas regum: metaphora, ducta a caſtrenſibus tabernaculis eorum, qui

bella

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Erumpunt portis: concurritur: æthere in alto
Fit ſonitus: magnum mixtæ glomerantur in orbem
Præcipiteſque cadunt: non denſior aere grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant:
Uſque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos verſa fuga victor dare terga ſubegit.
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambos;
Deterior qui viſus, eum, ne prodigus obſit,
Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula.
Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens:
( Nam duo ſunt genera ) hic melior, inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora gentis:
Namque aliæ turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Cum venit, & terram ſicco ſpuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, & fulgore coruſcant,
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.
Hæc potior ſoboles: hinc cœli tempore certo

Dul-

*vunt e portis:* pugna *committitur: fit ſtrepitus in alto aere: confuſæ denſantur in magnum globum & cadunt præcipites: non pluit grando ſpiſſior ex aere, nec tantum glandium ex ilice quaſſata. Ipſi reges in mediis exercitibus, alis notabiles, agitant magnum animum in parvo corpore, obſtinati non recedere, eo uſque, quo victor terribilis cogat, vel hos, vel illos, dare in fugam terga converſa. Hæ commotiones animorum, & hæ tantæ pugnæ ſedabuntur, repreſſæ jactu exigui pulveris. Sed poſtquam revocaveris a pugna geminos reges, da neci eum qui viſus fuerit pejor, ne noceat conſumendo* cibos; *& permitte ut melior regnet in domo vacua ab* hoſte. *Alter erit lucidus notis auro aſperſis; ( ſunt enim duo* apum *genera ) hic melior* eſt, *forma pulcher, & clarus ſquamis rutilantibus: alter ille horridus* eſt *ignavia, & trahens magnam alvum ſine honore. Ut geminæ* ſunt *formæ regum, ita ſpecies gentis: namque aliæ apes horrent fœdæ, quemadmodum viator, qui venit ex loco valde pulverulento, & ſitibundus excreat pulverem ore ſicco: aliæ lucent & micant ſplendore, ardentes corporibus, quæ aſperſa* ſunt *auro & ſimilibus notis. Hoc genus melius* eſt; *ex his exprimes ſtato anni tempore* *mel*

N O T Æ.

bella adminiſtrabant, quod munus primo prætoribus, deinde conſulibus demandatum fuit, ex Feſto. Hinc etiam apud Columellam & Martialem *prætoria* ſunt ampla ædificia ruſtica; in quibus fortaſſe jus ruſticis a domino ac patrono dicebatur.

91. *Alter erit, &c.* ) III. PARS. *De variis apum ſpeciebus.* Duæ ſunt: ruſæ, quæ minores; & nigræ magiſque variæ, quæ majores. Prima ſpecies melior. Rex magnitudine præſtat in ſua quiſque ſpecie, & in ſupremis favis habitat. *Squalentibus.* ) Vide ſupra, v. 13.

96. *Ceu pulvere ab alto Cum, &c.* ) Comparat horridam ſecundæ ſpeciei nigritiem, vel cum vultu habituque viatoris, qui pulvere ac ſudore obſitus ſpuit; vel cum ipſo illius ſputo, quod in fœdum ſalivæ ac terræ globulum humi colligitur.

102. *Liquida.* ) Pura & ſine fæce: quæ enim omnino liquida ſunt, mala ſunt, ut admonet Servius.

*Bacchi domitura ſaporem.* ) Vel mulſum intelligit, quod fiebat duabus vini menſuris, admixta mellis una: vel quodlibet vinum aſperum, quod melle temperabatur. Ita enim Horatius Sat. l. 2. 4. 24. *Aufidius forti miſcebat mella Falerno mendoſe .... leni præcordia mulſo prolueris melius:* ergo diſtinguit Horatius hanc vini temperaturam a mulſo. Ita Cerdanus. Quamquam nihil vetat, in eo damnari Aufidium ab Horatio, quod ille mulſum non e vino levi, ſed aſpero Falerno condiret. De *Baccho*, Ecl. 5. 69.

108. *Caſtris audebit vellere ſigna.* ) Metaphora e militia Romanorum; qui cum caſtra metabantur, ſigna in terram defigebant ante prætorium: cum caſtra movebant, evellebant: & ſi facile quidem, bonum erat omen; contra, ſi difficile.

109. *Croceis.* ) Verſicoloribus: color certus pro incerto: de eo colore Ecl. 4. 44.

110. *Cum falce ſaligna Helleſpontiaci, &c.* ) Solebant in hortis omnibus Priapi ſtatuam

col-



Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura ſaporem.
At cum incerta volant cœloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, & frigida tecta relinquunt,
Inſtabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
Eripe: non illis quiſquam cunctantibus altum
Ire iter, aut caſtris audebit vellere ſigna.
Invitent croceis halantes floribus horti:
Et cuſtos furum atque avium, cum falce ſaligna,
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.
Ipſe thymum pinoſque ferens de montibus altis
Tecta ferat late circum, cui talia curæ:
Ipſe labore manum duro terat, ipſe feraces
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.
Atque equidem, extremo ni jam ſub fine laborum
Vela traham, & terris feſtinem advertere proram;
Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique roſaria Pæſti:
Quoque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ, tortuſque per herbam
Creſceret in ventrem cucumis: nec ſera comantem
Narciſſum, aut flexi tacuiſſem vimen acanthi,
Pallenteſque hederas, & amantes litora myrtos.

Nam-

*mel dulce: nec tam dulce, quam & purum, & mitigaturum aſperum vim vini. At cum examina volant incerta, & ludunt per aerem, & faſtidiunt favos, & deſerunt alvearia inania, revocabis animos mobiles ab inutili licentia. Non magna erit difficultas revocare: tu regibus pennas evelle: nullus audebit illis morantibus vagari per aerem, & eruere ſigna e caſtris. Horti ſpirantes croceis floribus* eas *alliciant; & tutela Priapi Helleſpontiaci, abactrix latronum & volucrum, cum falce e ſalice,* eas *ſervet.* Ille *ipſe, qui curat talia, transferens ex altis montibus thymum & pinos, plantet* eas *undique circa alvearia: ipſe atterat manus duro* plantationis *labore: ipſe infodiat terræ plantas fertiles, & invergat* plantis *aquam opportunam. Ego certe, niſi jam ſub ultimum finem laborum colligerem vela, & properarem torquere proram ad terram; fortaſſe cantarem quoque, quæ ratio culturæ ornaret hortos fertiles, &* cantarem *roſaria Pæſti bis fœcundi: & quomodo intyba, & margines virentes apio, lætarentur aquis irrigantibus, &* quomodo *cucumis curvatus per herbam tumeſceret in* modum *ventris: nec prætermiſiſſem narciſſum tarde florentem, & caulem acanthi flexilis, & hederas albentes, & myrtos quæ amant litora.*

*Nam-*

N O T Æ.

collocare, cum falce e quolibet rudi ligno: pro quo genere ſalignum poſuit, id eſt, e ſalice. De *Priapo* Ec. 7. 33. *Helleſpontiacus* dicitur, quia colebatur imprimis Lampſaci, quæ urbs eſt in minori Myſia ad fretum Helleſpontiacum. De *Helleſponto*, *ſtretto di Gallipoli*, G. 1. 207.

112. *Pinoſque.* ) Victorius non *pinum* arborem, ſed genus eſſe putat virgulti ſemper virentis; Taubmannus etiam florem. Sed quicquid ab iis affertur in rem ſuam, vanum eſt. Neque enim, ut volunt, Columella l. 9. 4. pinum inter frutices agnoſcit, ſed inter arbores apibus gratas; pinumque conjungit cum ilice, *ſemper virens pinus & minor ilex.* Neque Apollodorus eam inter flores admittit, cum admittit inter *coronamenta*: ut enim lauro triumphatores, ſic pinu coronabantur victores ludis Iſthmiis; nec tamen laurus eſt e florum genere. Neque Virgilius in Culice v. 405. cum dixit *ſemper florida pinus*, ſignificavit pinum florem eſſe perennem, ſed arborem perpetuo florentem metaphorice, id eſt, ſemper virentem.

119. *Biferique roſaria Pæſti.* ) *Pæſtum*, oppidum & ſinus Lucaniæ, *Peſto*: cujus ſolum roſis nobile, quas bis, nempe menſe Maio & Septembri, ferebat.

120. *Intyba.* ) *Cicoria*, Georg. 1. 120.

121. *Ripæ.* ) Margines fontium. *Apium.* ) *Appio* Ecl. 6. 68.

122. *Cucumis.* ) *Cocomero*, olus notæ figuræ.

123. *Narciſſum.* ) Ecl. 2. 48. tardius floret: ideo *ſera comantem* vocat: & *ſera* dicit, pro *ſero*; adjectivum plurale neutrum pro adverbio. *Vimen acanthi.* ) Caulem *brancæ urſinæ*, de qua Ecl. 3. 45. Non vero *ſpinæ Ægyptiæ*, quæ alterum genus acanthi eſt, de quo G. 2. 119. De *myrtis*, Ecl. 2. 54.



125. *Nam-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem, cui pauca relicti
Jugera ruris erant; nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenaſque premens, veſcumque papaver.
Regum æquabat opes animis: ſeraque revertens
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis.
Primus vere roſam, atque autumno carpere poma:
Et cum triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Æſtatem increpitans ſeram, zephyroſque morantes.
Ergo apibus fœtis idem atque examine multo
Primus abundare, & ſpumantia cogere preſſis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos,
Eduramque pirum, & ſpinos jam pruna ferentes,
Jamque miniſtrantem platanum potantibus umbras.

Ve-

*Namque ſub altis mœnibus Tarenti, qua profundus Galeſus irrigat agros flaventes* ſegetibus, *memini me vidiſſe ſenem Corycium, qui habebat pauca jugera agri deſerti; terra illa, nec apta erat* arationi *bovum, nec opportuna* paſtioni *pecorum, nec commoda vitibus. Tamen in illo loco,* prius *dumoſo, plantans rara olera, & in circuitu candida lilia, ac verbenas, ac edule papaver, æquabat animo divitias regum, & nocte jam provecta rediens domum, onerabat menſam cibis non emptis. Primus colligebat vere roſam, & autumno poma: & cum triſtis hyems frangeret adhuc lapides vi frigoris, & cohiberet glacie fluxum aquarum; ille jam tum tondebat frondes flexilis acanthi, incuſans æſtatem pigram & zephyros tardos. Itaque primus abundabat apibus fœcundis, & multis examinibus, & colligebat mel ſpumoſum e favis compreſſis: habebat tilias, & pinos copioſas, & quot pomis arbor ferax ſe veſtierat* tempore *novorum florum, totidem matura* poma *retinebat autumni* tempore. *Ille etiam digeſſerat in ordinem ulmos tarde* creſcentes, *& piros duras, & ſpinos jam ferentes pruna, & platanum jam præbentem umbracula bibentibus.*

Sed

N O T Æ.

125. *Namque ſub Oebaliæ, &c.*) Tarenti: urbis in Italiæ ſinu maxime Auſtrali: cujus inſtaurator fuit Phalantus ex Oebalia, ſeu Laconia, profectus.

126. *Qua niger, &c.*) *Galeſus, Galaſo,* Calabriæ fluvius eſt, in ſinum illum Tarentinum defluens: *niger* dicitur, vel ab umbra circumſtantium arborum: unde a Propertio l. 2. 34. 67. vocatur umbroſus. *Umbroſi ſubter pineta Galeſi*: vel a profunditate aquarum, quæ nigritiē inde cōtrahunt: unde freques eſt illud epithetum Homero, *μέλαν ὕδωρ, nigra aqua*. Erythræus legit *piger*, quia certum eſt eum lentiſſime labi.

*Flaventia culta.*) Loca culta & flaventia: duo adjectiva, quorum alterum ſubſtantivi vim obtinet, ut G. 1. 393. *Aperta ſerena*.

127. *Corycium ſenem.*) Vel nomen fuit hujus ſenis proprium, vel appellativum a gente: *Corycus* enim, *Κώρυκος*, mons croci ferax, & oppidum fuit Ciliciæ: quæ regio eſt Aſiæ in litore maris inter dicti Cilicii. Hujus incolæ *Cilices*, eo quod piraticam exercerent, a Pompejo petiti bello; & partim cœſi, partim in fidem recepti, agris ab eo donati ſunt: præſertimque Cilicum remiges, quorum opera uſus erat Pompeius, in Calabria Tarentinoque agro collocati ſunt. Ex iis hunc unum eſſe aliquem non immerito ſuſpicantur.

130. *Rarum.*) Raris, non denſis ordinibus conſitum, quod in ſterili terra fit.

131. *Verbenaſque premens.*) Ital. *verbena*, Ec. 8. 65. *Premens.*) Plantans, G. 2. 346. *Quæcumque premes virgulta per agros. Veſcumque papaver.* Edule: cauſam vide ſupra G. 1. 212. Veſcum item, minutum ac parvum ſignificat. Ov. F. l. 3. *Veſcaque parva vocant*. Pl. l. 7. 20. *Corpore veſco fuiſſe, ſed eximiis viribus Tritannum*, memorat.

137. *Mollis acanthi.*) *Brancæ urſinæ*. Ecl. 3. 45. De *Zephyris*, Ecl. 5. 5.

141. *Tiliæ, atque, &c.*) *Tilia, Tiglio*: arbor nota. *Pinus uberrima*, vel plurima, vel ferax pinearum nucum, vel ferax glutinis, quo apes utuntur ad mellis fundamina; vide ſupra, v. 36.

144. *In verſum, &c.*) De arborum ordinata plantatione, G. 2. 277.

145. *Eduram pirum.*) Duritiem vel ad li-

gnum



Verum hæc ipſe equidem, ſpatiis excluſus iniquis,
Prætereo, atque aliis poſt commemoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Juppiter ipſe
Addidit, expediam: pro qua mercede, canoros
Curetum ſonitus crepitantiaque æra ſecutæ,
Dictæo cœli regem pavere ſub antro.
Solæ communes natos, conſortia tecta
Urbis habent, magniſque agitant ſub legibus ævum;
Et patriam ſolæ, & certos novere penates:
Venturæque hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ, ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti:
Inque vicem ſpeculantur aquas & nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.

Fer-

*Sed ego quidem arctatus ſpatiis anguſtioribus, iſta omitto, & relinquo aliis deinde commemoranda. Nunc age, deſcribam facultates, quas ipſe Jupiter addidit apibus, propter quod donum* obtinendum apes, *ſecutæ canoros ſonitus Corybantium & æra crepantia, nutriverunt regem cœli ſub caverna Dictæa. Solæ* volucrum *habent fœtus communes, & domos urbis communes, & vitam ducunt ſub legibus immobilibus: & ſolæ cognoſcunt patriam, & ſtatas domos; & prævidentes hyemem futuram, exercent* ſe *labore per æſtatem, & congregant in commune* bona *parta. Aliæ enim provident cibis, & lege conſtituta laborant per campos: pars intra clauſtra alveariorum componunt ima fundamenta favorum ex ſucco narciſſi & viſcoſo glutine corticis; poſtea tenaces concamerant ceras: aliæ alunt* incubando *fœtus creſcentes*, qui ſunt *ſpes generis; aliæ addenſant mella expurgata, & implent favos puro nectare. Sunt* aliquæ *quibus ſtatio ad portas ſorte obtigit: &* quæ *per vices prævident pluviam & nubes aeris, aut accipiunt onera venientium; aut conflato agmine expellunt ex alveari fucos*, quod eſt *genus pigrum*.

Fer-

N O T Æ.

gnum refert, vel ad fructum aut nondum maturum, aut etiam in maturitatem intus lapideſcentem. De hac voce, *edura*, vide G. 2. 65. De *Platano*, *Platano*, ibidem G. 2. 70.

145. *Spinos jam pruna ferentes.*) Spinus, vel ſignificat prunum ſilveſtrem, quod vult Car. Stephanus, vel ſpinam ipſam, quæ in prunum converſa ſit per inſitionem; de qua inſitione G. 2. 73.

149. *Nunc age, &c.*) IV. PARS. *De apum republica, & quaſi civili prudentia*, in melle conficiendo, in rege obſervando, &c.

151. *Curetum ſonitus.*) Saturnus cum filios mares devoraret, vel ex pacto cum Titane fratre, vel ex metu ſuo, cum eſſet in fatis fore ut a filiis regno pelleretur; Rhea ſive Ops, aut Cybele, ejus uxor, Jovem in Creta natum in antro Dictæi montis, qui Idæ monti vicinus eſt, occuluit: juſſitque ut *Curetes*, ſive *Corybantes*, ſive *Dactyli*, ſacrorum ſuorum adminiſtri, cymbalis, æreiſque clypeis circa cunas obſtreperent, ne vagitus proderet infantem patri. Hujus porro inſulæ rex dicitur fuiſſe *Meliſſus*, cujus filiæ duæ Jovem aluerunt caprino lacte & melle: unde fabulæ ferunt, capram nomine Amaltheam, & apes Curetum cymbalis excitas, Jovis nutrices fuiſſe: & ob id quidem beneficium, capram a Jove relatam inter ſidera, cornu ejus nymphis nutricibus datum, hac adjecta facultate, ut quidquid optaſſent, id illis ex eo cornu largiter emanaret; apes, cum antea nihilo eſſent muſcis aliis ſagaciores, nova ſagacitate fuiſſe prædita: unde facultates illæ *additæ* dicuntur. *Pro qua mercede*, ſupple, *conſequenda*: quaſi hoc ſibi officii ſui præmium ac finem apes propoſuerint.

158. *Victu.*) Pro *victui*, dativus contractus, de quo Ecl. 5. 29. De *Narciſſo*, Ecl. 2. 48. De *glutine*, quo ceræ & mellis fundamenta conſtant, ſupra, v. 39.

162. *Suſpendunt ceras, &c.*) Plinius, l. 11. 10. *Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis ſic a ſolo fornicatis, ne deſit aditus ad farciendum.* De *Nectare*, potu Deorum, Ecl. 5. 71.

165. *Sorti.*) Pro *forte*: ſic *igni* pro *igne*, G. 1. 267. *Capiti* pro *capite*, Ecl. 5. 71.

168. *Fucos.*) *Veſpe*. Ex Plinio l. 11. 11. *Sunt quaſi ſervitia apum, his ſunt cellarum*



mi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis
Cum properant: alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus Ætna.
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter ( ſi parva licet componere magnis )
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque ſuo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta.
At feſſæ multa referunt ſe nocte minores,
Crura thymo plenæ: paſcuntur & arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis, nuſquam mora: rurſus eaſdem
Veſper ubi e paſtu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit ſonitus, muſſantque oras & limina circum.
Poſt, ubi jam thalamis ſe compoſuere, ſiletur
In noctem, feſſoſque ſopor ſuus occupat artus.
Nec vero a ſtabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo adventantibus Euris; Sed

*Fervet labor, & mella thymum halantia bene olent. At veluti quando Cyclopes fabricantur fulmina e maſſis emollitis: alii accipiunt & remittunt aerem follibus e tauri corio* factis; *alii mergunt in aquas æra ſtridentia: Ætna plangit* ſub *incudibus* ubi *impoſitis. Illi inter ſe attollunt brachia magno robore per ordinem, vertuntque ferrum mordaci forcipe. Non aliter ( ſi licet comparare parva magnis ) ingenita cupiditas congregandi* mella *urget apes Atticas, unamquamque* juxta *ſuum officium. Seniores curant alvearia, & tuentur favos, & conſtruunt domos artificioſas. At juniores redeunt laſſæ provecta nocte, refertæ thymo* circa *crura; & hinc inde carpunt arbuta, & ſalices virides, & caſiam, & crocum rufum, & tiliam viſcoſam, & hyacinthos nigreſcentes. Simul omnes quieſcunt a labore, ſimul omnes laborant. Mane exeunt portis, nullo in loco ignavia* eſt. *Poſtea cum Heſperus eis ſignificavit recedendum* eſſe *ex agris & paſtione, tunc adeunt alvearia, tunc reficiunt corpora. Murmur excitatur, & ſtrepunt circa veſtibulum & portas. Deinde cum jam conſederunt in cellis, ſilent per noctem, & conveniens ſopor tenet membra laſſa. Non autem abeunt longius ab alvearibus, quando imber inſtat, nec confidunt aeri, quando imminent venti: ſed,*

## N O T Æ.

*minimæ: quamobrem imperant iis, primoſque in opera expellunt, tardantes ſine clementia puniunt.*

170. *Cyclopes, &c.* ) De iis, & *Ætna* monte G. 1. 471. & fuſius Æn. 3. 569.

175. *In numerum.* ) Certo quodam ordine, ac veluti numeroſo malleorum concentu.

177. *Cecropias.* ) Attica, a primo Atticorum rege Cecrope: mel autem Atticum celebre fuit, præſertim ex *Hymetto* monte.

179. *Dædala* ) A Dædalo ingenioſiſſimo Athenienſi fabro, qui labyrinthum condidit; artificioſa quælibet opera, *Dædala*, vel *Dædalea* dicta ſunt. De eo plura Æn. 6. 29.

181. *Crura thymo plenæ.* ) Plin. l. 11. 10. *Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura ſcabra, priores pedes roſtro.*

*Arbuta paſſim, &c.* ) Arbuta Ital. *corbezzolo* Ecl. 3. 82. *Caſia*, Ecl. 2. 49. Crocus, *zafferano*, Ecl. 4. 44. Hyacinthus, *Giacinto*, Ecl. 3. 63. Tilia, *Tiglio*. De *Ferrugineo* colore, Ecl. 2. 18.

186. *Veſper.* ) Stella Veneris, Ecl. 6. 86.

192. *Euris.* ) Quibuslibet ventis, proprie tamen orientalibus.

195. *Saburram.* ) Arenam graviorem, qua naves ad certam uſque menſuram onerantur, ac *ſaburrantur*, ut ſtabiliores fiant.

198. *Concubitu.* ) Pro *concubitui*. Ecl. 5. 29. Pl. l. 11. 16. *Fœtus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos & ſubtilis quæſtio fuit: apum enim coitus viſus eſt numquam. Plures exiſtimavere oportere confici floribus. Gallinarum modo incubant. Id quod excluſum eſt, primum vermiculus videtur candidus .... donec ruptis membranis, quæ ſingulos cingunt ovorum modo, univerſum agmen emergat.* Ita fere Ariſtoteles aliique, qui omnes putant reperiri ab iis aliquid in floribus, quod ſit feminis lo-

co;



Sed circum tutæ ſub mœnibus urbis aquantur,
Excurſuſque breves tentant: & ſæpe lapillos,
Ut cymbæ inſtabiles fluctu jactante ſaburram,
Tollunt: his ſeſe per inania nubila librant.
Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verum ipſæ e foliis natos & ſuavibus herbis
Ore legunt: ipſæ regem, parvoſque Quirites
Sufficiunt, aulaſque & cerea regna refingunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam ſub faſce dedere:
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipſas quamvis anguſti terminus ævi
Excipiat; ( neque enim plus ſeptima ducitur æſtas )
At genus immortale manet, multoſque per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.
Præterea regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes,
Obſervant. Rege incolumi mens omnibus una eſt;
Amiſſo, rupere fidem: conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.
Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes, Et

*ſed, ſecuræ prope parietes alvearis, circum hauriunt aquas, & faciunt breves excurſiones; & ſæpe, quemadmodum naves fluitantes* habent *arenam* contra *agitationem fluctuum, ita apprehendunt lapillos, & his ſuſtinent ſe per nubes vagas. Miraberis autem hanc conſuetudinem placuiſſe apibus: quod nec vacant coitui, nec inertes enervant corpus libidine, nec emittunt fœtus partu. Sed ipſæ roſtro colligunt fœtus e foliis & herbis dulcibus: ipſæ ſupplent regem & parvos cives, & reparant palatia ac regna cerea. Sæpe quoque vagando contuderunt alas in duris ſaxis, & ſponte amiſere vitam ſub onere: tantus eſt* ipſis *amor florum, tanta gloria faciendi mellis. Itaque licet brevis vitæ finis eas urgeat ( non enim vivunt plus* quam *ſeptem annos ) tamen genus* earum *manet immortale; & fortuna familiæ ſubſiſtit per multos annos, & numerantur avi avorum. Præterea non ita regem Ægyptus, & magna Lydia, & gens Parthorum, &* Hydaſpes *Mediæ, venerantur. Rege vivo, unanimis eſt concordia omnium;* rege *mortuo, diſſolvunt ſocietatem, & ipſæ rapiunt mella accumulata, & evertunt compagem favorum. Ille* rex *præſidet operibus, admirantur illum, & omnes circa* illum *conglobantur multo* cum *murmure, & ambiunt* illum *magno numero, & ſæpe*

## N O T Æ.

co; idque deinde, formatum in fœtus, ab iis demitti ore.

201. *Quirites.* ) Cives, ducta metaphora a Romanis civibus, qui dicti ſunt *Quirites*; vel a Romulo rege, qui dictus eſt *Quirinus*; vel a *Curibus* oppido Sabinorum, poſtquam fœdus ictum eſt inter Tatium eorum regem, & Romulum.

203. *Duris in cotibus* ) *Cos* uſurpatur ſæpe pro lapide, qui ferro acuendo adhibetur. Hic tamen & alibi pro quolibet lapide aſpero, & caute. *Cos* itaque & *cautes*, idem ſunt: quemadmodum & a Græcis uſurpatur ἀκόνη in utraque ſignificatione.

210. *Regem non ſic, &c.* ) Comparat obſequia apum erga reges, cum ſtudio populorum; eorum maxime qui deliciis fracti dominos quaſi ſervili cultu adorabant. Tales *Ægyptii*, de quibus infra v. 287. *Lydi*, quorum regio pars eſt Aſiæ minoris, Pactolo, aurifero flumine perfuſa, Crœſo olim regi ditiſſimo ſubdita. *Parthi*, de quibus Ecl. 1. 62. *Medi*, ad occidentem Parthorum ſiti, qui hic per Hydaſpem fluvium notantur. *Hydaſpes* tamen ab uno Virgilio in Media, ab aliis in India collocatur; ab aliis in Indum influere dicitur ad urbem Niſam, ab aliis in mare labi. Probus putat *Medum* dici victoriæ cauſa; quia Medi & Perſæ, duce Alexandro, Indiam domuerunt: quod ſi admittatur, *Græcus* etiam & *Macedo* meliori jure potuit vocari; quod quis ferat? Abramus legit, *Indus Hydaſpes*, ſed ſine fide manuſcriptorum. Ego admodum incertam fuiſſe & eſſe ejus notitiam puto, nec alia de cauſa dixit Horatius, Od. l. 1. 22. 8. *Quæ loca fabuloſus lambit Hydaſpes*: adeo varia de illo narrantur.

214. *Crates favorum.* ) Quia favi in modum craticularum cancellati ſunt.

220. Eſſe

Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere; Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum; ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.
Si quando ſedem anguſtam, ſervataque mella
Theſauris relines; prius hauſtu ſparſus aquarum,
Ora fove, fumoſque manu prætende ſequaces.
Bis gravidos cogunt fœtus, duo tempora meſſis;
Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum
Pleias, & Oceani ſpretos pede reppulit amnes:
Aut eadem ſidus fugiens ubi piſcis aquoſi,
Triſtior hybernas cœlo deſcendit in undas.
Illis ira modum ſupra eſt, læſæque venenum

Mor-

*& ſæpe efferunt humeris, & in bello objiciunt corpora* pro eo, *& quærunt per vulnera glorioſam necem. Quidam ob hæc indicia, & conſiderantes hæc ſpecimina* prudentiæ, *dixerunt, partem divinæ mentis & cœleſtis ſpiritus ineſſe apibus.* Quippe dixerunt *Deum fuſum eſſe per omnes & terras, & tractus maris, & cœlum profundum: ex illo pecudes, armenta, homines, omne genus ferarum,* denique *quemlibet naſcendo ſibi attrahere animam.* Quippe dixerunt *omnia poſt diſſolutionem reverti ac referri ad eum: nec eſſe locum exinanitioni; ſed* omnia *volare viva, ſui* quæque *ſideris in ordinem, atque ire in altum cœlum. Si aliquando recludis arctum alveare, & mella ſervata in favis, imbutus hauſtu aquarum os* tuum *imple prius, & prætende manu fumos* qui *inſequantur* apes. Apiarii *colligunt favos plenos, & duo ſunt tempora mellationis: ſimul ac Taygete Pleias monſtravit terris formoſum vultum, & repulit pede aquas Oceani* a ſe *contemptas; aut cum eadem, fugiendo aſtrum piſcis imbriferi, deſcendit mœſta e cœlo in aquas hybernas. Illæ apes iracundæ ſunt ſupra modum, & offenſæ venenum*

*pun-*

## N O T Æ.

220. *Eſſe apibus partem, &c.*) Sequitur hic doctrinam Pythagoræ & Platonis. Pythagoræ opinio ſic a Servio explicatur: *Omnia animalia ex quatuor elementis & divino ſpiritu conſtare manifeſtum eſt. Trahunt enim a terra carnem, ab aqua humorem, ab aere anhelitum, ab igne fervorem, a divino ſpiritu ingenium: quod quia eſt in apibus, ſicut in hominibus (namque metuunt, cupiunt, dolent, gaudent; quæ probantur ex his quæ faciunt: dimicant enim, colligunt flores, prævident pluvias) fateamur neceſſe eſt, etiam apes partem habere divinitatis.* Platonis autē opinio eſt in Timæo, Deum, cum mundū condidit, aſtris pare diſtribuiſſe numerum animarū, ſinguliſque aſtris ſingulas attribuiſſe, quaſi totidem vehiculis. Pythagoræ autem & Platonis communis ſententia eſt, animam eſſe interitus expertem, &, cum exit, pervenire in cognatam ſibi animam mundi, ut teſtatur Plutarchus l. 4. de Placit. Philoſ. Juxta has igitur ſententias docet Virgilius, *morti non eſſe locum:* id eſt exinanitioni, quippe cum anima remaneat: deinde animam reverti *ſideris in numerum*, id eſt, ad ea ſidera quibus ſingulæ addicuntur; atque ita in cœlum reverti, quæ præcipua Dei ſedes eſt.

229. *Relines, &c.*) Aperies, detracta illa omni materia, qua totum alveare apes *liniunt*. Tum duplici utere induſtria ad fugandas apes. I. Aquam hauſtam ore preſſo ſparge ſuper alvearia, pluviæ in modum. II. Prætende fumum.

*Hauſtu ſparſus aquarum Ora fove.*) Supple, *& deinde projice in pluviæ modum.* Prius legebatur, *ore fove*: ambigua & difficili ſententia. Reſcripſit e Manuſc. N. Heinſius, *Ora fove.*

231. *Bis gravidos cogunt, &c.*) V. PARS. *De mellationis temporibus*; verno ſcilicet, & autumnali. Per *gravidos fœtus*, haud dubie mella intelligit, quæ ſunt fructus & proventus apum: neque enim ſignificat proprie fœtus, qui non ſunt *gravidi*: neque matres apes, quæ dici non poſſunt *fœtus*.

232. *Taygete ſimul, &c.*) Una e *Pleiadibus*, ſub qua ſex etiam alias comprehendit: de iis Georg. 1. 138. Earum ortu & occaſu notat duplex tempus colligendi mellis, quod metaphorice *meſſem* vocat. Oriuntur oriente Sole in tauro circa ultimum Aprilis, aut initium Maii: occidunt oriente Sole, circa finem

Octo-



Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animaſque in vulnere ponunt.
Sin duram metues hyemem, parceſque futuro,
Contuſoſque animos & res miſerabere fractas;
At ſuffire thymo, ceraſque recidere inanes
Quis dubitet? nam ſæpe favos ignotus adedit
Stellio, lucifugis congeſta cubilia blattis:
Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis;
Aut durum tineæ genus, aut inviſa Minervæ
In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.
Quo magis exhauſtæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foros, & floribus horrea texent.
Si vero (quoniam caſus apibus quoque noſtros
Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo,
Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis:
Continuo eſt ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt:

Aut

*punctione immittunt, & affixæ venis relinquunt aculeos occultos, & amittunt vitam in vulnere. Si vero timeas hyemem ſterilem, & provideas in futurum, & miſereſcas gentis afflictæ opumque direptarum: tamen quis omittat fumigare* eas *thymo, & auferre ceras ſuperfluas? Nam ſæpe occultus lacertus corroſit favos, cubilia plena* ſunt *blattis fugientibus lucem, & fucus iners otiatur prope alienum cibum, aut aſper crabro ſe miſcet* apibus, armatus *majori aculeo, aut importunum genus tinearum, aut Minervæ odioſa aranea ſuſpendit in portis telas tenues. Quo magis fuerint evacuatæ, eo diligentius omnes contendent reparare jacturam gentis vexatæ, & replebunt cellas, & conficient favos e floribus. Si autem (quoniam vitæ* conditio *intulit quoque apibus noſtras miſerias) corpora earum langueant triſti ægritudine, poteris deinceps cognoſcere id ſignis non incertis. Statim ægræ habent alium colorem; horrida macies deturpat ſpeciem: tunc efferunt* ex *alvearibus cadavera carentium lumine, & ducunt triſtia funera;*

*aut*

## N O T Æ.

Octobris, aut initiū Novembris; vide G. 1. 221.

233. *Oceani amnes.*) Quia Oceanus terram ambit.

234. *Sidus fugiens piſcis aquoſi.*) Certe fugimus tantum inſequentes: at nullum proprie piſcium ſidus Pleiades ſequitur, ſed antecedit. Nodum hunc ut ſolvat Petitus, verſum ſic interpungit. *Aut eadem ſidus fugiens, ubi piſcis aquoſi triſtior hybernas cœlo deſcendit in undas:* hoc ſenſu: *Aut eadem fugiens ſidus*, id eſt Solem, *ubi deſcendit in undas hybernas piſcis aquoſi*, id eſt, in quas jam ſidus piſcium ante deſcendit. Alii aliter ſolvunt. Ego ſervata vulgari interpunctione, per piſcem aquoſum, intelligo *hydram*, qui ſerpens eſt in aquis degens, unde nomen habet ab ὕδωρ *aqua*: hoc enim ſidus, etſi in occaſu Pleiadum gradibus circiter quinquaginta ab iis diſtet, tamen eas ſubſequitur, iiſque videtur imminere.

238. *Animaſque in vulnere ponunt.*) Hoc inde fit, quia aculeus cum alvo, ſive inteſtino, conſertus eſt; & cum infixus fuerit, e vulnere retrahi nequit ſine alvi ruptione.

239. *Sin duram, &c.*) Si providens in futurum nolis mella omnino detrahere, ne per hyemem deficientibus floribus apes fame pereant; relinque partem aliquam mellis ad cibum hybernum; & interim purga alvearia a noxiis peſtibus; ut ſunt ſtellio, Ital. *Tarantola*, blatta, *Tarlo*, fucus, *Veſpa*, crabro, *Calabrone*, tinea, vermiculi genus, corrodens veſtes & alia, &c.

246. *Inviſa Minervæ aranea.*) Arachne, Lydia, lanificii arte auſa cum Minerva contendere; ægre ferens opus ſuum ab eadem confractum eſſe, ſuſpendio ſibi vitam abſtulit: a Minerva in araneam transformata eſt.

250. *Foros.*) *Fori* ſunt ſpatia in navibus apertiora, tabulata, in quibus inceditur: unde nomen habent, vel a *ferendo*, vel quod *foris* emineant. Sunt item in circo ejuſmodi ſpatia, e quibus videntur ſpectacula. Hinc diminutivum eſt *foruli*, quæ ſunt apud Svet. & Juven. librorum conditoria in Bibliothecis. Hic pro cellulis melleis uſurpantur.

251. *Si vero, &c.*) VI. PARS. *De morbis apum, eorumque ſignis & remediis.*

257. Pr-

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clauſis cunctantur in ædibus omnes,
Ignavæque fame, & contracto frigore pigræ.
Tum ſonus auditur gravior, tractimque ſuſurrant:
Frigidus ut quondam ſilvis immurmurat Auſter,
Ut mare ſollicitum ſtridet refluentibus undis,
Æſtuat ut clauſis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam galbaneos ſuadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem, & feſſas ad pabula nota vocantem.
Proderit & tunſum gallæ admiſcere ſaporem,
Arenteſque roſas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel pſythia paſſos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, & graveolentia centaurea.
Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.
Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſilvam,
Aureus ipſe: ſed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus aræ.

Aſper

*aut eædem dependent ad portam ſimul implicatæ pedibus: aut omnes intus clauſæ morantur in alvearibus, deſides præ fame, & pigræ præ frigore contrahunt* membra. *Tum murmur obſcurius auditur & ſuſurrant* longo *tractu: quemadmodum Auſter frigidus aliquando ſibilat in ſilvis; quemadmodum mare turbatum ſtridet fluctibus reciprocantibus; quemadmodum ignis fervens æſtuat* in *fornacibus clauſis. Tunc conſulo, ut galbanei odores urantur illic, & mella infundantur per cannas arundineas; ultro excitando & invitando apes languidas ad cibum familiarem. Juvabit etiam addere* huic melli *ſuccum gallæ contritæ, & roſas ſiccas, vel muſtum multo igne ſpiſſatum, vel paſſas uvas e pſythia vite, & thymum Atticum, & centaurea gravia odore. Eſt etiam in pratis flos, cui agricolæ dedere nomen amelli: planta* eſt *facilis repertu. Quippe uno e ceſpite erigit magnam copiam caulium: aureus ipſe* eſt; ſed *purpura violæ nigricantis ſublucet in foliis, quæ multa in orbem ambiunt* floſculum. *Sæpe altaria Deorum ornantur torquibus* amello *implexis.*

Sapor

## NOTÆ.

257. *Pedibus connexæ, &c.*) Non puto hic *uvam* ſignificari: ſiquidem ut lætitiæ indiciũ apponitur infra, v. 558. Itaque intellige de ſingulis aut pauculis apibus, quæ vel mortuæ, vel languidæ pedibus adhærent ad limina.

261. *Frigidus Auſter.* Quilibet ventus: Auſter enim non frigidus, ſed humidus eſt. Macrobius tamen ait frigidum eſſe ab origine, & humidum fieri cum per zonæ torridæ plagam ad nos commeat. *Quondam.*) Aliquando. Sic G. 3. 99. *Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis incaſſum furit.*

264. *Galbaneos, &c.*) Galbanum, χαλβάνη, gummi e narthece ſive ferula, in Syria: hujus odor fugat ſerpentes. Ital. *Galbano*. Defrutum, vinum coctum, de quo G. 1. 295. Racemi paſſi, Ital. *Zibibo*: quem in uſum apta præ ceteris vitis Pſythia, de qua G. 2. 93. Centaurea, orum; vel centauria, æ; & centaurium, ii; Ital. *centaurea*: herba quæ nomen traxiſſe dicitur a Chirone Centauro; quia adhibita vulneri, quod ipſi Herculis ſagittę fecerat, eum ſanavit. *Cecropium thymum*, quia frequens in Hymetto monte Atticæ regionis, in qua primus regnavit Cecrops. *Amellus* certiſſime eſt *Aſter Atticus*, id eſt, *ſtella Attica*, ob formam & patriam ſic dicta: Aliter *bubonium*, id eſt, *inguinalis*; quod inguinum doloribus medeatur: in hortis viſu notiſſima, Italice *Amello*.

278. *Mellæ.*) Vel Melæ, fluvii Galliæ Ciſalpinæ, prope Brixiam. Unde nomen habet *amellus flos*, juxta Servium.

281. *Sed ſi quem, &c.*) VII. PARS. *De reparatione apum, ejuſque reparationis inventore Ariſtæo.* Is Apollinis filius fuit ex Cyrene filia Penei fluminis, vel regis: in Arcadia deinde regnaſſe dicitur; & apum ac mellis uſum, lactiſque coagulum inveniſſe; v. G. 1. 14.

287. *Qua Pellæi, &c.*) Locus perdifficilis. Vult Cerdanus duplicem hic regionem ſignificari, Ægyptum & Indiam: duplicem fluvium, Nilum & Indum: utrobique inventam eſſe artem reparandarum apum. Sed refutatur: tum quia non eſt veriſimile quod contendit, verſum hunc ſuppoſitum eſſe, &

*viri-*



Aſper in ore ſapor: tonſis in vallibus illum
Paſtores, & curva legunt propa flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone caniſtris.
Sed ſi quem proles ſubito defecerit omnis,
Nec genus unde novæ ſtirpis revocetur, habebit;
Tempus & Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quoque modo cæſis jam ſæpe juvencis
Inſincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine, famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis;
Quaque pharetratæ vicinia Perſidis urget,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora
Uſque coloratis amnis devexus ab Indis;
Omnis in hac certam regio jacit arte ſalutem.
Exiguus primum, atque ipſos contractus ad uſus
Eligitur locus: hunc anguſtique imbrice tecti
Parietibuſque premunt arctis: & quattuor addunt

Quat-

*Sapor illius aſper eſt palato: paſtores colligunt eum in pratis demeſſis, & ad flexuoſa fluenta Mellæ. Coque radices illius in vino optimo, & plenis calathis offer* apibus *in cibum ad foramina* alvearis. *Sed ſi aliquis amiſerit ſubito totam gentem, nec habeat, unde reparetur genus novæ familiæ:* tunc *tempus* eſt *aperire inventum memorabile Arcadii apiarii; & quomodo occiſis bobus, jam ſæpe ſanguis putridus produxerit apes. Narrabo famam omnem hujus facti, repetens* eam *altius a prima origine. Nam, qua* parte *felix natio Pellæi Canopi accolit Nilum inſidentem* agris *inundante flumine, & circumnavigat ſuos agros in naviculis verſicoloribus; &* qua parte regiones *vicinæ Perſis pharetratis attingunt* Ægyptum; & *qua* parte *fluvius defluens ab uſque nigris Æthiopibus fœcundat Ægyptum nigro limo, & præcipitans exonerat ſe in oſtia ſeptem diſtincta; tota regio collocat in hoc invento ſpem certam. Primum quæritur locus anguſtus, & arctatus ad hunc ipſum uſum: hunc tegulis parvi tecti & contractis muris coarctant: adjunguntque quatuor*

*feneſ-*

## NOTÆ.

*viridem Ægyptum nigra fœcundat arena*, qui verſus plane de Nilo intelligi debet, & locus ipſe totus de Nilo, non de Indo: tum quia male diceretur Indus devexus ab Indis, cum Indiæ fines non egrediatur. Abramus hic comminiſcitur neſcio quid de Gange Indico fluvio, qui per ſubterraneos meatus erumpat in Ægyptum, ibique Nilum efficiat. Ego omnia de Nilo interpretor, & quæ duo videntur obſtare, ſic explico. I. dicitur *Devexus ab Indis*, id eſt, Æthiopibus, qui ab antiquis Indi vocabantur, ut jam notavimus G. 2. 171. Et vero quicquid olim jactatum ſit de ignotis Nili fontibus, nunc compertum eſt oriri ex duobus fontibus ad radices Lunæ montium, ad meridiem lacus ingentis, quem impermixtis aquis mox deinde præterfluit. Lacus dicitur *Zembre*. II. *Vicinia Perſidis urget*, reipſa Ægyptum, non inquam ipſa Perſis, ſed vicinæ Perſidis regiones, nempe Arabia, Syria, &c. quæ omnia Perſidis nomine comprehendit, quia ſubjectæ aliquando fuerant Perſarum imperio, Cyri nempe & Cambyſis ejus filii, qui Ægyptum ipſum ditioni adjecit. Solet autem Virgilius terminos regionibus, quam poteſt latiſſimos, aſſignare: ut vidimus Ecl. 1. 63. & G. 1. 490. Nunc ſingulæ voces explicandæ.

*Canopus.*) Urbs eſt Ægypti, quam poeta innuit vicinam eſſe Alexandriæ, cum Canopum vocat *Pellæum*, id eſt, *Alexandrinum*. Alexander enim, conditor Alexandriæ, in urbe Macedoniæ Pella natus erat. Per *Gentem Canopi* Ægyptios omnes intelligit, quia urbs illa erat antiquiſſima, ſita ad maximum e ſeptem oſtiis, quibus Nilus in mare ſe exonerat. *Gens fortunata.*) Propter fertilitatem regionis.

288. *Stagnantem flumine Nilum.*) Quia ſole in cancrum ſubeunte, creſcere incipit per centum dies ad uſque Autumnum: qua exundatione fœcundantur agri, per quos itur phaſelis & navigiis anguſtis, ex arundine papyracea.

290. *Pharetratæ Perſidis.*) Quia Perſæ equitatu, venatione, & ſagittandi arte inſignes fuerunt: ſiti ad orientem Aſſyriæ, ad occidentem Aſiæ, ad meridiem Parthiæ, ad ſeptentrionem ſinus Perſici. De *Indis*, G. 1. 57.



298. *Qua-*

Quattuor a ventis obliqua luce feneſtras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares, & ſpiritus oris
Multa reluctanti obſtruitur, plagiſque perempto
Tunſa per integram ſolvuntur viſcera pellem.
Sic poſitum in clauſo linquunt: & ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta, thymum, caſiaſque recentes.
Hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Æſtuat: & viſenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox & ſtridentia pennis
Miſcentur, tenuemque magis, magis aera carpunt:
Donec, ut æſtivis effuſus nubibus imber,
Erupere, aut ut nervo pulſante ſagittæ,
Prima leves ineunt ſi quando prælia Parthi.
Quis Deus hanc, Muſæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingreſſus hominum experientia cepit?
Paſtor Ariſtæus, fugiens Peneïa Tempe,
Amiſſis, ut fama, apibus morboque fameque,
Triſtis ad extremi ſacrum caput aſtitit amnis,
Multa querens: atque hac affatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes: quid me præclara ſtirpe Deorum
(Si

*feneſtras, obliquo lumine, a quatuor ventis. Tum quæritur juvencus, jam flectens cornua in fronte bimi; huic multum repugnanti clauduntur ambæ nares, & afflatus oris; & huic interfecto verberibus, contuſa viſcera putreſcunt intra pellem non laceratam. Sic relinquunt depoſitum in loco clauſo, & lateribus ſubſternunt fragmina ramorum, thymum, & caſias novas. Hoc fit, cum primum zephyri agitant aquas, antequam campi pingantur novis coloribus* florum, *antequam loquax hirundo defigat nidum* in tignis domorum. *Interea humor calefactus in oſſibus teneris effervescit; & congregantur mirabili modo animalia digna viſu, primo carentia pedibus, deinde alis etiam ſtrepitantia, & magis magiſque tentant auras tenues: donec evolent tam denſe, quam imber cadens per æſtatem e nubibus, aut quam ſagittæ ex arcu emittente, ſi quando fugaces Parthi faciunt præludia pugnandi. O Muſæ, quis Deus invenit hanc artem in noſtra commoda? Unde nova hæc hominum experientia cepit exordium? Paſtor Ariſtæus relinquens Tempe, quæ Peneo* alluuntur, *apibus amiſſis per morbum & famem, ut narratur, ſtetit mæſtus ad ſacrum fontem ſummi fluvii, multum querendo; & allocutus eſt matrem his verbis: Mater Cyrene, mater quæ habitas in fundo hujus fontis, cur me produxiſti odioſum fatis ex illuſtri Deorum genere, ſi modo Thymbræus Apollo pater meus eſt, ut memoras?* aut

NOTÆ.

298. *Quattuor a ventis.*) Qui flant e quatuor mundi cardinibus ſive partibus oppoſitis, unde *cardinales* vocantur: Eurus ab oriente, Zephyrus ab occidente, Boreas a ſeptentrione, Notus a meridie.

300. *Nares & ſpiritus, &c.*) Oculi etiam, & partes omnes ad halitum aut egeſtionem neceſſariæ, linteo piceoblito obſtruebantur.

302. *Per integram. &c.*) Nec enim laceranda eſt pellis & cruentanda, ſed paullatim ictibus maceranda; ita ut viſcera, carnes, & oſſa etiam comminuantur intra pellem. Id cavendum admonet auctor Geoponicarum præceptionum.

304. *Caſiaſque.*) Roſmarinum, vel lavendulam. Ecl. 2. 49.

305. *Hoc geritur zephyris, &c.*) Id eſt, circa initium veris: monetque auctor Geoponic. per tres hebdomadas includendum eſſe, donec putreſcat.

310. *Trunca pedum, &c.*) Hinc aliqui dictas volunt *apes*, quaſi ἄποδες, *ſine pedibus*; ſed verum etymon retuli Ecl. 7. 13.

311. *Magis, magis aera carpunt.*) Exprimit primos conatus ad volandum, cum alas ventilant.

314. *Levis .... Parthi.*) De iis E. 1. 62. Levitatem refero, vel ad fugæ dolos, vel ad equitandi peritiam.

317. *Paſtor, &c.*) VIII. PARS. *Fabulæ Ariſtæi & Orphei, Epilogi loco. Tempe.*) Theſſaliæ vallis eſt, quam Peneus fluvius præterfluit, G. 2. 469. Fugiebat ille Tempe, ubi degebat, ut ad caput, ſive fontem Penei fluvii, qui matris ſuæ Cyrenes patere erat, excurreret, quaſi ad maternam domum. De *Ariſtæo* ſupra v. 283. & G. 1. 14.

323. *Thymbræus.*) Apollinis cognomen a Thym-



(Si modo, quem perhibes, pater eſt Thymbræus Apollo)
Inviſum fatis genuiſti? aut quo tibi noſtri
Pulſus amor? quid me cœlum ſperare jubebas?
En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſolers
Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age, & ipſa manu felices erue ſilvas:
Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes:
Ure ſata, & validam in vites molire bipennem:
Tanta meæ ſi te ceperunt tædia laudis.
At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit: eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore:
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla;
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, & flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores;
Clioque, & Beroe ſoror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;
Atque Ephyre, atque Opis, & Aſia Deiopeia;
Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martiſque dolos, & dulcia furta,
Aque

*aut quonam depulſus eſt a te amor tuus erga me? Cur jubebas me ſperare* honores *immortalium? Ecce amitto, cum ſis mea mater, hunc ipſum honorem vitæ mortalis, quem diligens cura frugum & pecorum pepererat mihi exploranti omnia. Age ergo, ipſa etiam evelle manu fœcundas arbores, immitte infeſtum ardorem in pecora, & eneca ſegetes, incende agros, & impelle validam ſecurim in vites: ſi tanta negligentia meæ gloriæ cepit te. At mater percepit ſonum* vocis *e cubili profundi fluvii: circa eam Nymphæ nebant Mileſiam lanam, tinctam multo colore vitri, & Drymo, & Xantho, & Ligea, & Phyllodoce*, quarum *coma ſublucens diffuſa erat per colla candida; Neſæe, & Spio, & Thalia, & Cymodoce, & Cydippe, & flava Lycorias; altera* adhuc *virgo, altera jam paſſa primam difficultatem partus, & Clio, & ſoror* ejus *Beroe, ambæ Oceani filiæ, ambæ veſtitæ auro, & verſicoloribus pellibus; & Ephyre, & Opis, & Aſia Deiopeia, & velox Arethuſa, ſagittis denique depoſitis. Inter quas Clymene narrabat vanam ſollicitudinem Vulcani*, de cuſtodienda Venere, *& fraudes, jucundaque furta Martis;* & nu-

NOTÆ.

Thymbra Troadis oppido, ubi templum ejus celebre, in quo ferunt Achillem a Paride fuiſſe occiſum.

330. *Stabulis inimicum ignem.*) Vel incendium, vel potius ſacrum illum ac peſtiferum ignem, de quo G. 3. 566.

331. *Bipennem.*) Securim utrimque acutam, *a bina pinna*: nam *pinnæ* ſunt quædam faſtigia; ut ſummitates in templis, quæ vocantur *pinnacula*.

334. *Mileſia vellera.*) Precioſa, ex urbe Mileto, in finibus Ioniæ & Cariæ. Species eſt pro genere.

335. *Hyali colore.*) Vitreo, inter cœruleum, & viridem medio: ab ὕαλος *vitrum*.

336. *Drymoque, &c.*) Nympharum nomina partim ex Homero l. 18. 39. partim ex Heſiodo in Theogon. 245. Drymo, a δρυμὸς *ſilva quercea*. Xantho, a ξανθὸς *flava*. Ligea, a λιγεῖα *canora*. Phyllodoce, a φύλλον *folium*, & δέχομαι *capio*. Neſæe, Νησαίη, a νῆσος *inſula*. Spio, a σπέος *ſpelunca*. Thalia, a θάλλω *floreo*. Cymodoce, a κῦμα *unda*, & δέχομαι *capio*. Cydippe, a κῦδος *gloria*, & ἵππος *equus*. Lycorias, a λύκος *lupus*. Clio, a κλείω *laudo*. Ephyre, a φυρω *vigo*. Opis, ab ὤψ, ὠπὸς, *vultus*. Deiopeia, a δαίω, *ardens*, & ὄψ, ὀπὸς *vox*. Aſia eadem appellatur, adjectivo nomine, quia ex Aſia palude, de qua G. 1. 383. Clymene, a κλύω, *audio*. Arethuſa, primo venatrix & Dianæ comes, tum ſagittis & venatione dimiſſa, ab eadem mutata in fontem, Ecl. 10. 1.

340. *Lucinæ.*) De hac partuum præſide Dea, Ecl. 4. 10.

345. *Curam inanem Vulcani, &c.*) Venus Vulcani conjux Martem amavit; in adulterio deprehenſa eſt a marito; & ſubtiliſſimis vinculis cum adultero irretita, Deorum ludi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aque Chao denſos Divum numerabat amores.
Carmine quo captæ, dum fuſis mollia penſa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Ariſtæi, vitreiſque ſedilibus omnes
Obſtupuere: ſed ante alias Arethuſa ſorores
Proſpiciens, ſumma flavum caput extulit unda.
Et procul: O gemitu non fruſtra exterrita tanto,
Cyrene ſoror; ipſe tibi, tua maxima cura,
Triſtis Ariſtæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrymans, & te crudelem nomine dicit.
Huic percuſſa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos; fas illi limina Divum
Tangere, ait. Simul alta jubet diſcedere late
Flumina, qua juvenis greſſus inferret: at illum
Curvata in montis faciem circumſtetit unda,
Accepitque ſinu vaſto, miſitque ſub amnem.
Jamque domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisque lacus clauſos, lucoſque ſonantes,
Ibat; & ingenti motu ſtupefactus aquarum,
Omnia ſub magna labentia flumina terra
Spectabat diverſa locis, Phaſimque, Lycumque,

Et

*& numerabat frequentes amores Deorum ab uſque Chao. Quibus cantilenis intentæ dum verſant fuſis molles lanas, rurſus querela Ariſtæi perculit aures matris, & omnes e vitreis ſedibus obſtupuerunt: ſed ante alias ſorores Arethuſa proſpectans extulit flavum caput e ſuperficie aquæ. Et procul dixit: O Cyrene ſoror non fruſtra obſtupefacta tanto luctu, ipſe mœſtus Ariſtæus, tua maxima cura, adſtat tibi lacrymans ad fontem Penei patris* ſui: *& te appellat nomine crudelem. Huic reſpondit mater, percita mentem novo timore: Age, duc* illum *ad nos*; *licet* illi *in domum Deorum ingredi. Statimque juſſit ut aquæ late dividerentur, qua juvenis dirigeret paſſus: at aqua accumulata in ſpeciem montis cinxit ipſum, & excepit magno gremio, & admiſit intra fluvium. Jamque ibat admirans domum matris, & regna liquida, & aquas clauſas in receptaculis, & ſilvas reſonantes: & ſtupefactus magno motu aquarum, conſiderabat omnes fluvios labentes ſub magna terra, diſtinctos locis, & Phaſim, & Lycum,*

*& fon-*

## N O T Æ.

ludibrio expoſita eſt. *Cuſtam inanem Vulcani* appellat, ſive in cuſtodienda uxore, ſive in eadem irretienda: neque enim illa vincula opprobrium Vulcani ſuſtulere, ſed evulgavere. De *Vulcano*, G. 1. 295. De *Marte*, Ecl. 9. 12.

347. *Aque Chao.*) Ita reſtituit Heinſius ex antiquis MSS. cum antea legeretur, *Atque Chao* & *Eque Chao*. Chaos, indigeſta moles, ex qua omnia eruperunt: vulgo numeratur inter ea nomina, quæ per caſus non declinantur; tamen hic ablativus eſt *Chao*. Senſus eſt: Narrabat Clymenes amores Deorum, incipiens, vel a prima mundi formatione, vel ab ipſo Chao, qui primus Deorum fuit juxta Heſiodum in Theogon. v. 116. ubi Deorum progenitores conſtituit, *Chaos*, *Tellurem*, & *Amorem*.

348. *Mollia penſa.*) Manipulos lanæ. *Penſum*, vel a *pendeo*, quia pendet e colo; vel potius a *pendo*, quia appenditur, & cuique aſſignatur cum menſura & pondere.

358. *Fas illi*, &c.) Quia Deo patre, matre Nympha genitus eſt.

364. *Speluncisque lacus clauſos*, &c.) De fluviorum origine duæ ſunt opiniones præcipue; altera Platonis, altera Ariſtotelis. Plato eorum commune receptaculum infra terræ viſcera conditum putat; quem hic ſequitur Virgilius: Ariſtoteles e mari profluere exiſtimat, quem ſequitur Homer. Il. 21. 195. Admiratur Ariſtæus matris domum in illo communi receptaculo. *Lucos ſonantes* appellat poeta herbas in fluviis & lacubus magna copia enaſcentes, quæ aquarum interſtrepentium motu agitantur.

367. *Phaſimque, Lycumque*, &c.) *Phaſis* fluvius nobilis in Colchide, oriens in Armeniæ montibus, in pontum Euxinum labens: circa quem frequentes aves, inde dicti Phaſiani, Ital. *fagiani*. *Lycus* multiplex: præcipuus in eadem Colchide. *Enipeus* in Theſſalia, Pharſalicos campos irrigans. *Tiberinus* & *Anio* in Italia. *Hypanis* in Scythia. *Caicus* in Myſia. *Eridanus* in Italia: de eo G. 1. 482.

368. *Se erumpit.*) Sic Lucretius L. 4. 1108. *Se erupit venis collecta cupido.*

371. *Et gemina*, &c.) Tauri forma a poetis vulgo fluviis omnibus attribuitur; unde Horatius Od. 4. 14. *Sic tauriformis volvitur Aufidus.* Id autem fit, vel quia fluvii aquarum

pleni



Et caput, unde altus primum ſe erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta,
Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſuſque Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.
Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, & nati fletus cognovit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Pars epulis onerant menſas, & plena reponunt
Pocula; Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.
Et mater: Cape Mæonii carcheſia Bacchi,
Oceano libemus, ait. Simul ipſa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphaſque ſorores,
Centum quæ ſilvas, centum quæ flumina ſervant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam:
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, ſic incipit ipſa:
Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piſcibus æquor,

Et

*& fontem, ex quo Enipeus emittit ſe primo, & ex quo pater Tibris, & ex quo fluvius Anio, & Hypanis ſtrepens inter ſaxa, & Caicus Myſiæ, & Eridanus deauratus* circa *duo cornua taurini vultus, quo nullus alius amnis rapidior currit per agros fertiles in mare ſplendidum. Poſtquam pervenit in tecta cubiculi* ſtructa *e pumice impendente, & Cyrene cognovit immoderata lamenta filii: ſorores per ordinem invergunt aquas manibus, & offerunt mappas corraſis pilis: pars onerat menſas cibis, & ponit pocula plena* vino; *altaria incenduntur ignibus thureis. Et mater ait: Accipe duo pocula vini Lydii*, hoc *effundamus* in honorem *Oceani. Simul ipſa orat & Oceanum parentem rerum & Nymphas ſorores* ſuas, *quæ tuentur innumeras ſilvas, & innumeros fluvios. Ter reſperſit ardentem flammam puro vino; ter flamma ſuppoſita emicuit ad* uſque *ſummum tecti. Quo omine corroborans animum* illius, *ſic ipſa incipit: In Carpathio ſinu maris vates eſt, Proteus cæruleus, qui* invectus *piſcibus magnum mare perambulat,*

*&*

## N O T Æ.

pleni mugitum taurorum imitantur; vel quia terram ſulcant inſtar boum; vel quia flexuoſos dividuntur in alveos, qui vocatur *cornua*. *Auratus* dicitur Eridanus, maxime propter ſtellas, quibus in cœlo inſignis eſt; eſt enim aſtrum hujus etiam nominis. *Gemina cornua*. Quia etſi in plura, tamen in duo præcipua dividitur.

372. *Pinguia culta.*) Vide ſupra v. 126. *Flaventia culta.*

373. *In mare purpureum.*) Poetæ *purpureum* dixere, quidquid nitet ac ſplendidum eſt: quale eſt *mare*, Sole præſertim affulgente. Catullus quercus *ramos purpureos* appellavit: Albinovanus ad Liviam, *purpuream nivem*: Horatius, *purpureos olores*.

374. *Pendentia pumice tecta.*) *Pumex*, lapis ob foraminum multitudinem leviſſimus, *pietra pomice*.

379. *Panchæis adoleſcunt*, &c.) Nullum fere convivium apud antiquos abſque re ſacra & libatione: vide Æn. 1. 727. De thure Panchææ regionis in Arabia, G. 3. 129. De *libatione* Ecl. 7. 33.

380. *Mæonii carcheſia Bacchi.*) *Carcheſium* ex Athenæo eſt poculum oblongum circa mediam partem mediocriter compreſſum, anſis a ſummo ad infimum pertinentibus. *Mæonium* vinum, id eſt Lydium: Lydia enim Aſiæ minoris regio, prius Mæonia dicta eſt, arboribus fere carens, & vite conſita, ex Strabone l. 3.

382. *Oceanumque patrem rerum.*) Ex Orpheo & Homero multis locis, eorumque philoſophorum ſententia, qui, Thalete Mileſio duce, ex aqua putabant conſtare omnia: Cicero meminit Academ. 2.

384. *Ter .... nectare Veſtam.*) De myſteriis numeri ternarii, Ecl. 8. 75. De *nectare*, quod hic pro vino ſumitur, Ecl. 5. 71. De *Veſta* Dea, quæ hic pro igne uſurpatur, G. 1. 498.

387. *Carpathio.*) Pars mediterranei maris *Carpatho* circumjecta: quæ inſula eſt, obverſa Ægypto, inter Cretam & Rhodum media; hodie *Scarpanto*. De *Neptuno* G. 1. 14.

388. *Proteus.*) Neptuni & Phœnices, vel Oceani & Tethyos filius: Ægyptius genere, juxta Homerum; ſed juxta Virgilium ex peninſula *Pallene*, quæ eſt in Macedonia, inter ſinum Thermaicum & Toronaicum. Regnavit in Ægypto, ex communi opinione; ex Platone, ibidem ſophiſta fuit, ex Luciano, hiſtrio: unde eum quas vellet, induiſſe formas & mutaſſe memorant. Aiunt & hunc fuiſſe paſtorem Neptunii pecoris, nempe phocarum; & Neptunum, ejus in gratiam, e quodam Pallenes hiatu ſpeluncam ſub mari feciſſe, qua illi in Ægyptum uſque iter pervaxit.

385. Et

Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus, patriamque reviſit
Pallenen; hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe
Grandævus Nereus: novit namque omnia vates.
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno viſum eſt: immania cujus
Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi cauſam, eventuſque ſecundet.
Nam ſine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes: vim duram & vincula capto
Tende: doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipſa ego te, medios cum Sol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab undis
Se recipit: facile ut ſomno aggrediare jacentem.
Verum ubi correptum manibus, vincliſque tenebis,
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum.
Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque tigris,
Squamoſuſque draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla;
Donec talis erit, mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina ſomno.
Hæc ait, & liquidum ambroſiæ diffudit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis compoſitis ſpiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Eſt ſpecus ingens

Exe-

*& curru equorum* habentium *duos pedes. Hic nunc reviſit portus Emathiæ, Pallenenque patriam: hunc* nos *Nymphæ veneramur, hunc & ipſe Nereus ſenior* colit: cum enim ſit *vates, cognoſcit omnia, & quæ ſunt* præſentia, *& quæ præterita, & quæ poſt immineant futura. Nam ſic placuit Neptuno, cujus ducit ſub mari magnos greges & phocas infames. O nate, ille primo tibi ſtringendus eſt catenis, ut explicet tibi omnem originem morbi, & det bonos ſucceſſus. Quippe nulla dabit* tibi *conſilia niſi coactus, neque vinces illum precando. Quando ceperis* illum, *injice* illi *vim durorum vinculorum: contra hæc* vincula *fraudes* ejus *inutiles cadunt. Ego ipſa, cum Sol calefecerit medium diem, cum herbæ ſiccæ ſunt, & umbra jam jucundior eſt gregibus, ducam te in latebras ſenis, in quas ſe recipit e mari fatigatus; ut facile invadas* eum *ſtratum ſomno. Sed cum tenebis* illum *comprehenſum manibus & vinculis, tunc variæ figuræ & vultus belluarum* te *decipient. Nam repente apparebit ſus horribilis, & ſæva tigris, & ſerpens ſquameus, & leæna rufo capite, aut emittet ſtridorem acutum flammæ, & ſic expediet* ſe *e vinculis, aut effugiet ſolutus in aquas tenues. Sed quo magis ille mutabit ſe in omnes figuras, eo magis, o nate, conſtringe vincula retinentia; uſque dum evadat talis transformato corpore, qualem aſpexeris, cum ſomnus inceptus clauderet oculos. Hæc dixit, & ſparſit liquidum odorem ambroſiæ, quo perunxit totum filii corpus; at illi ſuavis odor exivit e capillis unctis, & conveniens robur inditum eſt membris. Eſt ingens antrum*

in

## N O T Æ.

389. *Et juncto bipedum, &c.*) Eoſdem & piſces & equos appellat; ſed bipedes, equos videlicet marinos, qui pedes duos partemque corporis anteriorem habent equorum, poſteriore deſinunt in piſces.

390. *Emathiæ.*) Macedonia eſt, G. 1. 492. De *Pallene* mox diximus. De *Nereo*, Ecl. 6. 35.

415. *Ambroſiæ.*) Cibus eſt Deorum; *Nectar* potus: confunduntur tamen ſæpe, ut hic, ubi *liquidus odor* dicitur ambroſiæ: Ecl. 5. 71.

418. *Habilis venit vigor.*) Ut luctari facile poſſet cum Proteo, cōtra vincula obluctaturo.

421. Sta-



Exeſi latere in montis; quo plurima vento
Cogitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos,
Deprenſis olim ſtatio tutiſſima nautis.
Intus ſe vaſti Proteus tegit objice ſaxi.
Hic juvenem in latebris averſum a lumine Nympha
Collocat, ipſa procul nebulis obſcura reſiſtit.
Jam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat cœlo, & medium Sol igneus orbem
Hauſerat: arebant herbæ, & cava flumina ſiccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Cum Proteus conſueta petens e fluctibus antra
Ibat: eum vaſti circum gens humida ponti
Exultans, rorem late diſpergit amarum.
Sternunt ſe ſomno diverſæ in litore phocæ.
Ipſe (velut ſtabuli cuſtos in montibus olim,
Veſper ubi e paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditique lupos acuunt balatibus agni)
Conſidit ſcopulo medius, numerumque recenſet.
Cujus Ariſtæo quoniam eſt oblata facultas,
Vix defeſſa ſenem paſſus componere membra,
Cum clamore ruit magno, maniciſque jacentem
Occupat. Ille ſuæ contra non immemor artis,
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In ſeſe redit, atque hominis tandem ore locutus.
Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos? quidve hinc petis? inquit. At ille:

Scis,

*in latere montis excavati, quo plurimi fluctus pelluntur* vi *ventorum, & finduntur in ſinus replicatos;* quod eſt *aliquando receptaculum tutiſſimum nautis periclitantibus. Proteus occultat ſe intus objectu ingentis ſaxi. Hic Nympha conſtituit juvenem in inſidiis remotum a luce, ipſa remanet procul latens in nube. Jam rapidus Sirius, comburens ſitientes Indos, ardebat* in *cœlo, & Sol flammeus ſiccaverat medium orbem; herbæ areſcebant, & radii urebant* uſque *ad limum profunda flumina calefacta ſiccatis alveis: cum Proteus exibat e mari petens ſolitam ſpeluncam: circa eum genus humidum magni maris exiliens ſpargit late aquam ſalſam. Vituli marini abjiciunt ſe* præ *ſomno ſeparati in litore. Ipſe Proteus (quemadmodum aliquando cuſtos armenti in montibus, cum Heſperus revocat vitulos e paſtione ad ſtabulum, &* cum *agni auditi* a lupis *excitant eos balatibus) ſedet in rupe in medio* armentorum, *& recognoſcit* eorum *numerum. Siquidem offertur Ariſtæo copia hujus* capiendi; *vix paſſus ſenem diſponere* ad ſomnum *corpus fatigatum, irruit* in eum *magno clamore, & invadit vinculis dormientem. Contra Proteus, non oblitus ſuæ induſtriæ, vertit ſe in omnia prodigia rerum, &* in *ignem, &* in *belluam horribilem, &* in *amnem fluentem. Sed poſtquam nulla fraus invenit* modum *fugiendi, victus revertitur ad propriam* formam, *ac demum locutus eſt ore humano. At quis tibi, audaciſſime juvenum, imperavit ut veniret* in *meam domum? aut quid a me poſtulas? ait. Ille autem* reſpondit:

*Scis,*

## N O T Æ.

421. *Statio tutiſſima.*) Vel in ipſo ſpecu, vel in cacumine rupis, vel inter rupem ipſam, & continentem: videtur enim rupes non in litore, ſed in ipſo mari fuiſſe, non longe a litore; ideoque ſpatii ſatis rupem inter & litus fuiſſe interjectum, ut poſſent illic ſtare naves, adverſus vim ventorum, rupis objectu defenſæ. *Olim*, aliquando, G. 3. 303.

425. *Sirius Indos, &c.*) Significat calorē tunc fuiſſe vehementiſſimū, qualis eſt tempore *meridiano*, per dies *caniculares*. Meridiem iſta exprimunt, *medium Sol igneus orbem*, &c. Caniculares dies efficit *Sirius*, ſtella in ore majoris canis, de qua G. 2. 353. *Indos.*) Pro quibuslibet calentibus plagis: de iis G. 1. 57.

434. *Veſper.*) Heſperus, ſtella Veneris, de qua Ecl. 6. 86.

447. *Ne-*

Scis, Proteu, ſcis ipſe; neque eſt te fallere cuiquam.
Sed tu deſine velle: Deum præcepta ſecuti
Venimus huc, lapſis quæſitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multa
Ardentes oculos intorſit lumine glauco,
Et graviter frendens, ſic fatis ora reſolvit.
Non te nullius exercent numinis iræ;
Magna luis commiſſa: tibi has miſerabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata reſiſtant)
Suſcitat, & rapta graviter pro conjuge ſævit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos
Implerunt montes: flerunt Rhodopeïæ arces,
Altaque Pangæa, & Rheſi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithyia.
Ipſe cava ſolans ægrum teſtudine amorem,
Te, dulcis conjux, te ſolo in litore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat. Tæ-

*Scis, o Proteu, ſcis ipſe; neque ullus poteſt te decipere. Tu vero ceſſa velle* fallere me: *obſecuti juſſis Deorum venimus huc, ad petendum oraculum,* quod medeatur *damnis rerum* noſtrarum. *Hæc ſolum locutus* eſt. *Poſtea vates magno denique conatu defixit oculos cærulea luce* coruſcantes; *& minaciter collidens* dentes, *ſic aperuit os ad fata evulganda. Alicujus Dei ultio te perſequitur: ſolvis* pœnam *magni ſceleris: Orpheus, nequaquam propter meritum miſer, imprecatur tibi has pœnas, (niſi fata obſtent) & atrociter furit ob conjugem* ſibi *ereptam. Illa quidem virgo moritura, dum te fugeret currens juxta fluvios, non animadvertit ante pedes alta in herba magnum ſerpentem degentem in ripa. At turba Dryadum ejuſdem ætatis impleverunt clamoribus ſummos montes; ploraverunt rupes* Rhodopeiæ, *& Pangæus altus, & Martia terra Rheſi, & Getæ, & Hebrus, & Attica Orithyia. Orpheus leniens cava cithara dolorem amoris, ſolus canebat te, o dulcis uxor, te deſerta in ripa, te die oriente, te die occidente, ſolus canebat.* In-

## N O T Æ.

447. *Neque eſt te fallere cuiquam.*) Pro, *nec licet cuiquam*; Græca locutio. Vide Ecl. 10. 46. *Nec ſit mihi credere.*

454. *Orpheus.*) Thrax: Calliope matre; patre, vel Apolline, vel Oeagrio Thraciæ fluvio. Ecl. 3. 46. De *Eurydice* Nympha, nihil admodum narratur præter ea, quæ habet hic locus.

455. *Haudquaquam ob meritum pœnas, &c.*) Triplex interpretatio. I. Abrahami: *omnino præter meritum*, id eſt, majores quam tu meruiſti. Non placet, quia antea Proteus *magna* vocavit ipſius *commiſſa*. II. Servii & aliorum: *non adhuc juxta meritum*: id eſt, minores, quam tu mereris. Sed ſane videntur verba aliud ſonare. III. Quam ſuggerit Taubmannus, qui refert hæc verba ad Orpheum: *miſerabilem nullo ſuo merito*, & in hac hæreo.

458. *Hydrum.*) Serpentem in aquis, humidiſque locis degentem, ab ὕδωρ *aqua*.

460. *Dryadum.*) Nympharum ſilveſtrium, a δρῦς *quercus*. Ecl. 2. 46.

461. *Flerunt Rhodopeïæ arces, &c.*) Enumerat varia Thraciæ loca, quæ Orphei dolore commota ſunt. *Rhodope.*) Mons eſt, de quo Ec. 6. 30. *Arces.*) Montes, rupes, ab ἄκρον *ſummum*: ſic G. 1. 240. *Riphæaſque arduus arces*. *Rhodopeïæ arces.*) Hiatus & contractio diphthongi longæ ante vocalem, Græco more.

462. *Pangæa.*) Neutrum plurale: ſingulare maſculinum eſt *Pangæus*, Thraciæ mons, in Macedoniæ confinio, Philippis urbi iminens.

462. *Rheſi Mavortia tellus.*) Prolepſis eſt, ſive anticipatio temporis: Rheſus enim Trojani excidii tempore vixit; Orpheo igitur poſterior. De *Rheſo*, Thraciæ rege, Martis filio, Æn. 1. 473. *Mavortia tellus.*) Thracia, quia Mars in Thracia natus, in Rhodope monte, ex Jove & Junone. De *Getis*, populis Scythiæ ac Thraciæ conterminis, G. 2. 115. De *Hebro*, Thraciæ fluvio, Ecl. 10. 65.

463. *Actias Orithyia.*) Erechthei Athenarum regis filia, rapta a Borea in Thraciam; ex eo peperit Calain & Zethen, quibus alæ deinde ſuccreverunt. *Actias* dicitur ab Attica regione. *Attica* enim ex Strabone l. 9. ſic appellata eſt deformato nomine ab *Actica*; cum a veteribus *Acte* vocata eſſet, quia tota litoralis, ἀκτὴ autem eſt *litus*. *Orithyia*, vox quatuor ſyllabarum, quarum mediæ duæ diphthongi ſunt, ὠρείθυια, unde verſus ſpondaicus eſt.

467. *Tænarias fauces.*) *Tænarus*, plur. *Tænara*



Tænarias etiam fauces, alta oſtia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, Maneſque adiit, regemque tremendum,
Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.
At cantu commotæ Erebi de ſedibus imis
Umbræ ibant tenues, ſimulacraque luce carentum:
Quam multa in ſilvis avium ſe millia condunt,
Veſper ubi, aut hybernus agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impoſitique rogis juvenes ante ora parentum.
Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.
Quin ipſæ ſtupuere domus, atque intima leti
Tartara, cæruleoſque implexæ crinibus angues
Eumenides; tenuitque inhians tria Cerberus ora;
Atque Ixionii vento rota conſtitit orbis.
Jamque pedem referens caſus evaſerat omnes, Red-

*Ingreſſus etiam Tænarias cavernas,* quæ ſunt *portæ profundæ inferorum, & ſilvam obſcuram tenebroſo metu, adiit Manes, & Plutonem timendum, & animos inſuetos leniri precibus hominum. At umbræ tenues,* cantu Orphei *excitæ ex infimis locis inferorum, & figuræ carentium lumine, incedebant: quam multa millia volucrum occultant ſe in ſilvis, quando Heſperus, aut frigida pluvia pellit eas e montibus: uxores, & mariti, & corpora fortium heroum ſpoliata vita, pueri, & puellæ innuptæ, & juvenes elati in buſta ante oculos parentum. Quos limus niger, & fœdæ arundines Cocyti, & palus odioſa pigris aquis circumcludit, & Styx novies circumvoluta compeſcit. Obſtupuerunt etiam ipſæ domus, & profundiſſima Tartara mortis, & Furiæ implicatæ cæruleis ſerpentibus crinium* loco; *& Cerberus hians continuit tria guttura: & orbis rotæ Ixioniæ quievit,* ſtante *vento* contrario. *Jamque regrediens vitaverat omnia pericula,* & Eu-

## N O T Æ.

*nara*: promontorium Peloponneſi, dividens ſinum Meſſeniacum a Laconico: quod Græci fabulantur aditum eſſe inferorum. Æn. 6. 237.

*Ditis.*) Plutonis, qui Jovis & Neptuni frater, inferorum imperium ſorte obtinuit: Proſerpinam, Cereris filiam, rapuit, *&c.* Utrumque nomen a divitiis habet, quæ e terræ viſceribus effodiuntur: *Dis* quidem Latine dictus a *divitiis*; *Pluton* Græce a πλοῦτος, quæ vox idem ſignificat.

468. *Nigra formidine lucum.*) Silvas in inferis etiam myrteas, aliaſque conſtituit, Æn. 6. v. 444. ac deinceps. Et hic eſt enallage ſive immutatio: *caligantem nigra formidine*, pro *caligantem nigredine formidabili*.

469. *Manes.*) Sumuntur & pro mortuorum animis, & pro loco ipſo inferorum, ubi animi degunt, & pro Diis ipſis inferorum. De iis ita philoſophatur Apuleius lib. de Deo Socratis, omnium, opinor, optime. Statuit, I. Animos illos generatim dici *lemures*. II. Ex his lemuribus, qui poſterorum curam ſortitus, pacato & quieto nomine domum poſſidebat, *larem* dici familiarem. III. Qui propter adverſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus, in terra quodam exilio puniebatur, inane terriculamentum bonis, noxium malis, *larvam* dici. IV. Cum incertum erat, quæ cuique ſortitio eveniſſet, utrum lar eſſet, an larva, *Manem* Deum nuncupari, & honoris cauſa vocabulum eſſe additum. *Manes* porro dictos putant, vel a *manando*, quia manant & diſcurrunt per auras; vel ab antiqua voce *manes*, hoc eſt *bonus*, unde & *mane* derivatum volunt. Reliqua vide Æn. 6. 743.

471. *Erebi.*) Juxta Hyginum, Deus eſt inferorum, ex Chao & Caligine progenitus, pater noctis: juxta alios, ipſa eſt inferorum profundiſſima ſedes, ab ἐρέφω *tego*.

479. *Cocyti* .... 480. *Styx.*) Inferorum flumina ſunt. Æn. 6. 323.

482. *Tartara.*) *Tartarus*, plur. *Tartara*, infimus inferorum locus: a ταράττω *conturbo*, quod illic plena ſint omnia perturbationis; vel a ταρταρίζω *tremere obrigeſco*.

483. *Eumenides.*) Furiæ: G. 1. 278. *Cerberus.*) Canis triceps, cuſtos inferorum. Æn. 6. 417.

484. *Ixionii.*) G. 3. 38.



487. Pro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Redditaque Eurydice ſuperas veniebat ad auras,
Pone ſequens; namque hanc dederat Proſerpina legem:
Cum ſubita incautum dementia cepit amantem,
Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.
Reſtitit, Eurydicenque ſuam jam luce ſub ipſa
Immemor, heu! victuſque animi reſpexit: ibi omnis
Effuſus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor ſtagnis auditus Avernis.
Illa; Quis & me, inquit, miſeram, & te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina ſomnus.
Jamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
Invalidaſque tibi tendens, heu! non tua, palmas.
Dixit, & ex oculis ſubito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diverſa; neque illum
Prenſantem nequicquam umbras, & multa volentem
Dicere, præterea vidit; nec portitor Orci
Amplius objectam paſſus tranſire paludem.
Quid faceret? quo ſe rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menſes
Rupe ſub aeria deſerti ad Strymonis undam
Fleviſſe, & gelidis hæc evolviſſe ſub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens Philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator

Ob-

& Eurydice ipſi reſtituta redibat in altam lucem, propius ſequens; nam Proſerpina poſuerat hanc conditionem: cum repentina inſania occupavit improvidum amantem, condonanda illa quidem, ſi Dii inferi ſcirent condonare quicquam. Stetit, & jam in ipſo aditu lucis, immemor & impatiens animo, reſpexit Eurydicen ſuam: illic omnis opera perdita eſt, & pactum crudelis regis reſciſſum, & fragor ter auditus per ſtagna Averna. Illa ſic locuta eſt: Quis & me miſeram, & te perdidit, o Orpheu? Quis tantus furor? Ecce rurſus dura fata retro appellant me, & ſomnus claudit oculos fluitantes. Jam ergo vale: trahor circumfuſa magnis tenebris, & porrigens tibi manus imbecilles, heu! non amplius tua. Sic locuta eſt, & ex oculis ſtatim evanuit in aliam partem, veluti fumus commixtus in aerem tenuem: neque poſtea vidit Orpheum, fruſtra captantem umbras, & conantem multa loqui; neque portitor inferorum paſſus eſt deinde eum trajicere fluvium interjectum. Quid faceret? quo ſe conferret, conjuge bis erepta? quibus lacrymis Manes, quibus verbis Deos flecteret? Eurydice quidem jam frigida vehebatur navicula Stygia. Ajunt illum ſeptem integros menſes continuo ploraviſſe, ſub rupe alta, juxta aquas deſerti Strymonis, & revolviſſe frigidis in cavernis hos caſus ſuos, movendo tigres, & trahendo cantu quercus. Qualis luſcinia triſtis ſub umbra populi lamentatur pullos amiſſos, quos crudelis agricola depre-

## N O T Æ.

487. *Proſerpina.*) G. 1. 39. 493.

493. *Stagnis Avernis.*) *Avernus*, lacus in Campania: Latinis habitus oſtium inferorum, ut *Tænarus* Græcis: Æn. 6. 237.

496. *Natantia lumina.*) *Invalida*, juxta Servium: *humida*, quod, juxta doctrinam Hippocratis, in ægrotante mortis indicium eſt: *fluitantia & errantia*, juxta Scaligerum, dum modo clauduntur, modo aperiuntur; ut fit quando ſomnus invitis obrepit.

502. *Portitor orci.*) *Charon*, qui animas cymba tranſportat. Æn. 6. 299. *Orcus*, inferi, G. 1. 277.

508. *Strymonis.*) Macedoniæ fluvil, in confinio Thraciæ.

511. *Philomela.*) Quæ in luſciniam converſa eſt, Ecl. 6. 78.

516. *Hymenæi.*) De *Hymenæo*, conjugii Deo, G. 3. 60. De *Hyperboreis* regionibus G. 3. 196. De *Riphæis* montibus G. 1. 240. De *Dite*, ſupra v. 467.

517. *Tanaim.*) *Tanais* fluvius in Moſcorum finibus oriens, in Mæoticam paludem influens, Europam ab Aſia diſterminans.

520. *Spreto Ciconum quo munere matres.*) Ita lege ex antiquis aliquot codic. non *ſpretæ*; quia



Obſervans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis late loca queſtibus implet.
Nulla Venus, nullique animum flexere hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis
Luſtrabat, raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona querens: ſpreto Ciconum quo munere matres,
Inter ſacra Deum, nocturnique orgia Bacchi,
Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revulſum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,
Ah miſeram Eurydicen, anima fugiente, vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: & ſe jactu dedit æquor in altum;
Quaque dedit, ſpumantem undam ſub vertice torſit.
At non Cyrene: namque ultro affata timentem;
Nate, licet triſtes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi cauſa: hinc miſerabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium miſere apibus. Tu munera ſupplex
Tende petens pacem, & faciles venerare Napæas.
Namque dabunt veniam votis, iraſque remittent.
Sed modus orandi qui ſit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios præſtanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depaſcunt ſumma Lycæi,

De-

deprehendens in nido abſtulit adhuc implumes: illa vero plorat per noctem, & ſtans in ramo renovat lugubrem cantum, & implet loca omnia triſtibus querelis. Nullus amor, nulla conjugia lenierunt animum. Solus percurrebat glacies Boreales, & Tanaim nivoſum, & agros nunquam carentes Riphæo gelu, lugens Eurydicen ereptam, & vana dona Plutonis: quo nuptiali munere contempto mulieres Ciconum, inter cæremonias Deorum, & nocturna orgia Bacchi, disjecerant per vaſtos campos membra laniati juvenis. Tunc etiam, cum Hebrus Oeagrius ferens medio in fluento volveret caput ejus reſectum a candido collo, ipſa vox & lingua frigida Eurydicen, ah infelicem Eurydicen, appellabat anima erumpente; ripæ totius fluminis repetebant Eurydicen. Hæc dixit Proteus, & ſe ſaltu immiſit in profundum mare, & qua ſe immiſit, ſupra caput ſuum convolvit aquam ſpumantem. At Cyrene non ſe immiſit; nam prior allocuta eſt trepidantem: Fili, potes abjicere ex animo mœſtam ſollicitudinem. Hæc eſt tota origo morbi: ideo Nymphæ, cum quibus Eurydice miſcebat choreas in profundis ſilvis, intulerunt funeſtam perniciem apibus. Tu ſupplex offer dona, obſecrans veniam, & cole Napæos placabiles, nam concedent veniam precibus, & deponent furorem. Sed antea docebo per ordinem, quæ ſit ratio precandi. Elige quatuor tauros inſignes robuſto corpore, qui nunc tondent tibi cacumina viridis Lycæi, & te-

## N O T Æ.

quia ſic conſtat ſibi ſententia: Thraciæ enim mulieres Orpheum de Nuptiis ſollicitaverant: *quo nuptiali munere ſpreto*, ipſum laniavere. *Cicones*, gens fuit Thraciæ, circa oſtia Hebri, & montem Iſmarum, de quibus G. 2. 37.

521. *Nocturnique orgia Bacchi.*) *Orgia*, ſacra Bacchi, ab ὀργή *furor*, quod cum furore peragerentur. De *Bacchis* & *Baccho*, Ecl. 5. 29. 69.

524. *Oeagrius Hebrus.*) Orphei truncum caput in Hebrum cum lyra projectum, dicitur in inſulam Lesbum appuliſſe, atque ibi eſſe ſepultũ: lyra relata inter ſidera, & a ſingulis Muſis, quarũ cecinerat laudes, ſtellis novem inſignita. Hebrus *Oeagrius* dicitur ab *Oeagro*: ſive Oeagrus rex fuerit Thraciæ, qui nomen ſuũ fluvio reliquerit, ut vult Diodorus Siculus; ſive fluvius fuerit, ex quo Hebrus naſcitur, ut vult Servius.

535. *Napæas.*) Nymphæ lucorum ſunt, a νάπη *ſaltus*, *virctum*.

539. *Lycæi.*) Montis Arcadiæ, qua in regione Ariſtæus aliquando regnavit. De *aurora* G. 1. 249.



545. De-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Delige, & intacta totidem cervice juvencas.
Quattuor his aras alta ad delubra Dearum
Conſtitue, & ſacrum jugulis demitte cruorem,
Corporaque ipſa boum frondoſo deſere luco.
Poſt, ubi nona ſuos aurora oſtenderit ortus,
Inferias Orphei lethæa papavera mittes,
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæſa,
Et nigram mactabis ovem, lucumque reviſes.
Haud mora, continuo matris præcepta faceſſit:
Ad delubra venit, monſtratas excitat aras,
Quattuor eximios præſtanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.
Poſt, ubi nona ſuos aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque reviſit.
Hic vero ſubitum, ac dictu mirabile monſtrum
Aſpiciunt; liquefacta boum per viſcera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere coſtis,
Immenſaſque trahi nubes, jamque arbore ſumma
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.
Hæc ſuper arvorum cultu pecorumque canebam,
Et ſuper arboribus: Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes

Per

*& totidem juvencas, collo nondum ſubacto. Erige his victimis quatuor altaria in altis templis Nympharum, & effunde e gutturibus ſacrum ſanguinem, & relinque ipſa corpora victimarum in frondente luco. Deinde quando nona aurora patefecerit ortum ſuum, dabis inferias Orpheo e papaveribus lethæis, & coles mitigatam Eurydicen occiſa vitula, & immolabis ovem nigram, & repetes lucum. Sine mora, ſtatim exſequitur mandata matris; venit ad templa, erigit altaria præſcripta, ducit quatuor tauros inſignes robuſto corpore, & totidem juvencas, collo nondum ſubacto: deinde, poſtquam nona aurora patefecerat ſuum ortum, dat inferias Orpheo, & repetit lucum. Illic vero vident prodigium improviſum & mirabile dictu: apes ſtridere toto utero inter putrefacta viſcera boum, & erumpere fractis coſtis, & diffundi magnas earum nubes, & jam eas congregari in cacumine arboris, & e ramis flexibilibus dependere in modum uvæ. Hæc cantabam de cultura agrorum & pecorum, & de arboribus: dum magnus Cæſar tonat circa profundum Euphratem, & victor diſtribuit leges* popu-

N O T Æ.

545. *Inferias Orphei lethæa, &c.*) *Inferiæ*, ſacrificia, quæ Diis Manibus offerebantur. *Orphei*. Dativus Græcus Ὀρφεῖ Ecl. 4. 57. *Papavera lethæa*, id eſt, oblivionem & ſomnum inducentia; λήθη *oblivio*, G 1. 78. Æ. 6. 323.

556. *Stridere, effervere.*) Penultima brevi, G. 1. 456.

558. *Uvam demittere.*) Certe hic lætitiæ ſignum eſt illa apum glomeratio, de qua vide ſupra v. 257.

561. *Fulminat Euphratem bello, &c.*) Certum eſt ex hoc loco, ultimam huic operi manum admotam eſſe poſt bellum Alexandrinum, occiſis Cleopatra & Antonio: cum Octavianus per Syriam in Aſiam hyematurus abiiſſet: tunc enim non longe aberat ab Euphrate. Tunc Teridatem Phraatemque, de regno Parthiæ contendentes, victoriæ ſuæ terrore aliquomodo compoſuerat; Teridatemque victum in Syria permiſerat verſari, Phraatis filium obſidem ſecum abducebat Romam. Tunc divinos maxime honores affectabat, & templa ſinebat ſibi fieri Nicomediæ, Pergami, & alibi paſſim. Quæ omnia, ut conſtat ex Dione l. 5. contigere per hyemem anni U. C. 724. exeuntis, cum natus eſſet Octavianus annis expletis 33. Virgilius item 40. Neque enim aliud eſt in hiſtoria tempus, cui melius aſſignari hæc poſſint. Tumque videtur poeta addidiſſe operi jam perfecto, quicquid in eo paſſim legimus de Octaviani victoriis. G. 2. 171. *Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris*, &c. G. 2. 28. *Atque hic undantem bello, magnumque fluentem Nilum*, &c. Quod autem dicunt ejus vitæ ſcriptores, eum Octaviano, ex Actiaco bello reduci, & Atellæ commoranti, legiſſe Georgica, Mæcenate ſuſcipiente legendi vices; id aut omnino falſum eſt, aut certe nonniſi poſt bellum Alexandrinum contigit. Conſtat enim ex Dione, Plutarcho, & aliis, Octavianum, confecto bello Actiaco, non ſtetiſſe in Italia, niſi pauciſſimos dies Brundusii; indeque ſtatim in Græciam Aſiamque abiiſſe, ibidem-

que



Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui luſi paſtorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini ſub tegmine fagi.

*populis non invitis, & præparat ſibi viam ad cœlum. Illa tempeſtate Neapolis amœna me Virgilium nutriebat, vacantem ſtudiis otii privati: qui luſi verſibus paſtoralibus, & confidens juventuti te cecini, o Tityre, ſub umbraculo opacæ fagi.*

N O T Æ.

que hyemaſſe, ad inſtruendos Alexandrini belli apparatus; tantum abeſt ut Atellam, quæ urbs eſt Campaniæ, venerit.

564. *Parthenope.*) Neapolis, urbs Italicæ Campaniæ maritima, nunc regni caput; a Chalcidenſibus, qui Cumas Italicas condiderunt, etiam condita. Ii primo illam *Parthenopen* vocaverunt, invento ibidem tumulo unius e Sirenibus hujus nominis, quæ dolens Ulyſſem cantu ſuo non fuiſſe allectum, mortum ſibi conſciverat. At cum loci hujus ubertas & frequentia Cumis noceret, hanc poſtea diruerunt: deinde graſſante late peſtilentia, admoniti divinitus, inſtaurarunt, vocaveruntque *Neapolim*, id eſt urbem novam. De Virgilii in ea commoratione ac morte, vitam conſule.

*Studiis ignobilis oti.*) Studia intelligit privata litterarum ac bonarum artium, quæ a poeta modeſtiſſimo dicuntur *ignobilia*, præ adminiſtratione reipublicæ & magiſtratuum, ad quod nunquam Virgilius acceſſit.

## FINIS GEORGICORUM.

P. VIR-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# P. VIRGILII MARONIS
# ÆNEIS.

## ARGUMENTUM.

*ÆNEIS poema heroicum, ſive epicum, ab Ænea Trojano, Veneris & Anchiſæ filio, Priami genero, nomen habet: non quod actiones illius omnes comprehendat, ſed unam inter omnes præcipuam, ſcilicet regnum in Italia fundatum. Scripta eſt a Virgilio in gratiam, tum Romanæ totius gentis, tum familiæ imprimis Juliæ, quæ originem referebat ſuam ad Julum ſive Aſcanium Æneæ filium ex Creuſa Priami filia. In hanc porro familiam adſcitus a Julio Cæſare avunculo fuerat Octavianus, tunc rerum potens, atque Ægypto ſubacta, M. Antonio & Cleopatra interfectis, unus orbis Romani dominus. Scribi cœpta eſt Anno U. C. 724. exeunte, Virgilii 40. Octaviani 33. cum Octavianus in Aſia non longe ab Euphrate hyemaret: atque ita Virgilius poſt adhibitam Georgicis extremam manum, continuo animum Æneidi videtur applicuiſſe, in eaque annos, ut habet Servius, undecim collocaſſe, quot ab eo tempore ad mortem Virgilii omnino numerantur. Secutus eſt Virgilius, ut in Bucolicis Theocritum, in Georgicis Heſiodum, ita in Æneide Homerum: cujus Odyſſeam ſex prioribus libris, Iliadem ſex poſterioribus expreſſit, an etiam ſuperavit? id vero ambigitur inter doctos.*

## DE NATURA POEMATIS EPICI.

POEMA *epicum*, ſive *epopœia*, ſic dictum eſt ab ἔπος *verbum*, quia totum poetæ dictione ſeu narratione continetur. Definitur ex doctrina Ariſtotelis: *Imitatio actionis unius illuſtris, completæ, certæ magnitudinis, quæ narratione & verſu hexametro viros principes cum admiratione & delectatione ad primarias virtutes excitat.*

Quinque complectitur, *actionem*, *fabulam*, *mores*, *ſententiam*, *dictionem*. Actio, eſt poematis materia: Fabula, eſt actionis forma & tractatio; Mores, Sententia, Dictio, ſunt neceſſaria fabulæ ornamenta. Poeta ſumit actionem ab heroe, fabulam ab arte ſua, mores a philoſophia, ſententiam a rhetorica, dictionem a grammatica.

ACTIO debet eſſe *una*, *illuſtris*, *completa*, *certæ magnitudinis*.

*Una*, id eſt, ab uno heroe præcipuo, & uno continuo ſpatio temporis abſque intermiſſione perfecta; taliſque præterea, ut alias in actiones integras item completaſque dividi non poſſit.

*Illuſtris*, ergo & virorum principum, & in gravi ſplendidaque materia.

*Completa*, cui nihil deſit eorum omnium, quæ adeſſe debent, ut abſoluta & ad finem perducta dici queat.

*Certæ magnitudinis* ſive *durationis*, quæ vulgo anni unius ſpatio, interdum etiam minore definitur: ab ea nimirum actionis parte, unde poeta ſumit poematis exordium, ad uſque poematis finem. Sic Odyſſea dies quinque omnino & quinquaginta; Ilias annum integrum capit.

FABULA conſtat partibus, ſive plane neceſſariis, quæ ſunt *exordium*, *nexus*, & *ſolutio*: ſive non plane neceſſariis, quæ ſunt *epiſodia*.

*Exordium*, habet propoſitionem actionis, invocationem numinis, etiam aliquando dedicationem operis principi aut amico viro.

Ne-



*Nexus*, eſt variorum caſuum ſeries, ad eam uſque perducta partem operis, in qua fit actionis flexus in felicitatem aut infelicitatem.

*Solutio*, eſt quicquid ab eo flexu ad finem uſque actionis peragitur.

*Epiſodia*, ſunt actiones quædam adſcititiæ, quæ cum actione præcipua veluti neceſſariam, certe veriſimilem conjunctionem habent. Ea vulgo in nexum, raro in ſolutionem, nunquam in exordium inſeruntur. Ἐπεισόδια dicta ab ἐπὶ *ſuper*, *præter*, εἰς *in*, & ὁδὸς *via*; quaſi *ſupervenientia in viam & ſeriem* actionis.

MORES denique manifeſtant animi affectus. SENTENTIA mentis cogitationes exprimit. DICTIO mores & ſententiam repræſentat.

## DE NATURA ÆNEIDOS.

ACTIO Æneidos, ut nuda eſt operis materia, ſic ſe habet. Æneas, incenſa a Græcis Troja, cum ſuorum reliquiis mari ſe committit, Italiam petiturus, unde majores ejus orti eſſe ferebantur: illuc, poſt caſus terra marique varios, appellit: excipitur humaniter a Latino, tunc ibidem regnante; & Laviniæ nuptiis in generum adoptaretur, niſi obſtaret Turnus, Dauni Rutulorum regis filius. Is Laviniæ nuptias jampridem ambiens, Æ. eam gravi bello vexat: ſed ab eo victus & occiſus, ſponſam ei regnumque habendum denique permittit.

*Unam* eſſe, atque *Illuſtrem*, eam actionem liquet.

*Completam* negavit Maphæus Vegius, ideoque ſibi poſſe viſus eſt decimum tertium librum Æneidi aſſuere, quo dolorem Rutulorum, Turni funus, Æneæ nuptias & apotheoſin complexus eſt, temere omnino. Nam apotheoſis a Jove promiſſa eſt lib. 1. 263. *Feres ad ſidera cœli Magnanimum Æneam*. Tum confirmata l. 12. 794. *Indigetem Æneam ſcis ipſa, & ſcire fateris, Deberi cœlo*. Jam Lavinia regnumque Latii a Turno moriente Æneæ permittitur l. 12. 937. *Tua eſt Lavinia conjux*. Cætera, quæ ad pompam luctumque pertinent, frigida ac puerilia, certe minime neceſſaria.

*Magnitudinem* habet *certam* ac juſtam: licet enim octo circiter annis duraſſe actio tota dicatur, unum tamen ex iis, eumque ultimum, poeta complectitur: ſuperioribus reliquis in Epiſodicam Æneæ coram Didone narrationem redactis. Mambrunus quidem ſexdecim menſes Æneidi attribuit, eo adductus, quod Anchiſes, ut ex l. 5. liquidum eſt, obierit in Sicilia verno tempore. Unde ſic colligit: Æneam non multo poſt, verno item tempore, inde ſolviſſe, cum in Africam tempeſtate ejectus eſt: quid enim eum, mortuo patre, fatis in Italiam vocantibus, diutius in Sicilia tenuiſſet? Tum addit eumdem in Africa totam hyemem, atque adeo annum fere traduxiſſe; ſiquidem inde iterum in Siciliam ineunte vere trajiciens, anniverſarios patri ludos celebravit; reliquis autem in Italia præclare geſtis menſes minimum quatuor eſſe tribuendos. Pugnat contra Segreſius, in egregia Præfatione in Gallicam Æneidos interpretationem: oſtenditque Æneam e Sicilia non niſi Julio menſe, quarto nempe poſt obitum patris, in Africam appuliſſe: toto illo intervallo temporis, vel reficiendæ claſſi, vel expectandæ commodæ tempeſtati, curiſque aliis impenſo. Atque ita legitimo unius anni ſpatio Æneis tota continebitur; quod ſuis locis probabimus, præſertim l. 5. v. 539. & 760.

FABULA, ſive actio ſuis epiſodiis ornata, repeti poteſt ex argumentis cuique libro præfixis: ea tamen cautione, ut, ſi quæritur ordo temporis, ſecundus liber primum legendus ſit, tum tertius, deinde primus, quartus deinceps & cæteri: artis enim, ſive poematis, alium ordinem poeta inſtituit, ſeriemque conſulto perturbavit earum rerum, quas hiſtoricus ſingulas, prout evenerunt, recto ac naturali ordine deſcriberet.

*Exordium* breviſſimum verſus vix quindecim capit. Unde autem ſumendum ſit, dubitatur: utrum ab illis verſibus, *Ille ego*; an ab his, *Arma virumque cano*. Ego ab his puto ſumendum, veteres ſecutus, Virgilii præſertim æquales: qui quoties Æ-

neidos

neidos meminere, toties eam his ipſis vocibus deſignarunt. Ovid. Amor. l. 1. 15. 25. *Tityrus, & ſegetes, Æneiaque arma leguntur*. Idem Triſt. l. 2. 533. *Felix Æneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros*. Propert. l. 2. 34. 63. *Qui nunc Æneæ Trojani ſuſcitat arma*. Martialis l. 8. 56. 19. *Protinus Italiam concepit & arma virumque, Qui modo vix culicem fleverat ore rudi*. Auſonius Epig. 129. *Arma virumque docens, atque arma virumque peritus, &c.* Et vero abeſſe prævios quatuor verſus a MSS. antiquiſſimis teſtatur Pierius: adeo ut N. Heinſius nec editioni ſuæ dignatus ſit adſcribere. Vulgo tamen adſcribuntur, ſed ſeorſim ab aliis conſequentibus: unde conjiciunt plerique a Tucca & Vario, quaſi parum aptos tanti operis exordio, fuiſſe ſublatos; factos tamen a Virgilio: non quidem ut exordium, ſed ut auctoris ſignaculum notamque operis editioni præfigendam, & inter recitandum ab eo ſupprimi ſolitam: unde cum ſtatim ordiretur ab *Arma virumque, &c.* poema ſub his verſibus, non ſub aliis, innotuiſſe probabile eſt.

*Nexus* totis duodecim libris ad uſque duellum Æneæ cum Turno pertinet. *Solutio* incipit a duello.

*Epiſodia* ſunt Junonis conſilium de ſubvertenda Trojana claſſe, Æneæ apud Didonem diverſio, amores, narratio Trojani incendii, cæteraque ejuſmodi, quæ partes quidem ſunt fabulæ, non autem actionis: poſſunt enim ab actione, qualis antea nude deſcripta eſt, omnino ſeparari; a fabula, ſine gravi ejus immutatione, non poſſunt.

MORES ubique æquabiles, & ad imitationem ac delectationem aptiſſimi. SENTENTIA autem & DICTIO ſic abſoluta ac perfecta eſt, ut vel hoc utroque nomine princeps poetarum Virgilius habendus ſit.



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS






# P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER I.

## ARGUMENTUM.

*PROPOSITIONE & invocatione præmiſſis, narratio incipit a ſeptimo Æneæ expeditionis anno: quo tempore, Trojanis e Sicilia in Italiam ſolventibus, Juno tempeſtatem excitat, conciliato ſibi Æolo. Sedat tempeſtatem Neptunus. Naves Æneæ ſeptem in portum Africæ ſe recipiunt, reliquis alio disjectis. Venus apud Jovem de filii calamitate queritur. Solatur eam Jupiter, expoſita Æneæ ejuſque poſteritatis futura felicitate. Mittitur Mercurius, qui Carthaginenſium animos Trojanis placabiles reddat. Venus habitu venatricis occurrit Æneæ, regionem cum Achate exploranti: indicataque Didonis ac regionis conditione, utrumque nebula ſeptum Carthaginem dimittit. Illic Æneas, templum ingreſſus, primum in belli Trojani picturas incidit: deinde in Didonem, & in ſocios, quos fluctibus oppreſſos putaverat, Didoni ſupplicantes. Dat ſe in conſpectum Æneas: a Regina benigne excipitur: accerſitur per Achatem Aſcanius: cujus in locum dolo Veneris Cupido ſubſtituitur, ut Æneæ amorem Didoni inſpiret. Abeunt omnes in aulam ad convivium.*

ILle ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egreſſus ſilvis vicina coegi
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis

## INTERPRETATIO.

*Ego ille* ſum, *qui olim cecini cantilenas tenui calamo, & egreſſus e ſilvis coegi propinquos agros, ut obedirent agricolæ quantumlibet cupido;* quod *opus jucundum* fuit *ruſticis. Sed jam horrida Martis*

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Litora.

*cano bella & hominem, qui pulſus fatis, primus venit e regione Trojana* in *Italiam, & ad Lavinum litus.*

## NOTÆ.

5. *Trojæ.*) Troja, regio Phrygiæ minoris, in Aſia minore; cujus urbs præcipua *Ilium*, ab Ilo rege dicta: non procul ab Ida monte. Hæc & *Troja*, a Troe rege, & *Dardania*, a Dardano Trois avo, & *Teucria*, a Teucro Dardani ſocero, vocata eſt. Ejus arx *Pergamus*, plur. *Pergama*.

*Primus.*) Antenor tamen prius in Italiam venit, Pataviumque condidit: ſed non prius Troja profectus eſt, neque ad Lavinum litus venit, ſed in Venetiam, ut legitur infra v. 246.

6. *Italiam.*) Regio eſt Europæ notiſſima in formam ocreæ extenſa; inter Hadriaticum ſinum a ſeptentrione & oriente, ac mare Tyrrhenum a meridie; ad ſeptentrionem, & occidentem Alpibus ſeparatur a Germania & Gallia.

*Lavina.*) Id eſt, quæ deinde *Lavina* dicta ſunt, e Laviniæ nomine, quæ, Latini filia,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS






# P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER I.

## ARGUMENTUM.

*PROPOSITIONE & invocatione præmiſſis, narratio incipit a ſeptimo Æneæ expeditionis anno: quo tempore, Trojanis e Sicilia in Italiam ſolventibus, Juno tempeſtatem excitat, conciliato ſibi Æolo. Sedat tempeſtatem Neptunus. Naves Æneæ ſeptem in portum Africæ ſe recipiunt, reliquis alio disjectis. Venus apud Jovem de filii calamitate queritur. Solatur eam Jupiter, expoſita Æneæ ejuſque poſteritatis futura felicitate. Mittitur Mercurius, qui Carthaginenſium animos Trojanis placabiles reddat. Venus habitu venatricis occurrit Æneæ, regionem cum Achate exploranti: indicataque Didonis ac regionis conditione, utrumque nebula ſeptum Carthaginem dimittit. Illic Æneas, templum ingreſſus, primum in belli Trojani picturas incidit: deinde in Didonem, & in ſocios, quos fluctibus oppreſſos putaverat, Didoni ſupplicantes. Dat ſe in conſpectum Æneas: a Regina benigne excipitur: accerſitur per Achatem Aſcanius: cujus in locum dolo Veneris Cupido ſubſtituitur, ut Æneæ amorem Didoni inſpiret. Abeunt omnes in aulam ad convivium.*

ILle ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egreſſus ſilvis vicina coegi
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis

### INTERPRETATIO.

*Ego ille* ſum, *qui olim cecini cantilenas tenui calamo, & egreſſus e ſilvis coegi propinquos agros, ut obedirent agricolæ quantumlibet cupido;* quod *opus jucundum* fuit *ruſticis. Sed jam horrida Martis*

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Litora.

*cano bella & hominem, qui pulſus fatis, primus venit e regione Trojana* in *Italiam, & ad Lavinum litus.*

### NOTÆ.

5\. *Trojæ.*) Troja, regio Phrygiæ minoris, in Aſia minore; cujus urbs præcipua *Ilium*, ab Ilo rege dicta: non procul ab Ida monte. Hæc & *Troja*, a Troe rege, & *Dardania*, a Dardano Trois avo, & *Teucria*, a Teucro Dardani ſocero, vocata eſt. Ejus arx *Pergamus*, plur. *Pergama*.

*Primus.*) Antenor tamen prius in Italiam venit, Pataviumque condidit: ſed non prius Troja profectus eſt, neque ad Lavinum litus venit, ſed in Venetiam, ut legitur infra v. 246.

6\. *Italiam.*) Regio eſt Europæ notiſſima in formam ocreæ extenſa; inter Hadriaticum ſinum a ſeptentrione & oriente, ac mare Tyrrhenum a meridie; ad ſeptentrionem, & occidentem Alpibus ſeparatur a Germania & Gallia.

*Lavina.*) Id eſt, quæ deinde *Lavina* dicta ſunt, e Laviniæ nomine, quæ, Latini filia,



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Litora. Multum ille & terris jactatus & alto,
Vi ſuperum, ſævæ memorem Junonis ob iram.
Multa quoque & bello paſſus, dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.
Muſa, mihi cauſas memora: quo numine læſo,
Quidve dolens regina Deum, tot volvere caſus
Inſignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. Tantæne animis cœleſtibus iræ?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Car-

*Ille multum agitatus fuit terra & mari, per potentiam Deorum, & propter iram memorem crudelis Junonis. Multa quoque toleravit præterea* in *bello, donec fundaret urbem, & induceret Deos in Latium; ex quo* facto *populus Latinus, & cives Albani, & muri altæ Romæ* orti ſunt. *O Muſa, ſuggere mihi cauſas* earum rerum: *quo Deorum violato, vel quo* ſcelere *offenſa regina Deorum coegerit hominem pietate illuſtrem agitari tot calamitatibus, & ſuſcipere tot labores. Tantuſne furor* ineſt *mentibus divinis? Fuit urbs vetus*, quam *colonia Tyriorum incoluit*,
Car-

NOTÆ.

Æneæ nupſit. Unde hic *prolepſis* agnoſcitur, ſive anticipatio temporis. Servius tamen affirmat eandem urbem dictam eſſe primo *Lavinum* a Lavino Latini fratre; deinde *Laurentum*, ob inventam ibidem laurum a Latino, cum regnum fratre mortuo ſuſcepiſſet; & hoc utroque nomine fuiſſe inſignitam, priuſquam Æneas in Italiam veniſſet: tertio denique ab Ænea vocatam eſſe *Lavinium*, a Lavinia uxore. Sed unde Lavinum hunc Latini fratrem fuiſſe acceperit, non liquet. Laurentum item ac Lavinum unam urbem fuiſſe negat Strabo: quare primæ opinioni adhæreo. Damnant Virgilium nonnulli, quod *Lavina*, non *Lavinia* dixerit: ſed præterquam quod ſibi conſtant in ea ſcriptione MSS. omnes, habet quoque Propertius l. 2. 34. 64. *Jactaque Lavinis mœnia litoribus*.

7. *Litora*.) Quamvis Lavinium diſtaret a litore, juxta Servium, octo milliaribus; juxta alios, minimum tribus: litus tamen, quod huic urbi reſpondebat, eodem nomine inſigniri potuit.

*Terris jactatus & alto, &c.*) Propoſitio eſt ſex priorum librorum, qui continent maritima pericula. *Multa quoque & bello, &c.*) Propoſitio eſt ſex poſteriorum, qui terreſtria continent.

8. *Memorem Junonis ob iram*.) Id eſt, iram Junonis memoris: quam autem rerum memoriam habes infra v. 30.

9. *Dum conderet urbem*.) *Lavinium*. In quam primum Deos & ſacra intulit: quæ Albæ parens fuit, ac deinde Romæ. Male enim ait Servius poſſe explicari de *Troja*, quam condidit Æneas lib. 7. 159. ſtatim poſt adventum in Italiam, caſtrorum potius quam urbis in ſpeciem; ſiquidem hujus deinde mentio nulla. Male item de *Roma*: ſiquidem urbs hic ſignificatur, unde *Albani patres, atque altæ mœnia Romæ* orta ſunt.

10. *Deos Latio*.) Penates, de quibus Æ. 1. 717. *Latio*, pro, *in Latium*: ut *It clamor cœlo*. Æn. 5. 451. *Latium* Italiæ regio: de qua Æn. 7. 54.

*Genus unde Latinum*.) Quomodo ex Ænea genus Latinum? ſi quidem Latini ante adventum Æneæ in Italia noti erant; quare Juno ad Jovem Æ. 12. 820. *Pro Latio obteſtor ... Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, neu Troes fieri jubeas*. Facile ſolvunt, qui vocem *unde* ad Latium referunt: patet enimvero, ex Latio ortos eſſe Latinos, Albanos item, & Romanos; cum ii omnes populi Latium incoluerint. Quia tamen melius vox *unde* refertur ad factum Æneæ, idcirco quæritur quomodo Latinum inde ortum dicatur. Hunc autem modum ſuggerit Servius: quia victor Æneas, cum Trojanum nomen Latinis imponere jure potuiſſet, ipſe Latinum nomen Trojanis impoſuit ſuis, & ex utroque genere unum fecit; quo ex genere mixto, *Albani* deinde *patres*, ſive reges, & *mœnia Romæ* propagata ſunt: ut infra fuſius dicetur, v. 265.

12. *Muſa*.) Muſam invocat nullo certo nomine: Homeri exemplo, qui in Iliade, Μῆνιν ἄειδε θεὰ, *Iram cane Dea*: & in Odyſſea, ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα, *Virum mihi dic Muſa*. Alibi Calliopen, heroici carminis præſidem, diſtincte invocat: hic tam obſcure.

12. *Quo numine læſo*.) Quibus læſis numinibus. Quippe præter Junonem, Deos alios Æneas infenſos habuit: ut patet ex illo verſu, qui huic reſpondet. *Vi ſuperum, ſævæ memorem Junonis ob iram*.

13. *Tot volvere caſus*.) Pro *tot volvi caſibus*: quod quanquam durum eſt, tamen firmatur hoc Statii non abſimili exemplo, ex Theb. l. 2. 402. *Ex quo frater inops ignota per oppi-*



Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longe
Oſtia; dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo. Hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late regem belloque ſuperbum,
Venturum excidio Libyæ: ſic volvere Parcas.
Id metuens, veteriſque memor Saturnia belli,
Prima

*Carthago* nomine, *procul ex adverſo Italiæ & oſtiorum Tiberis: abundans opibus, & acerrima belli artibus. Juno dicitur hanc unam habitaſſe præ cæteris regionibus*, etiam *Samo poſtpoſita. Illic Junonis arma, illic currus fuit: jam tunc Dea contendit ut illa imperet populis, protegitque* eam in hanc ſpem, *ſi fatum* id *quoquomodo permittat. Enimvero audierat prolem deduci e ſtirpe Trojanorum, quæ aliquando dirueret mœnia Tyriorum. Inde per cladem Africæ, gentem* illam *futuram ubique dominam, & bello glorioſam: ita ſtatuiſſe Parcas*. Audierat hoc Juno, *hoc* ipſum *timens, & reminiſcens præteriti belli*,
quod

NOTÆ.

*oppida triſtes Exul agit caſus*: pro *agitur caſibus*.

16. *Tyrii*.) *Tyrus*, urbs Syriæ in Phœnicia inter Sidonem ad ſeptentrionem, & Ptolemaidem ad meridiem in ora maris Mediterranei. Nunc *Sur* dicta, olim *Sarra*: unde *Sarranum* oſtrum pro *Tyrio* celebratum eſt. Tyrii, cum in Africam venerunt, dicti ſunt *Pœni* quaſi *Phœni*: quia ex *Phœnicia* profecti.

*Coloni*.) Proprie ſunt ii, qui terram colunt, agricolæ: ut ſupra v. 3. *Ut quamvis avido parerent arva colono*, &c. Aliquando ſumuntur pro parte civium, qui ex conſenſu civitatis ad ſedes alias incolendas deducuntur, diciturque *colonia*: quales ſexaginta ſupra centum deductæ a Romanis varia in loca numerantur. Tyrii autem, Carthaginis conditores, non proprie *coloni* fuere, ſed profugi; ſi quidem non ex conſenſu ſuæ civitatis, ſed fuga & ſeceſſione Tyro profecti ſunt.

17. *Carthago*.) Urbs, caput Africæ, Græcis Καρχηδὼν dicta. Æmula Romæ diu fuit, cum eaque geſſit bella tria graviſſima: a Scipione victa primum, & vectigalis facta; poſtmodum a Scipione Æmiliano deleta. De illa, deque illius initiis, dicemus in argumento libri IV.

17. *Tiberina Oſtia*.) *Tiberis*, fluvius Italiæ, de quo Æn. 8. 330. Oſtia ejus duo, quibus in mare Tyrrhenum evolvitur: ubi urbes duæ, *Oſtia* ad orientem, *Portus* ad occidentem.

19. *Magis omnibus unam, &c.*) Multas habuit urbes ſibi addictas Juno, Argos, Spartam, Mycenas: imprimis Samon.

20. *Samo*.) *Samos*, ſive *Samus*, inſula eſt Icarii maris, Ioniæ adjacens, contra Epheſum. In ea Juno adolevit, nupſitque Jovi: ideoque templum ejus erat Sami nobiliſſimum, & ſimulacrum habitu nubentis, & ſacra rita nuptiarũ.

21. *Arma, Hic currus fuit*.) Currum Junonis deſcribit Homerus Il. 5. 720. cujus miniſtra eſt Hebe: hunc aut ſimilem intellige, aut potius *thenſam*, vehiculum, quo Deorum ſimulacra in ſacris circumferebantur. *Illius arma*.) Vel haſta fuit; agnoſcit enim Plutarchus Junonem *Curitim*, & *curis* lingua Sabinorum haſta eſt. Vel ſceptrum & fulmen, his enim inſignibus ornatum fuit Carthagini ſimulacrum Junonis. Vel clypeus; refert enim Servius, hanc ſolemnem e ſacris Tiburtibus formulam: *Juno curulis, tuo curru clypeoque tuere meos curiæ vernulas ſane*.

22. *Si qua fata ſinant*.) Juno enim, & ipſe Jupiter, Diique cæteri ſubditi erant fato, quod eſſe dicebatur cauſa rerum immutabilis & æterna.

26. *Venturum excidio, &c.*) Modicius hic agnoſcit ablativum caſum, *excidio*, pro *per excidium*; hoc ſenſu: *Hinc populum Romanum futurum late regem per excidium Africæ*. Vulgo tamen agnoſcitur dativus: *venturum excidio*, pro *ad excidium*; ut *It clamor cœlo* pro *ad cœlum*; hoc ſenſu: *Populum Romanum hinc*, id eſt *poſt Carthaginis expugnationem, late ac ſine æmulo regnantem, venturum ac progreſſurum ad excidium totius Africæ*. Placet utraque interpretatio: ſecunda communior: prima ſubtilior. *Libya*, pars Africæ, pro tota, G. 1. 241.

26. *Sic volvere Parcas*) Parcæ tres, quæ fatorum humanorum fila volvunt; de iis Ecl. 4. 47.

27. *Saturnia*.) Juno Saturni & Opis filia, atque ita Jovis ſoror, itemque conjux.

*Id metuens*.) Difficile eſt intelligere, quo nominativus iſte referatur. Alii referunt ad verbum ſuperius; *audierat*; hoc ſenſu. *Audierat Carthaginem a Romanis delendam eſſe, id metuens*, id eſt, *cum metu audierat*. Alii ad poſterius

 ver-

Prima quod ad Trojam pro caris geſſerat Argis.
Necdum etiam cauſæ irarum, ſævique dolores
Exciderant animo. Manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ,
Et genus inviſum, & rapti Ganymedis honores.
His accenſa ſuper, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaum atque immitis Achillei,
Arcebat longe Latio; multoſque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant; Cum

*quod prima ſuſcitaverat contra Trojanos pro Argis* ſibi *dilectis. Præterea cauſæ iracundiæ & ſæva indignatio non abierant adhuc ex animo: reſidet infixum profunda in mente judicium Paridis & contumelia contemptæ pulchritudinis* ſuæ, *& familia* ſibi *odioſa, & munus Ganymedis* a Jove *rapti. His inſuper irritata, repellebat procul a Latio Trojanos, reliquias Græcorum & crudelis Achillis, agitatos per totum mare: &* illi *a multis annis vagabantur impulſi fatis circa maria omnia. Tanti erat momenti fundare Romanum populum. Vix vela faciebant læti e conſpectu Siculæ terræ in altum mare, &* roſtris *æratis ſecabant ſpumas maris;*

*cum*

## NOTÆ.

verbum, *arcebat longe Latio*: hoc ſenſu: *Id metuens; præterea his aliis tribus cauſis*, quæ per parentheſim enumerantur, *accenſa, arcebat Trojanos Latio*. Sed longior ſane mihi videtur ille trajectus: poteſt tamen admitti, ſi *Necdum etiam*, cum quatuor ſequentibus verſibus, parentheſi includatur.

28. *Prima.*) Quia origo belli Trojani fuit judicium Paridis: a quo poſtpoſitæ Veneri fuerunt Juno & Pallas. Juno igitur prima & dignitate & tempore, Græcis idcirco adverſus Trojanos favit. *Argis*) Urbis nomen eſt in Peloponneſo: *Argi* maſculinum plurale, vel *Argos* neutrum ſingulare: cives hujus, & Græci deinde omnes *Argivi* communiter dicti.

30. *Repoſtum.*) *Repoſitum*; ſyncope frequens apud poetas. Lucr. l. 1. 35. *Tereti cervice repoſta*. Horat. Epod. 9. v. 1. *Quando repoſtum Cæcubum ad feſtas dapes*.

31. *Judicium Paridis.*) Paris ſive Alexander, Priami & Hecubæ filius; a patre primum expoſitus in ſilvis, quia, cum Hecuba facem ardentem parere ſe ſomniaſſet, conjectores reſponderant, infantem, quem in utero geſtabat, Trojani excidii cauſam futurum: a matre tamen clam educatus in Ida monte, propter æquitatis famam a Diis electus eſt judex pulchritudinis inter Junonem, Palladem, ac Venerem: orto nempe inter eas diſſidio, propter malum aureum ad Pelei nuptias a Diſcordia illatum, atque inſcriptum his verbis, *Detur pulcherrimæ*, Paris Veneri malum addixit: poſtmodum agnitus ab Hectore fratre & parentibus, ac deinde miſſus in Græciam, & Menelai Spartani regis hoſpitio uſus, Helenam ejus uxorem Veneris favore ſecum abduxit: ad quam repetendam bellum a Græcis conflatum eſt. Occidit deinde Achillem in templo Thymbræi Apollinis, & paullo poſt a Philoctete occiſus eſt.

32. *Et genus inviſum.*) Quia Trojanorum genus a Dardano fluxerat, Jovis filio ex Electra pellice, Atlantis filia. Infra v. 239.

*Rapti Ganymedis honores.*) Munus miniſtrandi pocula in Deorum conviviis tranſlatum eſt ab Hebe, Dea juventutis, ad Ganymedem, formoſum puerum Trois filium, a Jove ſub aquilæ formam latente ſublatum inter ſidera, cum in Ida monte venaretur. *Rapti.*) Vel genitivus eſt caſus, & refertur ad *Ganymedis*, vel nominativus pluralis, & *honores* reſpicit, qui rapti, ſeu erepti ſunt Hebe, Junonis & Jovis, vel juxta alios, unius Junonis filiæ.

33. *His accenſa ſuper.*) Accenſa *ſuper his*, id eſt, *de his cauſis tribus*, nempe judicio Paridis, Electræ amoribus, & Ganymedis honore. Donatus ac Servius melius *ſuper* explicant, quaſi *præterea*: nempe accenſa his tribus *ſuper* ſive *præter* metum de Carthaginis excidio conceptum: quæ quarta erat odii ejus in Æneam cauſa.

34. *Danaum &c.*) Græcorum, a *Danao* Ægypti fratre, qui in Græciam navigavit, indeque expulſo rege Sthenelo, Argos tenuit, ac novæ gentis parens fuit.

*Achillei.*) Genitivus eſt pro *Achillis*: cauſam vide infra v. 224. *Achilles* Pelei & The-



Cum Juno, æternum ſervans ſub pectore vulnus,
Hæc ſecum: Mene incepto deſiſtere victam?
Nec poſſe Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis! Pallaſne exurere claſſem
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei?
Ipſa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.
Aſt ego, quæ Divum incedo Regina, Joviſque
Et ſoror & conjux, una cum gente tot annos Bel-

*cum Juno ſervans ſub pectore plagam immortalem, hæc mente* volvebat: *Egone ut victa ceſſem a cœpto, nec poſſim arcere ab Italia regem Trojanorum? ſcilicet impedior fatis! An Pallas potuit incendere naves Græcorum, & ipſos ſubmergere mari, propter culpam & furorem ſolius Ajacis Oilei? Ipſa vibrans e nubibus rapidum fulmen Jovis, & diſſipavit naves, & turbavit mare ventis, ipſumque* Ajacem *evomentem flammas e transfoſſo pectore involvit turbine, & impegit rupi acutæ. Ego vero quæ gradior regina Deorum, Joviſque & ſoror & uxor, bellum facio a tot annis adverſus unicum populum:*

*& ali-*

## NOTÆ.

Thetidis filius, regnavit in Auſtrali Theſſaliæ parte, quæ Phthiotis dicta eſt. Statim ab ortu Stygiis aquis immerſus, atque inde vulnere non violabilis, præterquam ea pedis parte, qua, dum lavaretur, a matre comprehenſus eſt. Occultatus a Thetide inter Lycomedis, Scyri regis, filias habitu muliebri, ne ad Trojam iret, unam earum vitiavit Deidamiam, ex eaque Pyrrhum ſuſcepit. Agnitus tamen Ulyſſis dolo, & ad illam expeditionem profectus, Hectorem occidit, & viciſſim a Paride occiſus eſt, ſagitta in talum impacta. *Pelides*, a patre Peleo dictus: *Æacides* ab avo Æaco, Jovis filio, Æginæ inſulæ rege, de quo Æ. 2. 7.

38. *Siculæ telluris.*) Sicilia, inſula Mediterranei maris, de qua fuſe Æn. 3. 687. Hinc ſolvit Æneas menſe Julio exeunte: ut diximus in argumento generali.

42. *Teucrorum.*) Trojanorum, a *Teucro* rege: de quo infra v. 239.

43. *Quippe vetor fatis.*) Occurrit objectioni, quæ peti poſſet e ſumma vi fatorum in ipſos Deos; & eſt indignatio cum amaro quodam joco: *Quaſi vero fata debuerint ultionem injuriæ permittere Palladi, mihi negare.* De *Pallade*, Ecl. 2. 61.

44. *Argivum.*) Non proprie Argivorum, ſive Græcorum omnium; ſed Locrenſium, qui cum rege ſuo Ajace, Oilei filio, poſt Trojanum excidium patriam repetentes, tempeſtate oppreſſi ſunt: Ajax ipſe fulmine afflictus a Pallade; eo quod is, capta Troja, Caſſandram Priami filiam virginem, & vaticinandi munere inſignem, in ipſo Palladis templo vitiaſſet. Juxta Homerum tamen ſubmerſus eſt a Neptuno, eo quod invitis Diis evaſurum ſe e fluctibus impudenter jactaſſet, Odyſ. l. 4. 505.

45. *Ajacis Oilei.*) Duo enim Ajaces fuerunt. Hic Oilei, Locrenſium regis; alter Telamonis Salaminis regis filius, qui propter amiſſa in judicio Achillis arma, in gladium incubuit. *Oilei.*) Subſtantivum eſt, & eſt *Aiax Oilei*, nempe *filius*; ut alibi *Deiphobe Glauci*, nempe *filia*.

46. *Jovis.*) A quo fulmen mutuata fuerat, ut graviorem infligeret plagam. Juno enim, & Pallas, & Vulcanus, fulmina mittere dicebantur; ſed non tam valida, quam Jupiter.

49. *Scopuloque.*) Aut Caphareo, Eubœæ monti; aut juxta Homerum Odyſſ. 4. 507. Gyrææ petræ, quam Didymus eſſe putat Gyarum, Ægæi inſulam, non longe a Delo, ſteriliſſimam & exſilii loco habitam a Romanis.

50. *Incedo regina, &c.*) De gravitate Junonii inceſſus G. 3. 532. Solemnia Deorum cum ſororibus connubia ſunt. Ovid. Met. 9. 498. *Dii nempe ſuas habuere ſorores. Sic Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine duxit, Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi*. Per Jovem autem, fabulæ ætherem cœlumque igneum ſignificarunt; per Junonem, aerem: unde Juno Jovis *ſoror* dicitur, quia aer ætheri ſubtilitate perſimilis; *conjux* vero, quia ætheris ſubjectus. Ex Cicerone & Macrobio. Tamen Virgilius aerem ipſum & ætherem videtur in uno Jove adumbraſſe, eique terram conjugem attribuiſſe, G. 2. 325.

*55. Au-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bella gero: & quiſquam numen Junonis adoret
Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem?
Talia flammato ſecum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Auſtris,
Æoliam venit. Hic vaſto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt. Celſa ſedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque & montes inſuper altos
Impoſuit, regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.
Ad quem tum Juno ſupplex his vocibus uſa eſt:
Æole, (namque tibi Divum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victoſque Penates.
Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes,
Aut age diverſas, & disjice corpora ponto.

Sunt

*& aliquis poſtea colet divinitatem Junonis, aut ſupplex imponet victimam altaribus? Talia volvens Dea privatim animo ardente, venit in Æoliam, regionem tempeſtatum & loca plena furioſis ventis. Illic rex Æolus ſpatioſa in caverna continet auctoritate* ſua *ventos pugnantes & tempeſtates ſonantes*, eoſque *coercet catenis & carcere. Illi impatientes tumultuantur circa obices, magno cum fragore montis. Æolus ſedet in ſummo monte, tenens ſceptrum, & mitigat animos, & moderatur furorem. Niſi id faceret, ſcilicet venti rapidi ſecum raperent maria ac terras & cœlum intimum, eaque per aerem traherent. Sed Deus omnipotens id timens clauſit eos in antris obſcuris, & ſuper impoſuit moles altarum rupium, præfecitque regem, qui conſtanti lege ſciret & eos coercere, & iis permittere laxiora fræna*, quoties *juberetur. Apud quem Juno tunc ſupplicans uſa eſt his verbis: Æole, (nam parens Deorum & rex mortalium tibi dedit, & mitigare, & concitare vento fluctus) Natio mihi infenſa currit per mare Tyrrhenum, in Italiam ferens Trojam & Penates domitos. Adde impetum ventis, & obrue naves ſubmerſas, aut impelle in diverſas* partes, *& diſperge corpora mari.*

Ego

## NOTÆ.

55. *Auſtris.*) Proprie vĕtis a meridie flatibus, de quibus Ec. 2. 58. Hic promiſcue pro omnibus.

56. *Æoliam.*) Non hic Aſiæ minoris regio ſignificatur, inter Troadem & Joniam ſita, *Æolia*, ſive *Æolis* dicta; ſed *Æoliæ inſulæ* inter Italiam & Siciliam ſitæ, numero ſeptem; aliter *Vulcaniæ & Hephæſtiades* appellatæ: quarum principes ſunt Lipara, Hiera, Strongyle. *Vulcaniæ & Hephæſtiades* dictæ, quia propter frequentem ignium eruptionem Vulcanus, qui Græcis Ἥφαιστος, ibidem habere officinam exiſtimatus eſt; præſertim in Hiera, de qua Æ. 8. 416. *Æoliæ* vero, quia Æolus Hippotæ filius ibidem regnavit, maxime in Strongyle, rex ventorum habitus ideo, quia juxta Plinium, Diodorum, ac Solinum, ex inſularum fumo ventos in triduum prædicere nautis ſolitus erat, unde hæ inſulæ dicuntur hic *ventorum patria*. Nomen Æoli ab αἰόλος *varius*, ob naturam ventorum mutabilem.

60. *Arce.*) Vel proprie in arce, quæ ipſi palatii loco ſit; vel in ſumma montis rupe: rupes enim *arces* aliquando appellantur: G. 4. 461. *Flerunt Rhodopeiæ arces.*

63. *Verrantque.*) Vox Lucretiana, l. 5. 267. *Validi verrentes æquora venti.*

66. *Fœdere.*) Eſt enim quoddam veluti fœdus, imperium principum in ſubditos: quo ſubditi obſequium principibus, principes ſubditis tutelam promittunt.

71. *Tyrrhenum æquor.*) Mediterranei maris ea pars eſt, quæ Italiam ad meridiem alluit; unde *mare inferum* etiam vocatur, & mare *Tuſcum*: a Tuſcia ſive Etruria, ad fretum Siculum extenditur: Ital. *mare di Toſcana.*

72. *Ilium in Italiam, &c.*) De *Ilio*, Troja, ſupra v. 5. De *Italia* v. 6. de *Penatibus*, Diis domeſticis l. 2. 717.

75. *Nymphæ.*) Proprie minora aquarum numina ſunt, ut diximus Ecl. 2. 46. Addicuntur tamen & aliis numinibus quaſi famulæ.

76. *Deiopeiam.*) Nomen a δήιος *ardens*, & ὤψ *vox*.

77. *Connubio.*) Vulgo ſecundam ſyllabam habet



Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor: mihi juſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi quodcunque hoc regni, tu ſceptra, Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere Divum,
Nimborumque facis tempeſtatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorque virum, ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
Præſentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra.

In-

*Ego habeo quatuordecim Nymphas formoſo corpore: e quibus Deiopeiam, quæ ſpecie elegantiſſima* eſt, *ſociabo* tibi *firmo conjugio, & propriam addicam; ut pro tali officio tranſigat tecum omnes annos, & efficiat te patrem formoſa ſobole. Æolus hæc viciſſim* reſpondit: *Tua cura eſt, o regina, conſiderare quid velis; æquum eſt me exſequi tua mandata. Tu mihi demereris Jovem, & imperium, & eam qualemcumque auctoritatem: tu facis ut accubem menſis Deorum, & reddis me dominum nubium ac tempeſtatum. Poſtquam hæc dicta ſunt, concuſſit cavernoſum montem ad latus intorta cuſpide, ac venti quaſi turmatim erumpunt, qua via aperta eſt, & agitant flatu terras. Inſederunt mari, ac ſimul Euruſque Notuſque, & frequens tempeſtatibus Africus, evertunt totum mare ab ipſo fundo: & propellunt ad litora magnos fluctus. Sequitur & clamor hominum, & ſtridor funium. Statim nubes auferunt cœlum & lucem ex oculis Trojanorum; nox obſcura inſidet mari; poli tonuere, & aer ſplendet frequentibus fulguribus; & omnia ingerunt hominibus præſentem necem. Continuo membra Æneæ frigore diſſolvuntur.*

*In-*

## NOTÆ.

bet longam, quia eſt a *nubo*, cujus prima longa; ita Æ. 3. 319. *Hectoris Andromache Pyrrhin connubia ſervas?* Æ. 4. 316. *Per connubia noſtra* &c.

79. *Pulchra prole.*) Innuit hic Æolum liberis fuiſſe hactenus infelicem; Siſypho nempe latrociniis infami, Macareo ſororis ſuæ Canaces inceſto amatore: hos enim duos hujus etiam Æoli ventorum regis liberos facit Ovidius Ep. Heroid. 11. 9. Et propterea Juno novam ei conjugem proponit, ex qua digniores ſuſcipiat liberos. Adde quod Dea nuptiarũ & partuum eſt: unde non indecora eſt hæc ejus promiſſio.

81. *Fas eſt.*) Licebit mihi facere, etiamſi illicita juſſeris: tibi enĩ tam multa debeo, ſceptra, gratiam Jovis, ut nemini reus poſſim videri, ſi juſſa tua, quæcũque fuerint, impleverim. Atque id ad mentem Donati. Servius vero ait eſſe commutationem negativi ſenſus in affirmativum; *fas eſt capeſſere*, pro, *nefas eſt non capeſſere*: ut alius affirmativus in negativum commutatur; *munera nec ſperno*, pro, *libenter accipio* Æ. 7. 261.

83. *Epulis accumbere.*) Divinitatis hæc nota eſt: ſic notat Horatius divinitatem Herculis, Od. l. 4. 8. 29. *Sic Jovis intereſt optatis epulis impiger Hercules.*

84. *Tempeſtatum potentem.*) Dominum. Sic Horat. Od. l. 1. 3. *Sic te Diva potens Cypri.*

89. *Euruſque, &c.*) *Eurus*, ventus ab oriente. *Notus* a meridie, qui & *Auſter* dicitur. *Africus*, ab Africa ſpirans, inter occidentem ac meridiem.

91. *Stridorque rudentum.*) Nauticorum funium, qui propter gravem in motu ſtridorem *rudere* quodammodo videntur.

93. *Teucrorum.*) Trojanorum, ſupra v. 42.

96. *Extemplo.*) *Continuo*: & verbum eſt ſacrorum, ut *ilicet* judiciorum: quemadmodum enim *ilicet*, dimiſſo ſenatu, id eſt, *ire licet*, ita *extemplo*, ſacrificio peracto, pronunciabatur a præcone: quo ſignificaretur, ut exirent *e templo*. Quod quia cito fiebat, ideo pro *cito* & *continuo* ſumi utrumque cœptum eſt.

97. *In-*

Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ ſub mœnibus altis,
Contigit oppetere! o Danaum fortiſſime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe? tuaque animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simois correpta ſub undis
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volvit.
Talia jactanti ſtridens Aquilone procella

Velum

*Ingemit, & attollens ad aſtra ambas manus, talia ore pronunciat: O ter & quater felices, quibus accidit mori in oculis parentum, ad muros excelſos Trojæ! o generoſiſſime nationis Danaorum, fili Tydei, egone non potui mori in campis Trojanis, & amittere hanc vitam tua manu? Ubi durus Hector periit armis Achillis, & magnus Sarpedon: ubi Simois volvit inter aquas tot correptos clypeos hominum, & galeas, & generoſa corpora. Talia dicenti tempeſtas ſtridens* ab *Aquilone*

*per-*

## NOTÆ.

97. *Ingemit.*) Accuſatur hic a quibuſdam Æneas puſilli animi, ſed temere: non enim hic mortem deprecatur, ſed mortem ingloriam atque inutilem.

100. *Danaum.*) *Danaum*, Græcorum a Danao, ſupra v. 34.

101. *Tydide.*) Vocativus Græcus. Diomedem intelligit, Tydei filium, Argivorum ducem Trojano bello: de quo Æn. 11. 243. Ab eo vulneratus Æneas in coxa, & tantum non occiſus eſt. Iliad. 5.

103. *Sævus.*) Hic pro *forti*, bonam in partem ſumitur.

*Æacidæ.*) Achillis, qui nepos fuit Æaci, ſupra v. 34.

*Hector.*) Priami & Hecubæ filius, Trojæ propugnator; qui decimo obſidionis anno ab Achille occiſus eſt, & bigis alligatus, ac circa Patrocli ſepulcrum & Trojæ muros tractus: cadaver a Priamo redemptum auro, poſtquam dies duodecim inſepultum fuiſſet.

104. *Sarpedon.*) Jovis ex Laodamia filius, Lyciæ rex, Priamo contra Græcos in auxilium venit & a Patroclo occiſus eſt.

*Simois.*) Fluvius Troadis, ex Ida monte, per agrum Trojanum in Scamandrum profluens, & cum eo in Helleſpontum, non longe a Sigeo promontorio.

106. *Aquilone.*) Qui & *Boreas* appellatur, ventus ſeptentrionalis. Ecl. 7. 51.

107. *Adverſa.*) Quia Aquilo, flans a ſeptentrione, adverſus eſt illac navigantibus e Sicilia in Italiam. Atque hujus quidem venti flatu Æneas, qui ſolverat e Drepani portu, & Siciliæ parte maxime occidentali, jamque aliquantum in mare Tyrrhenum ad ſeptentrionem proceſſerat, retro ad meridiem actus eſt, Africam verſus. Ubi cum inter Siciliam atque Africam, quaſi medium teneret, tum Notus a meridie tres naves ad ſeptentrionem & *aras* repulit, v. 112. Eurus ab oriente tres alias in occidentem impegit, ad latera Africæ, & Syrtim minorem: v. 114.

108. *Prora avertit.*) In quibuſdam codd. *proram avertit*, & refertur ad *procella*: in cæteris melius *prora avertit*, id eſt, *avertit ſe. Prora.*) Pars navis anterior.

109. *Inſequitur cumulo, &c.*) Dabit lucem hæc imitatio Ovidiana Met. 15. 508. *Cum mare ſurrexit, cumuluſque immanis aquarum In montis ſpeciem curvari & creſcere viſus.*

112. *In ſaxa latentia.*) Non in quælibet ſaxa latentia; ſed in ea, quæ ab Italis *aræ* vocantur: quænam autem illa ſint, mox inquiremus.

113. *Aras.*) I. Explicant aliqui apud Pomponium Sabinum de Aris Philænorum, loco in Africa celebri, propter mortem duorum ejus nominis fratrum, qui, pro diſterminandis Carthaginenſium ſuorum a Cyrenaica ditione limitibus, ibi ſe vivos defodi paſſi ſunt: ut eſt apud Salluſt. in Jugurta. At locus ille circa Syrtim majorem in Continenti Africæ fuit: igitur Notus, meridionalis ventus, non potuit illuc naves pellere; adde quod ſunt aræ iſtæ *mediis in fluctibus*. II. Scaliger in Commentario ad Epiſtolam 9. Auſonii *aras* ait eſſe moles & crepidines, quibus flumina aut maria coercentur, citatque hos Virgilii verſus, ſed male; nam crepidines illæ litora muniunt, *aræ* iſtæ ſunt *mediis in fluctibus*. Firmat ſententiam hoc ejuſdem epiſtolæ verſu, *Deſertus vacuis ſoliſque exerceor aris*: ſed libenter, nec temere reſcriberem, vel *agris*, vel *oris*; cui lectioni favet impenſe ſubſequentium verſuum ſententia. Addit locum e Tertulliani pallio, cap. 5. *Soleo de qualibet margine, vel ara, medicinam mo-*

*ribus*



Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet;
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus Aras,
Dorſum immane mari ſummo. Tres Eurus ab alto
In brevia & ſyrtes urget, miſerabile viſu;
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Unam

*percutit* ex *oppoſita* parte *velum, & propellit fluctus ad aſtra. Rumpuntur remi, deinde prora detorquetur, & objicit latus undis: ſuccedit mons aquæ altitudine præruptus. Alii pendent e ſummo fluctu; mare hians pandit aliis terram inter fluctus: mare ebulliens turbatur arenis. Notus affligit tres* naves *abreptas ad ſcopulos occultos; ſcopulos* inquam illos, *quos Itali in medio mari appellant Aras*, quæ ſunt quaſi *grande dorſum* in *ſuperficie maris. Eurus tres* naves *impellit a pleno* mari *in brevia & ſyrtes, res viſu miſerabilis*: eaſque *impingit in vada & circumdat vallo arenæ.*

In-

## NOTÆ.

*ribus dicere*: putatque *margine* & *ara* hic eſſe ſynonyma: ſed præterquam quod in quibuſdam codd. legitur *area*, non *ara*, manifeſtum eſt nihil hic eſſe, quod ad mare fluvioſque pertineat: & hæc eſſe Cynici cujuſdam Philoſophi verba, qui profitetur ſe ad dicendum, non ſuggeſtu, non pulpito indigere; ſed ex quolibet loco paullo editiore, quales ſunt in viis margines, quales in aris gradus, concionem habere. III. Ex Servio & Pomponio Sabino colligitur *aras* inſulas eſſe, Africam inter & Siciliam poſitas, non longe a Lilybeo Siciliæ promontorio; communi nomine *Ægathes* appellatas; tres numero, Phorbantiam, nunc *Levanzo*; Æguſam, nunc *Favognana*; Hieram, nunc *Maretamo*; eaſque admodum ſcopuloſas, & ſaxis *latentibus* vallatas. Ad has conſtat victos eſſe navali prœlio Pœnos a Q. Lutatio Catulo conſule anno U. C. 512. & pace ibidem conſtituta terminatum ab eo feliciter fuiſſe bellum Punicum primum iis conditionibus, ut quicquid inſularum eſt Africam inter & Italiam, Romani juris deinceps foret. Id habetur ex Floro, Cornelio Nepote, Polybio. Teſtatur Servius ex illo fœdere ſaxa illa dicta Italis fuiſſe *aras propitias*, & eo nomine appellari apud Siſennam hiſtoricum veterem, cujus opera perierunt. Atque ille inſularum ſitus plane cum Virgiliana tempeſtatis deſcriptione convenit, qualem explicuimus ad v. 107. Non poſſum tamen, quin hic Turnebum, & Pomponium Melam obiter perſtringam. Turnebus quidem l. 26. c. 23. ſaxa illa magno in honore apud Romanos habita confirmat ex hoc Lucani l. 8. 892. *Auguſtius aris victoris Libyco pulſatur ab æquore ſaxum Tarpeiis*. Ubi ſane dormivit vir ſagax: patet enim vero legentibus, ſaxum hoc Lucani, tumulum illum eſſe ſubitarium, quo Pompeii cadaver in Ægyptio litore conditum eſt, & hanc eſſe verſuum ſententiam *ſaxeum Pompeii tumulum, quem fluctus alluit in litore, auguſtiorem eſſe aris illis, quas adulatrix Roma victori Cæſari deinde erexit*: vox autem *Tarpeiis* plane ſequenti verſui adjungenda eſt. Pomponius Mela, cum l. 2. c. 7. vocavit *Ægathes Romana clade memorabiles*, aut erravit, aut cladem intellexit, non quam Romani paſſi ſunt, ſed quam Pœnis intulerunt.

114. *Dorſum immane, &c.*) Quomodo igitur *latentia*, ſi quidem dorſum in mari faciebant? ſcilicet *dorſum* faciebant inſulæ: circumjecta inſulis ſaxa *latebant*. Polybius l. 4. de Iſtri oſtiis loquens, ait, in iis aggeſtiones quoque arenarum eſſe, quas nautæ vocant *pectora*: καλῦσι δ' αὐτὰς οἱ ναυτικοὶ στήθη.

115. *In brevia & ſyrtes.*) Non in omnia *brevia*, ſed in ea quæ peculiariter vocantur *ſyrtes*. Et *brevia, vada, ſyrtes*, communiter ſignificant partes illas maris, ubi frequentes & vento mutabiles fiunt arenarum aggeſtiones: *brevia* quidem dicta βραχέα, quia *brevis* & parum alta ibidem aqua eſt: *vada*, quia pedibus illac facile eſt *vadere*, difficile navibus; *ſyrtes*, a *tractu*, inquit Salluſtius, id eſt, quaſi σύρτις a σύρω *traho*, quia eo *limum, arenamque, & ſaxa ingentia fluctus trahunt*, ait idem. Syrtes ejuſmodi duæ ſunt in Africano litore; vaſtos in ſinus porrectæ, Tripolitanam regionem utrimque vallant: major ad orientem eſt, *le ſecche di Barbaria*; minor ad occidentem, *il golfo di Capes*: major a minore disjungitur ducentis & quinquaginta paſſuum millibus. Itaque de minore ſola hic eſt ſermo: pluralem tamen numerum poeta ad rem augendam adhibuit. Et *Eurus* facile potuit ad



Syr-

Unam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur pronuſque magiſter
Volvitur in caput: aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vaſto:
Arma virum, tabulæque, & Troia gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.
Interea magno miſceri murmure pontum,
Emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus, & imis

Sta-

*Ingens fluctus ante oculos ipſius Æneæ percutit a prora in puppim unam* navim, *quæ ferebat Lycios & fidelem Orontem: concidit gubernator, & pronus ſubvertitur in caput: navim vero fluctus ter eodem in loco circum involvens torquet, & præceps vortex abſorbet mari. Videntur pauci enatantes in immenſo mari: & arma hominum, & tabulæ, & Trojanæ opes per aquas. Jam tempeſtas ſuperavit firmam navem Ilionei, jam* navem *generoſi Achatæ, &* eam *qua portabatur Abas, & qua ſenior Alethes: & omnes ſolutis juncturis laterum admittunt pernicioſam aquam, & rimis dehiſcunt. Interea Neptunus animadvertit mare magno tumultu agitari, & immiſſam tempeſtatem, &* pro-

## N O T Æ.

Syrtis illius occidentales latus, Carthagini vicinius, Æneæ naves impellere, cum ab oriente ſpiret.

117. *Lycios.*) Aſiæ minoris populos, inter Pamphyliam & Cariam, qui Trojanis in auxilium venerant; & mortuo Rege ſuo Sarpedone, Æneæ adhæſerant. *Orontes*, eorum dux. Magiſter navis *Leucaſpis* videtur fuiſſe, de quo Æn. 6. 334.

118. *A vertice, &c.*) Explicat Servius, *a puppi*, quam ait eſſe verticem navis; male, non enim *a puppi in puppim* pontus ferire poteſt. Idem Servius, *ab aquilone*, ſeu *Boreali polo*, qui *vertex* appellatur: durius Modicius, *a puncto verticali*, quod Arabes *Zenith* vocant; curioſius Taubmannus, *a vertice*, ſive quod idem eſt, *vertice aquarum & ventorum*; Lucretius enim l. 1. 293. de ventis, *Interdum vertice toto corripiunt*: ſed ab eo ſenſu videtur abhorrere præpoſitio *a*. Ego interpretor *a prora*: quæ pars eſt navis, ſi non mole altior, ſaltem acutior & in roſtrum deſinens: unde *vertex* dici poteſt. Adde quod levior cum ſit, facilius potuit fluctuum impetu attolli, & in puppim ſubverti: unde *pronus magiſter in caput* revolutus fuerit.

121. *Vortex.*) Chariſius diſtinguit *verticem* a *vortice*, & hunc derivat a *vorando*, illum a *vertendo*. Alii tamen melius utrumque a *vertendo* deducunt, & utriuſque vim confundunt; ut ſignificent quicquid *vertitur* ac torquetur, ut in aquis, ventis, extrema parte axis, capillis: a capillis autem ad ſummam capitis partem exprimendam transfertur *vertex*, a capite ad cacumina montium, atque arborum. Patet utriuſque vocis affinitas ex Quintiliano, qui ait Scipionem Africanum primum in *vortices* & *vorſus* literam *o* mutaſſe in *e*.

122. *Apparent rari.*) Hoc de navi Orontis intelligendum: ex qua pauci enatare conabantur, cæteris mari demerſis.

*Gurgite vaſto.*) *Gurges* eſt pars maris aut fluvii profundi, aquas ingenti ſono quaſi ſorbens, unde a ſoni ſimilitudine nomen habet: ſumitur hic, ut vulgo apud cæteros poetas, pro toto mari, & eſt tapinoſis, ſive rei magnæ expoſitio humilior; unde additur, *vaſto*. Sic Æ. 3. 197. *Diſperſi jactamur gurgite vaſto.*

123. *Troia gaza.*) Perſica vox, ærarium ſignificat ex Pomp. Mela l. 1. 11. Neque tantum pro auro ſumitur, quod natare non potuiſſet, ſed pro qualibet pretioſa ſupellectile. Addit Mela, *Gazam*, Palæſtinæ urbem inde nomen accepiſſe, quod Cambyſes Perſarum rex, cum Ægyptum armis peteret, *huc belli opes & pecuniam intuliſſet*. *Troia* adjective, *Troius*, *Troia*, trium ſyllabarum.

124. *Ilionei ... Achatæ.*) *Ilionei* vult eſſe dativum Servius, & caſum pro caſu poſitum: at dativus quidem eſt Græcus, ſed genitivus eſt Latinus primæ declinationis, ut Æ. 4. 351. *Me patris Anchiſæ*. Et *Achates* quidem fidus erat Æneæ amicus, de quo paſſim ubique ſermo eſt. *Ilioneus* mox apud Didonem naufragorum orator erit, v. 525.

125. *Abas ........ Alethes.*) *Abas*, is forte, qui a Lauſo Mezentii filio occiditur Æ. 10. 427. *Alethes*, ut præcipui vir conſilii at-

que



Stagna refuſa vadis: graviter commotus, & alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore claſſem,
Fluctibus oppreſſos Troas, cœlique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ:
Eurum ad ſe Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?
Jam cœlum terramque meo ſine numine, venti,
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus.
Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi, ſævumque tridentem,

Sed

*profunda* maris *ab imis vadis revoluta: graviter iratus, & mari providens, ſuſtulit caput tranquillum e ſuperficie aquæ. Cernit naves Æneæ diſperſas toto mari, Trojanos obrutos fluctibus & aeris fulminibus. Nec fraudes & iræ Junonis ignotæ fuerunt fratri* Junonis: *appellat ad ſe Eurum ac Zephyrum, deinde hæc ait: Tantane vos cepit confidentia ex veſtra origine? Jam audetis, o venti, abſque mea auctoritate, confundere cœlum & terram, & attollere tantos cumulos* fluctuum? *Vos ego* puniam. *Sed melius eſt ſedare turbatas aquas. Deinceps non luetis crimina tali pœna. Celerate fugam, & dicite iſta veſtro regi. Non illi conceſſam* eſſe *dominationem maris, & potentem tridentem;*

*ſed*

## N O T Æ.

que auctoritatis inducitur Æn. 9. 246. *Hic annis gravis atque animi maturus Alethes.*

126. *Hyems.*) Vis tempeſtatis: æſtas enim tunc erat, ut videbimus v. 539. Sic de æſtiva tempeſtate G. 1. 321. *Ita turbine nigro ferret hyems culmumque levem ſtipulaſque volantes.*

127. *Imbrem.*) Vel proprie pluviam, vel ipſam maris aquam: aqua enim generatim imber a Lucretio dicitur l. 1. 715. *Ex igni, terra, atque anima procreſcere, & imbri.*

129. *Neptunus.*) Jovis & Plutonis frater, maris præſes. Uxorem habuit Amphitriten: ex qua Nymphas complures ſuſcepit. Muros Trojanos condidit cum Apolline: equum e terra ſuſcitavit, cum Pallade contendens de nomine Athenis imponendo, ut habetur G. 1. 14. Nomen ejus, juxta Ciceronem, a *nando*; juxta Varronem, a *nubendo*, quia terras aquis obnubit & cooperit.

130. *Stagna vadis.*) Tapinoſis, humilis expreſſio majoris rei: *ſtagnum* enim eſt *aqua ſtans*; *vadum*, locus in mari aut fluvio, ubi parum aquæ, multum arenæ eſt: hic utrumque pro *mari*.

133. *Cœlique ruina.*) Imbre, fulguribus, fulminibus, quæ e cœlo ruunt.

134. *Fratrem Junonis.*) Neptunum: ambo enim Saturnum patrem, Opem matrem habuerunt. Neptunus autem dicitur Junonis frater: quia aer, quæ Iuno eſt, contiguus eſt aquæ, qui Neptunus.

135. *Eurum ..... Zephyrumque.*) Ventos oppoſitos; hunc ab occidente, illum ab oriente.

136. *Generis fiducia.*) Venti enim principes feruntur Auroræ & Aſtræi Titanis filii eſſe. Admonet ergo Neptunus objurgando, ut, ſi Gigantum majorum ſuorum imitari pervicaciam velint, pœnas eorumdem timeant.

137. *Cœlum terramque.*) Puto hic a Neptuno communem elementorum omnium perturbationem ventis exprobrari: & per *cœlum* quidem, aerem, & ætherem; per *terram*, aquam etiam ſignificari, quæ cum terra conglobata eſt.

*Numine.*) *Numen*, proprie *nutus* eſt; ſive motus quidam oculorum & capitis, quo potenti ſignificamus nos poſtulata concedere. Hinc ad ſignificandam voluntatem Deorum traducitur, ut hic, & Æn. 2. 777. *Non hæc ſine numine Divum eveniunt.* Tum ad potentiam eorumdem & auctoritatem, ut ſupra v. 52. *Et quiſquam numen Junonis adoret?* & infra v. 670. *Et ſupplex tua numina poſco.* Denique ad ipſum Deum, ut G. 4. 453. *Non te nullius exercent numinis iræ*; & Æn. 4. 382. *Si quid pia numina poſſunt.*

139. *Quos ego.*) Reticentia, ad terrorem incutiendum. Supple: *Quos ego ſi corripuero, probe ulciſcar.* De hac figura Ecl. 3. 25.

141. *Maturate fugam.*) Celerate. De hac voce Georg. 1. 261.

142. *Tridentem.*) Sceptrum Neptuni, quod ipſi tribuitur: vel quia tria ſunt aquarum genera, maria, flumina, paludes: vel potius, ut innuit Cornutus, quia piſcatores telo ejuſmodi ad venationem piſcium utebantur, vocabantque *fuſcinam*.



143. *Sa-*

Sed mihi ſorte datum. Tenet ille immania ſaxa,
Veſtras, Eure, domos: illa ſe jactet in aula
Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.
Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectaſque fugat nubes, Solemque reducit.
Cymothoe ſimul, & Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves ſcopulo: levat ipſe tridenti,
Et vaſtas aperit ſyrtes, & temperat æquor,
Atque rotis ſummas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus:
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;
Tum, pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora poſtquam
Proſpiciens genitor, cœloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora ſecundo.

De-

*ſed mihi per ſortem. Habet ille rupes ingentes*, quæ ſunt *veſtræ domus, o Eure: Æolus glorietur in illa aula, & clauſo carcere ventorum exerceat imperium. Sic dixit, & celerius quam dixerat ſedat inflatum mare, & pellit nimbos congregatos*, & rurſus *inducit Solem. Simul* cum eo *Cymothoe, & Triton connitens, depellunt naves ab acuto ſcopulo: ipſe* Neptunus *ſublevat eas tridente, & recludit immenſas ſyrtes, & ſedat mare, & perſtringit ſuperficiem aquarum levibus rotis. Et quemadmodum ſæpe, cum in populo numeroſo commota eſt ſeditio, & plebs vilis furit animis, & jam tædæ ac lapides volant, ira ſuppeditat tela, tunc ſi fortuito vident virum aliquem inſignem virtute ac meritis, tacent & ſtant attentis auribus: ille temperat animos & placat corda ſermone. Ita omnis tumultus maris ceſſavit, ſtatim atque pater videns mare, & vectus per aerem ſerenum, impulit equos, & currens immiſit habenas curru facili.*

Tro-

## N O T Æ.

143. *Saxa.*) Æoliarum inſularum, de quibus v. 55.

148. *Cymothoe .... Triton.*) Dii marini. *Cymothoe* Nympha, Nerei & Doridis filia: a κῦμα *unda*, & θέω *curro*. *Triton*, Neptuni & Amphitrites, aut Salaciæ Nymphæ filius: ſuperiore parte hominem, inferiore piſcem referens; Neptuni buccinator, concha utens pro tuba.

150. *Syrtes.*) De ſyrtibus ſupra, v. 115.

159. *Cæloque aperto.*) Non per cœlum vectus, inquit Servius; ſed vectus per maria cœlo jam ſereno. Tamen ſic aer mari jungitur, inquit Corradus, ut vectus per mare Neptunus, moveri tamen in aere dici poſſit.

160. *Flectit equos.*) Geminos, marinos, qui ipſius currui a poetis alligantur: pedibus anterioribus inſtructos, poſterioribus carentes. Unde ſic a Statio deſcribuntur Achil. l. 1. 390. *Illi ſpumiferos glomerant a pectore fluctus, pone natant, delentque pedum veſtigia cauda.* Et a Virgilio Georg. 4. 389. *Proteus magnum qui piſcibus æquor, & juncto bipedum curru metitur equorum.* Equos hujuſmodi bipedes, quos a caudæ flexu *hippocampos* appellant, inter poetarum figmenta refert Aldrovandus: nulloſque agnoſcit niſi quadrupedes: quorum effigiem refert, magis bubulæ aut ſuillæ, quam equinæ, affinem, vocatque *hippopotamos*, a fluviis, præcipue Ægypti, ubi frequentes dicuntur inveniri, maxime in Nigro & Nilo.

*Curru.*) Dativus antiquus, pro *currui*: de quo Ecl. 5. 29.

162. *Libyæ.*) Pars eſt Africæ ad oram mediterranei maris, ad occidentem Ægypti: varie a variis ſcriptoribus definita: vulgo pro tota Africa ſumitur.

163. *Eſt in ſeceſſu, &c.*) Portum a natura, non ab arte factum deſcribit. Et hunc aliqui volunt eſſe portum Africanæ Carthaginis, ſed falſo: ſtatim enim vidiſſet Æneas fundamenta urbis, quæ non vidit niſi poſtera die. Alii dicunt eam deſcriptionem plane convenire portui Carthaginis Hiſpanicæ, ſive novæ; at ea ſimilitudo caſu occurrit, neque enim ad Hiſpanicas, ſed ad *Libycas oras* Æneas vertitur. Turnebus melius putat portum illum fictum a poeta, circa litus Carthaginenſe, & omnino expreſſum ad formam Ithacenſis portus, apud Homer. Odyſ. 13. 95.

164. *Inſula portum, &c.*) Suppreſſa eſt vox relativa *quem*, aut adverbium *ubi*. Sic ſupra: *Urbs antiqua fuit: Tyrii*, &c. pro

quam



Defeſſi Æneadæ, quæ proxima, litora curſu
Contendunt petere, & Libyæ vertuntur ad oras.
Eſt in ſeceſſu longo locus: Inſula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli: quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent: tum ſilvis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque ſedilia ſaxo;
Nympharum domus. Hic feſſas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morſu.
Huc ſeptem Æneas collectis navibus omni
Ex numero ſubit: ac magno telluris amore
Egreſſi, optata potiuntur Troes arena,
Et ſale tabentes artus in litore ponunt.

Ac

*Trojani fatigati conantur aſſequi curſu litora quæ vicina* ſunt, *& deflectunt ad plagas Africæ. Eſt locus in longo receſſu*, ubi *inſula portum oppoſitu laterum format, quibus omnis a mari* veniens *fluctus frangitur, & finditur in ſinus replicatos. Hinc & inde rupes immanes & duo ſcopuli eminent ad cœlum; quorum ſub cacumine undique mare placidum quieſcit: præterea umbraculum arborum micantium, & nemus obſcurum horrentibus tenebris deſuper impendet. Et oppoſita parte, caverna eſt in ſcopulis ſuſpenſis*: in caverna *ſunt aquæ dulces, & ſedilia e vivo lapide: domus* videtur *Nympharum. Illic nulla retinacula continent naves laſſatas, anchora non affigit eas unco dente. Illuc intrat Æneas congregatis navibus ſeptem ex tota multitudine: &* Trojani ex iis *egreſſi* cum *magno terræ deſiderio, obtinent arenam deſideratam, & ſternunt in litore corpora ſalſis* undis *fluentia.*

Et

## N O T Æ.

*quam Tyrii*, &c. Hæc autem eſt loci deſcriptio. 1. Sinus eſt longus ac profundus, non latus, in ora Libyæ. 2. Sinus illius fauces, ne laxiores ſint, clauduntur objectu inſulæ, quæ in longum porrecta, latus unum opponit ſinui, alterum pleno mari. 3. Inſula ſinum ita claudit, ut aditum tamen in ſinum utrumque liberum relinquat. 4. Sic inſula mari latus opponit, ut fluctus eo allapſi frangantur, & in ſe ſinuatim revoluti, non recto impetu, ſed magno flexu per extrema inſulæ aditum utrimque in portum quærant. 5. Sinus ipſe, non inſula, ſcopulis fere circumcingitur, quorum altiſſimi duo procurrunt ad extrema terræ continentis cornua, & utrumque aditum defendunt, ſilvis in vertice inumbrati. 6. In intimo ſinus receſſu, quæ frons eſt adverſa portum ſubeuntibus, ſcopuli antrum exhibent vivis aquis irriguum, &c.

165. *Sinus reductos.*) Vel ſinus in ſe revolutos ac replicatos, quos unda cum impetu ſic alliſa ſemper facit, ut explicamus Georg. 4. 420. Vel ſinus a ſe invicem recedentes, ut explicat Turnebus; qui ſic exponit quoque illud Horatii, Epod. 2. 13. *Aut in reducta valle*, id eſt, *recedente ac remota.*

167. *Sub vertice tuta.*) Quia ſcopuli imminent mari, atque inſulæ: ideoque locum a ventis ac tempeſtate tutum præſtant.

168. *Scena.*) *Scena*, σκηνή, eſt *umbraculum*, a σκιά, *umbra*: unde hic proprie dicitur: transfertur ad Theatrum, Georg. 2. 381. & 3. 24.

*Coruſcis deſuper horrentique, &c.*) Vel ſilvis *deſuper* Sole illuſtratis, *ſubter* ramorum opacitate horrentibus. Vel ſilvis criſpantibus & ventorum impulſu agitatis, & ingenti umbra nigricantibus ſcena & nemus *deſuper* imminent. Nam *deſuper*, & ad *coruſcis*, & ad *imminet* referri poteſt. *Coruſcis.*) Notat interdum *ſplendorem*, ut Georg. 1. 233. *Coruſco ſemper ſole rubens.* Interdum *motum*, ut Æn. 12. 919. *Telum Æneas fatale coruſcat*; id eſt, *movet, vibrat*. Sic *micare* ambiguum eſt. Æn. 10. 369. *Semianimeſque micant digiti*, id eſt, *moventur*.

172. *Hic feſſas non, &c.*) Vel ſignificat adeo tutum a procellis portum eſſe, ut naves vinculis & anchoris in eo non egeant. Vel dicit Nymphis unis familiarem eſſe locum, ignotum adhuc mortalibus, necdum ullas eo naves appuliſſe.

174. *Septem.*) Nempe viginti navibus Troja ſolverat, infra v. 385. Una Lyciorum mox naufragio periit v. 117. Duodecim mari diſſipatæ, deinde incolumes redibunt, v. 397.

180. Ra-

Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt feſſi rerum: frugeſque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.
Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum late pelago petit, Anthea ſi qua
Jactatum vento videat, Phrygiaſque biremes,
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.
Navem in conſpectu nullam, tres litore cervos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.
Conſtitit hic, arcumque manu celereſque ſagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoreſque ipſos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, ſternit: tum vulgus, & omnem
Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius abſiſtit, quam ſeptem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum navibus æquet.

Hinc

*Et primo Achates excuſſit ſcintillam e lapide, & recepit ignem in frondibus & circumjecit ſicca alimenta, & ſuſcitavit flammam in foco. Tum fatigati caſibus educunt frumenta infecta undis, & inſtrumenta piſtoria: incipiuntque & coquere igne, & comminuere lapide frumenta erepta e naufragio. Interim Æneas conſcendit rupem, & petit omnem undique proſpectum in mare: ſi alicubi Antheum cernat agitatum vento, & Phrygias naves, vel Capyn, vel arma Caici in altis puppibus. Nullam videt navem ante oculos, ſed tres cervos vagantes in litore; hos toti greges ſequuntur a tergo, & turba paſcitur per valles. Illic ſtetit, & cepit manu arcum & ſagittas veloces, quæ arma fidelis Achates ferebat. At primo interficit ipſos duces, tollentes capita ſublimia cornibus ramoſis: deinde perſequens telis frondoſam per ſilvam turbat vulgus & reliquam multitudinem. Nec ceſſat ante, quam victor affligat ad terram ſeptem magna corpora, & eorum numerum æqualem faciat numero navium.*

*Poſtea*

## N O T Æ.

180. *Rapuitque in fomite flammam.*) Servius & Diomedes hic agnoſcunt ſpeciem ſolœciſmi: *in fomite*, pro *fomitem*: idque factum a poeta ex veteri licentia circa communes præpoſitiones, *in*, *ſub*, *ſuper*, *&c.* *Fomes*, inquit Servius, ſunt aſſulæ, quæ ab arboribus cadunt cum inciduntur, & igni concipiendo commodæ ſunt. Mihi tamen hic videtur aliquid præterea ſignificari; & *fomitem* ſumi pro *foco*, ubi fit congeries grandiorum lignorum: *focus* enim & *fomes* ſunt pariter a *foveo*. Senſus igitur erit. I. Excudit ſcintillam. II. Suſcepit eam in foliis. III. Foliis arida alia nutrimenta adjecit, puta aſſulas. IV. Ex iis foliis ac nutrimentis jam flagrantibus rapuit in fomite flammas; id eſt, celeriter & raptim excitavit flammam in foco & ſtrue lignorum.

181. *Cererem.*) *Ceres*, Saturni & Opis filia fuit: frugum repertrix, ideoque hic pro *pane* ſumitur, ut *Bacchus* pro *vino*.

*Cerealiaque arma.*) Arma, ſunt cujuſque artis inſtrumenta. Sic Georg. 1. 160. *Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma.* Hic igitur artis piſtoriæ ſignificantur inſtrumenta.

182. *Feſſi rerum.*) Earum nempe, quæ ipſis acciderant, ut Æn. 12. 589. *Trepidæ rerum.* Vel feſſi miſeriarum, ut infra v. 466. *Sunt lacrymæ rerum.*

183. *Et torrere, &c.*) Tranſpoſitio; prius enim fuit tundere ſaxo fruges, quam *panem* coquere.

185. *Anthea, &c.*) *Antheus*, accuſat. Græco *Anthea*; de quo mentio eſt l. 12. 443. *Capys*, qui Capuæ deinde conditor fuit; de quo Æn. 10. 145. *Caicus*, de quo Æn. 9. 35.

186. *Phrygiaſque biremes.*) Naves, quæ duplici remorum ordine inſtructæ erant; Æn. 5. 119.

187. *Arma Caici.*) Explicant multi de inſignibus, figuris belluarum, avium, monſtrorum, quæ in puppi exſculptæ navi nomen dabant: unde altera *Centaurus*, Æn. 5. 121. altera *Chimæra*, Ibid. 118. &c. Ego cum Corrado exiſtimo, *arma* eſſe ipſa, quæ a navigantibus in puppi ordine diſponebantur, præſertim clypeos, ut in veteribus nummis & monumentis videre eſt: ſic Æn. 10. 80. *Præfigere puppibus arma*, pro *armare naves*. Et fortaſſe navis Caici clypeos



Hinc portum petit, & ſocios partitur in omnes.
Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes
Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet:
O ſocii (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos; vos & Cyclopea ſaxa
Experti: revocate animos, mœſtumque timorem
Mittite: forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in Latium; ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt: illic fas regna reſurgere Trojæ.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.
Talia voce refert: curiſque ingentibus æger
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
Illi ſe prædæ accingunt dapibuſque futuris:
Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.
Pars in fruſta ſecant, verubuſque trementia figunt:
Litore ahena locant alii, flammaſque miniſtrant.
Tum victu revocant vires: fuſique per herbam

Im-

*Poſtea vedit in portum, & diſtribuit inter omnes ſocios. Deinde dividit vina, quæ largus Aceſtes impoſuerat cadis in litore Siculo, dederatque heros diſcedentibus: & ſolatur verbis mœſta corda. O ſocii (nam non obliti ſumus malorum præteritorum) o qui toleraſtis acerbiora! Deus ponet his quoque terminum. Vos acceſſiſtis ad rabiem Scyllæ, & ad rupes intus latrantes: vos experti eſtis quoque rupes Cyclopum: reſumite animos, & pellite triſtem metum: fortaſſe gratum erit aliquando recordari harum etiam rerum. Per caſus diverſos, per tam multa pericula rerum, imus in Latium; ubi fata monſtrant ſedes tranquillas: in illo loco licebit regnum Trojanum excitari. Perſeverate, & reſervate vos ipſos ad res proſperas. Hæc dicit ore quidem tenus, & anxius gravi ſollicitudine ſpem fronte fingit, ſed comprimit corde profundum dolorem. Trojani parant ſe ad prædam & ad futuras epulas, detrahunt pelles e coſtis & detegunt carnes; alii ſcindunt in partes, & trajiciunt verubus eas adhuc palpitantes: alii diſponunt æerea vaſa in litore, & ſubjiciunt ignem. Tum reficiunt vires cibo: & diſcumbentes in gramine*

*ſa-*

## N O T Æ.

peos atque arma certæ cujuſdam habebat formæ, qua facile dignoſci poſſet.

188. *Cervos.*) Ariſtoteles & Plinius negant in Africa cervos eſſe. Affirmat tamen Delecampius in Plin. l. 8. 33. additque id jam omnibus notum eſſe.

199. *Vina bonus, &c.*) Parum commoda vocum perturbatio, quæ vocis unius immutatione facile tolli potuiſſet: *Deinde bonus quæ vina cadis onerarat Aceſtes, dividit.* De *Aceſte* Siciliæ rege Æn. 5. 36.

*Cadis onerarat.*) *Cadus*, vas vinarium, aliter *Amphora Attica*, capiens *urnas* duas. *Onerarat cadis vina*, pro *oneraverat cados vino*.

200. *Trinacrio.*) Siculo. *Sicilia* dicta eſt *Trinacria* a tribus promontoriis, de quibus Æ. 3. 687.

202. *Ante malorum.*) Agnoſcit hic J. C. Scaliger *ſynthesin*, ſive *conjunctionem*: ita ut *antemalorum* ſit una vox e duabus compoſita: opponitque hanc figuram *ſejunctioni*, qua vox una in duas diſſolvitur, ut infra v. 614. *Quæ me cumque vocant terræ.* Turnebus mavult ſuppreſſum eſſe articulum, & verbum, fere Græco more; & ſenſum eſſe: *malorum quæ fuerunt ante*: quemadmodum apud Ovid. Met. 1. 20. *Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus*, id eſt, *quæ ſunt ſine pondere*.

205. *Acceſtis ſcopulos.*) Pro *acceſſiſtis ad ſcopulos*. Sic *exſtinxem* pro *exſtinxiſſem* Æ. 4. 606. Et *direxti* pro *direxiſti* Æ. 6. 57. De *Scylla* olim virgine, nunc ſcopulo ad fretum Siculum, Æn. 3. 420. De *Cyclopibus* ejuſdem Siciliæ ad montem Ætnam incolis, Æn. 3. 569.

209. *Latium.*) De ea Italiæ regione, Æ. 7. 54.

211. *Durate.*) Perſeverate, ſuſtinete: quo ſenſu active etiam dicitur Æ. 8. 577. *Quemvis durare laborem.* Et apud Hor. Od. l. 1. 14. 7. *Vix durare carinæ poſſint imperioſius æquor.*

214. *Prædæ accingunt.*) Cervis, quæ venatorum *præda* erat, ad cibum curandis *accingunt ſe*, id eſt, parant: ſolent enim miniſtri ad præſtandam commodius operam, defluentem veſtem altius *cingere*.

215. *Tergora, &c.*) Per *tergora* pelles intellige, per *viſcera*, vel interiora quæ educuntur, vel juxta alios carnes ipſas, quæ pelli proxime

Implentur veteris Bacchi, pinguiſque ferinæ.
Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ,
Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt,
Spemque metumque inter dubii: ſeu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Orontei,
Nunc Amyci caſum gemit, & crudelia ſecum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat: cum Jupiter æthere ſummo
Deſpiciens mare velivolum, terraſque jacentes,
Litoraque, & latos populos, ſic vertice cœli
Conſtitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas,
Triſtior, & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes,

Allo-

*Satiantur vino veteri & pingui carne ferarum. Poſtquam fames pulſa eſt cibo, & menſæ ſublatæ* fuerunt, *inquirunt longo colloquio de ſociis amiſſis, inter ſpem ac timorem incerti, utrum putare* debeant eos *vivere, an in extremis verſari, nec jam audire,* quamvis *inclamentur. Imprimis pius Æneas nunc dolet privatim* fortunam *generoſi Orontis, nunc fortunam Amyci, nunc duram ſortem Lyci, & ſortem Gyam, & ſortem Cloanthum. Et jam erat finis, cum Jupiter ex alto deſpectans mare navigabile, & terras humiles, & litora, & diffuſas gentes, tali ſitu ſtetit in ſuprema* parte *cœli, & fixit oculos in regnis Africæ. Venus autem triſtior, &* habens *pulchros oculos lacrymis perfuſos, illum alloquitur volventem animo tales curas.*

O tu,

## N O T Æ.

xime ſubjectæ ſunt: per *abena*, vaſa ærea, vel ad elixandas carnes, vel, ut mavult Servius, ad lavanda ante epulas hominum corpora. Errat tamen Servius, cum ait heroicis temporibus elixæ carnis uſum non fuiſſe. Nam Ovid. Met. 1. 228. de Lycaone loquitur, qui, ante ipſa diluvii tempora, hoſpitum ſuorum *ſemineces partim ferventibus artus Mollit aquis, partim ſubjecto torruit igni.*

219. *Implentur veteris Bacchi, &c.*) Græcorum more, apud quos verba implendi regunt genitivum. Sic Plaut. in Amphit. Act. 1. S. 2. v. 8. *Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo. Bacchi*, id eſt, vini, cujus inventor fuiſſe dicitur a Poetis: Jovis & Semeles filius fuit. Æ. 5. 69.

223. *Vocatos.*) Significat eos eſſe mortuos: & alludit ad morem veterum, qui & morientium manes, & eos, quos per errorem amiſerant, ter vocabant. Sic Æ. 6. 505. *Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.* Et Æn. 2. 769. *Mœſtuſque Creuſam neguicquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.* Huc etiam valet *Hylæ* inclamatio Ecl. 6. 43.

224. *Orontei.*) In genitivo caſu, pro *Orontis*. Sic apud Ciceronem, *Ariobarzani, Verri*, &c. pariter in genitivo. Ratio e Græcis repetenda eſt, apud quos frequens erat declinationum commutatio. Sic nomina in εὺς, ut Ἀχιλλεὺς, efferebant Dores per ης Ἀχιλλῆς: poetæ viciſſim nomina in ης, ut Ἀτρείδης, efferebant per εὺς, Ἀτρεὺς. Hinc nomina Latina ex iis deducta ad duplicem quoque declinationem pertinent: & dictum eſt *Achillei* ſupra, v. 34. *Ulyſſei*, Ecl. 8. 70. hic *Orontei*; ab *Achilleus, Ulyſſeus, Oronteus*, Ἀχιλλεὺς &c. Viciſſimque *Orphei* Dativo caſu Ecl. 4. 57. *Orphen* accuſativo, *Oronten, Achillen, Ulyſſen*, ab *Orphes, Orontes, Achilles, Ulyſſes*; Ὀρφεὺς &c. An vero *Orontei* an *Oronti*, *Achillei* an *Achilli* ſcribendum ſit, inanis eſt controverſia.

225. *Amyci, &c.*) Duo hujus nominis a Turno deinceps occidentur: alter Æn. 9. 771. alter Æn. 12. 509. Uter hic fuerit, non liquet, qui naufragio periiſſe nunc putatur, unde tamen emerſit cum aliis compluribus, de quibus v. 513. *Lyci* pugna cum Turno deſcribitur Æn. 9. 545. De *Gya & Cloantho*, frequens ſermo eſt nauticis in ludis, Æn. 5.

227. *Finis erat.*) Cœnæ, colloquii, diei.

228. *Velivolum.*) Ubi naves velis, quaſi alis, volant. Æn. 3. 520. *Velorum pandimus alas*. Et contra, volucres nare per aerem dicuntur: de Dædalo Æ. 6. 16. *Gelidas enavit ad Arctos*; ibidemque v. 19. *Remigium alarum*. De *Libya*, pro *Africa*, ſupra v. 162.

237. *Cunctus ob Italiam.*) *Ob*, non eſt hoc loco *circa*, ut ſomniat Servius; ſed *propter*: quod enim Italiam petunt, ideo tantus in eos exarſit Deorum & hominum furor, ut toto orbe arceantur.

238. *Volventibus annis.*) Uſu venit in illa voce, quod vix aliquam in alia; nempe ut activa vox paſſivam habeat vim, & hic, & G. 1. 163. *Volventia plauſtra*, id eſt, *volubilia, quæ volvuntur*. Tum ut vox futuri temporis

præ-



Alloquitur Venus: O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera paſſis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus: quæ te, genitor, ſententia vertit?
Hoc equidem occaſum Trojæ triſteſque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot caſibus actos
Inſequitur: quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,

Illy-

O tu, *qui ſempiterna potentia moderaris res hominum, ac Deorum, & fulmine terribilis es, quid meus Æneas tam grave peccare contra te* potuit? *Quid Trojani potuere? quibus* jam *oppreſſis tam multiplici clade, totus orbis terrarum clauditur propter Italiam? Sane promiſeras hinc aliquando annis labentibus Romanos, hinc duces orituros eſſe e ſtirpe Teucri inſtaurata, qui mare & terras regerent omni auctoritate: quodnam conſilium mutavit te, o pater? Hac ſpe leniebam* dolorem *de interitu Trojæ, & triſti excidio, compenſans* his *fatis fata adverſa. Nunc* tamen *idem infortunium perſequitur homines agitatos tot caſibus: quem ponis terminum laborum, o magne rex? Antenor, cum effugiſſet e medio Græcorum, potuit*

ſecu-

## N O T Æ.

præteritum ſignificet, ut Æn. 9. 7. *Volvenda dies en attulit ultro*: & apud Lucr. l. 6. *Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit*: id eſt, *voluta*.

239. *Revocato a ſanguine Teucri.*) *Dardanus* Jovis dicitur filius ex Electra Atlantide, Coryti Tuſciæ regis uxore. Hic cum veniſſet in Phrygiam, Teucri Regis, in Phrygiæ parte, gener factus, ei ſucceſſit in regnum, & urbem *Dardaniam* condidit, quæ deinde dicta eſt *Troja*. Itaque Trojani modo *e ſanguine Teucri*, modo *Dardanidæ* appellantur. Hinc ſtatuit Servius, hoc loco *Teucri* nomen a poeta ſuſtitutum eſſe pro nomine *Dardani*; ſiquidem Dardanus ex Italia, non Teucer, ortus erat: at hoc durum videtur. Corradus *ſanguinem Teucri*, Trojanos explicat; ſed negat Dardanum Italum fuiſſe: atque adeo *revocato* interpretatur, non ut cæteri, *revocato in Italiam*: ſed *reſtituto & revocato in priſtinum ſplendorem, unde per incendium urbis exciderat*. Tamen quia Virgilius affirmat Dardanum ex Italia oriundum eſſe Æn. 3. 167. ideo e Servio & Corrado tertiam explicandi rationem compono: & per *ſanguinem Teucri*, Trojanos, per *revocationem*, reditum in Italiam intelligo; hoc ſenſu: Sanguis Teucri & ſanguis Dardani jam unus idemque eſt; is revocabitur in Italiam, unde profluit; non per Teucrum quidem, ſed per Dardanum.

243. *Fatis contraria fata rependens.*) Compenſans Trojani fati acerbitatem jucunda ſpe Romani fati. Sed cur Venus timeat mobilem erga Trojanos Jovis animum, cum immobilem eſſe fati vim ſciat? Puto ego *Fatum* nihil aliud fuiſſe, quam immutabilem rerum & eventuum ſeriem, in Jovis mente, ſive decretis exiſtentem; quam proinde ſolus ipſe cognoſceret, ſolus Diis per ſe, hominibus per oracula declararet: unde ait Harpyia fatidica Æn. 3. 251. *Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit*. Addo fatum veteres immobile quidem crediidiſſe: ſic tamen, ut crederent I. Ejus eventum, etſi omnino impediri non poſſet, poſſe tamen aliquantum retardari. Ita Juno Æn. 7. 313. *Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis: At trahere, atque moras tantis licet addere rebus*. II. Eventum pendere ſæpe a certis conditionibus, quibus eluſis fatum eluſum eſſet. III. Fati cujuslibet declarationem ſive per Jovem, ſive per oracula, poſſe eſſe ambiguam. Unde ſæpe tam Dii, quam homines, contra fata ſibi adverſa nitebantur. Hic igitur Venus timet, ne Jupiter parum ſincere de futura Æneæ felicitate ſit locutus.

246. *Antenor.*) Hunc aliqui teſtantur ex ſorore Priami natum eſſe; de quo ſic Livius initio hiſtoriæ: *Conſtat Troja capta, in cæteros ſævitum eſſe Trojanos; duobus, Ænea, Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii*, (quia Ulyſſem ſub habitu mendici latentem & a ſe agnitum, Priamo non prodiderant) *& quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. Caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetum, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi, & ſedes, & ducem, rege Pylæmene ad Trojam amiſſo quærebant; veniſſe in intimum maris*



*Adria-*

Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi:
Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum & pelago premit arva ſonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi ſedeſque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia: nunc placida compoſtus pace quieſcit.
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amiſſis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? Sic nos in ſceptra reponis?
Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum,
Vultu, quo cœlum tempeſtateſque ſerenat,
Oſcula libavit natæ: dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea: manent immota tuorum
Fata tibi: cernes urbem & promiſſa Lavini
Mœnia, ſublimemque feres ad ſidera cœli

Ma-

*ſecurus intrare in ſinum Illyricum, & intima regna Liburniæ, & tranſgredi fontem Timavi: unde per novem ſcaturigines magno cum ſonitu montis exit, quaſi profuſum mare, & aquis ſtrepentibus operit agros. Nihilominus ille fundavit illic urbem Patavium, & ſedes Trojanorum, & impoſuit populo nomen, & ſuſpendit arma Trojana: jamque quieſcit fruens dulci ſua pace. Nos, qui ſumus tua ſoboles, quibus promittis regiam cœli, amiſſis navibus, (horrenda res) prodimur propter furorem ſolius* Junonis, *& procul ejicimur ab Italis litoribus. Hoc præmium eſt virtutis? Sic reſtituis nos in regna? Pater hominum ac Deorum illi ſubridens, ea facie, quæ ſerenat aerem & tempeſtates, tetigit labra filiæ: deinde hæc dicit: Abſtine metu, Cytherea: fata tuorum ſtant tibi immota: videbis urbem & muros promiſſos Lavinii, & ſublimem extolles ad aſtra cœli*

*gene-*

NOTÆ.

*Adriatici ſinum: Euganeiſque, qui inter mare & Alpes incolebant, pulſis, Henetes Trojanoſque eas tenuiſſe terras. Et in quem primum ingreſſi ſunt locum, Troja vocatur, pagoque inde Troja nomen eſt: gens univerſa Veneti appellati.* Addunt *Patavium* urbem ab ipſo conditam in illo tractu, nunc *Padova*. De *Achivis*, Græcis, v. 492.

247. *Illyricos penetrare ſinus, &c.*) Iter Antenoris deſcribit per mare Hadriaticum, qui ſinus eſt ingens, cui ad meridiem adjacet Italia; ad ſeptentrionem *Illyricum*, Ital. *Schiavonia*, cujus Illyrici pars orientalis eſt *Dalmatia*, occidentalis *Liburnia*, nunc maritima pars Croatiæ. Ulterius in intimo ſinu ſunt *Carni*, nunc pars Fori Julii, *Friuli*: ubi fluvius eſt *Timavus*. In meridiem deinde, Italiam verſus, reflexo curſu occurrit Veneta regio, ubi *Patavium* & *Venetiæ*, urbes celeberrimæ.

249. *Per ora novem, &c.*) De oſtiis *Timavi* explicantur: quæ varias inter inſulas diviſa, ſeptem ab aliis, ab aliis octo, novemque numerantur. Quidni ad *fontem Timavi* referam? qui dicitur e monte erumpere per novem ſcaturigines, quæ deinde in unum confluunt fluvium, breviſſimum quidem, ſed latiſſimum; unde *maris* nomen ipſi attributum ab incolis, teſtatur Servius ex Varrone. Hunc tamen fluvium hodie obſcurum eſſe rivulum perhibent. De illo jam diximus Ec. 8. 6.

252. *Teucrorum, & genti, &c.*) Trojanorum, a Teucro, ſupra v. 239. *Genti nomen dedit*, cum Venetos appellavit ab Henetis ſociis. *Arma fixit Troia*, dum pagum Troiam ibi condidit, ſupra v. 246.

254. *Cœli quibus annuis arcem.*) Quia inter indigetes Æneam aliquando vocandum eſſe, fatum ferebat Æn. 12. 794. De *Indigetibus*, G. 1. 498.

256. *Prodimur.*) Tradimur a te in poteſtatem hoſtium.

260. *Oſcula libavit natæ.*) *Natæ*, non dativo caſu, ſed genitivo. *Libavit*, non *dedit*, ſed *leviter tetigit*. *Oſcula*, non *baſia*, ſed *ſummum os*, *parvum os*. Id eſt, *os ſuum ſummo natæ ori leviter admovit*. Sic Ovidius *oſcula* dixit diminutive, pro *parva ora*. M. 1. 499. *Videt igne micantes ſideribus ſimiles oculos, videt oſcula.* Et Martialis Ep. l. 11. 92. 4. *Ipſaque crudeles ederunt oſcula morbi.* Et Hor. Od. 1. 13. *Dulcia barbare lædentem oſcula.*

*Natæ.*) Quadruplex fuit Venus ex Cic. l. 3. de Nat. Deorum. Præcipuæ ſunt, ea quæ nata eſt e ſpuma maris, & ea quæ Jovis & Diones filia fuit, de qua hic ſermo eſt. Utraque vulgo confunditur, & re, & nomine: utraque enim Græcis dicitur Aphrodite, ab ἀφρὸς *ſpuma*. Latinis autem *Venus*; quod, in-

quir



Magnanimum Æneam, neque me ſententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius & volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populoſque feroces
Contundet, moreſque viris & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas,
Ternaque tranſierint Rutulis hyberna ſubactis.
At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis menſibus orbes
Imperio explebit, regnumque ab ſede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea, donec regina ſacerdos,
Marte gravis, geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus

Romu-

*generoſum Æneam, neque* aliud *conſilium mutavit me. Ille (dicam enim tibi, ſiquidem ea cura te ſollicitat, & explicabo ſecreta fatorum* ea *longe revolvens) faciet grave bellum* in *Italia, & domabit gentes aſperas, & dabit viris leges & urbes, donec tertia æſtas eum viderit dominantem, & tres hyemes fluxerint poſt Rutulos domitos. At puer Aſcanius, cui modo adjicitur agnomen Iuli*, qui *dicebatur Ilus, dum res Iliacæ vigebant regno, traducet imperando triginta magnos annos, menſibus labentibus: & tranſportabit regnum ab urbe Lavinio, & multo labore ædificabit Albam longam. Illic deinde regnum erit* per *annos trecentos integros ſub ſtirpe Trojana: donec Ilia, regii* ſanguinis *ſacerdos, Marte gravida edet partu binam ſobolem. Poſtea Romulus, gaudens rufo tegmine lupæ altricis* ſuæ,

*ſuc-*

NOTÆ.

quit Cicero, ad omnes *veniat*, eſt enim voluptaris Dea; at *trahit ſua quemque voluptas*.

261. *Parce metu, Cytherea.*) *Metu* pro *metui*, dativus antiquus, de quo E. 5. 29. *Cythera, orum*, inſula Mediterranei maris, contra Cretam, non longe a Malea Peloponneſi promontorio, dicata Veneri; τὰ κύθηρα ſecunda ſyllaba longa, quamquam in *Cytherea* brevis eſt.

262. *Lavini.*) Pro *Lavinii*. Et prima in hoc nomine communis eſt; hic brevis, ut & verſu 274. alibi longa, ut v. 6. *Italiam fato profugus Lavinaque venit litora*. Sic quoque prima in *Italia*; *Italiam fato*, &c. & v. 256. *Prodimur atque Italis*, &c.

270. *Ternaque tranſierint, &c.*) Per tres æſtates treſque hyemes, tres annos deſcribit, quibus Æneas regnavit Lavinii, poſt Turnum, Rutulorum regem, a ſe devictum. Tacet autem de Æneæ morte; quæ varie a variis deſcribitur. Aliqui occiſum volunt in prælio adverſus Mezentium, aut certe poſt victoriam nuſquam comparuiſſe: inde habitum inter Deos. De *Latio* Æ. 7. 52. De *Italia* & *Lavinio*, ſupra v. 6. De *Rutulis* Latii populis, Turno ſubditis, Æn. 7. 794.

271. *At puer Aſcanius.*) *Aſcanius* ſic dictus eſt, ab Aſcanio Phrygiæ fluvio, ut putat Servius; *Ilus*, ab ipſo Ilio, ſive Troia, ut innuit hic Virgilius. Hoc porro nomen deformatum deinde eſt in *Iulus*, ab ἴουλος inquiunt, quæ eſt *prima lanugo*; quia videlicet Mezentium ſingulari certamine occiderat, cum prima lanugine veſtiretur, ut refert ex Catone Servius. At hæc minime cum Virgilio conveniunt, qui cædem Mezentii tribuit Æneæ, Æn. 10. 874. Neque cum iis, quæ de morte Æneæ retulimus. Et certe ſic obſcura ſunt heroica illa, aut potius fabuloſa tempora, ut dubitet Livius, utrum Creuſæ, an Laviniæ filius ſit is, qui Albam condidit, Aſcanius.

273. *Triginta, &c.*) Regnaſſe ait Aſcanium annos triginta; alii dicunt octo & triginta: forte triginta Lavinii, octo Albæ. *Volvendis.*) Revolutis, ſupra v. 238. *Orbes.*) Annos, quia *in ſe ſua per veſtigia volvitur annus* G. 2. 402. *Magnos orbes.*) Si comparentur cum Lunaribus, qui breviores ac menſtrui ſunt.

277. *Hectorea.*) Trojana, ab Hectore Priami filio, ſupra v. 103.

278. *Regina ſacerdos Marte gravis, &c.*) Ilia, ſive Rhea Sylvia, Numitoris Albani regis filia, atque hinc dicta *regina*; ab Amulio, patris fratre & expulſore, ſacerdotio Veſtæ addicta, ut virgo permaneret; a Marte compreſſa Remum ac Romulum peperit. Hi, jubente Amulio, per Fauſtulum paſtorem feris expoſiti; a *lupa* nutriti dicuntur; juxta alios ab Acca Laurentia Fauſtuli uxore, quæ meretricio cognomine *lupa* appellabatur. Hinc ulti avum ſuum, & occiſo Amulio, Romam condidere. Romulus urbi nomen dedit; fratrem,

 ſaltu

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi. Quin aſpera Juno,
Quæ mare nunc terraſque metu cœlumque fatigat,
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet luſtris labentibus ætas,
Cum domus Aſſaraci Phthiam claraſque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,
Julius, a magno demiſſum nomen Iulo.

Hunc

*ſuccedet* in curam *gentis*, *ſtatuet urbem Martiam*, *& appellabit Romanos de ſuo nomine. Ego illis nec definio limites ditionis*, *nec durationem: conceſſi imperium abſque termino. Imo acerba Juno*, *quæ nunc timore commovet mare*, *& terras*, *& cœlum*, *mutabit ſententiam in melius*, *& mecum promovebit Romanos rerum dominos*, *& populum togatum. Ita placuit. Veniet fluentibus temporibus ætas*, *quando familia Aſſaraci ſubjiciet ſervituti Phthiam*, *nobileſque Mycenas*, *& imperabit Argis ſuperatis. Orietur Cæſar*, *Trojanus illuſtri origine*, *qui definiet ditionem ſuam* Oceano, *famam ſideribus*, iſque erit *Julius*, quod *nomen deductum* eſt *a magno Julo*.

Tu

## N O T Æ.

ſaltu parvienti mœnium illudentem, interfecit: poſt bella deinde plurima fulmine ictus, in cœlum raptus eſſe creditus eſt.

280. *Mavortia.*) Marti dicata, quia Mars Remi & Romuli pater.

281. *Suo de nomine.*) *Romulus* diminutivum eſt nominis ad blanditias; nomen ipſum *Romus*, unde *Roma*: citatque Servius in eam rem hæc Sibyllæ verba, *Ῥωμαῖοι Ῥώμου παῖδες*.

286. *Togatam.*) Per togam, exteriorem veſtem vulgo albam, diſtinguit Romanam gentem a cæteris: Romanorum enim tam erat propria *toga*, quam *pallium* Græcorum, *braccæ* Gallorum.

287. *Luſtris.*) Varro l. 5. de L. L. *Luſtrum nominatum tempus quinquennale a luendo*, *hoc eſt*, *ſolvendo: quod quinto quoque anno vectigalia & tributa per cenſores perſolvebantur.* Complectitur autem perfectum quinquennium: unde differt ab *Olympiade*, quæ quadriennium duntaxat capit.

288. *Domus Aſſaraci.*) Bene Romanos vocat domum Aſſaraci. Nam in duobus Trois filiis, Ilo & Aſſaraco, familia regia diviſa eſt; & ex *Ilo* Troiani propagati ſunt; ex *Aſſaraco* Capys, e Capy Anchiſes, ex Anchiſe Æneas ortus eſt: ex quo Romani.

*Phthiam &c.*) Urbs eſt & regio Theſſaliæ, Achillis patria & ditio. *Mycenæ*, urbs Peloponneſi, in qua regnavit Agamemnon.

289. *Argi.*) Urbs item Peloponneſi, in qua idem regnaſſe quoque dicitur ab Euripide paſſim in Oreſte: pateteque ex ejus tragœdia v. 98. & 101. duarum illarum urbium populos, quod inter ſe vicini eſſent, eidemque regi parerent, ideo communia habuiſſe nomina: & promiſcue utroſque modo Argivos, modo Mycenæos eſſe appellatos: id quod Strabo ipſe annotavit l. 8. Argivos tamen illos ad bellum Trojanum duxiſſe dicitur Diomedes ab Homero Iliad. 2. 563. Quod autem hic diſputant interpretes, a quo Romanorum ducum urbes illæ captæ ſint, diſcutiemus Æn. 6. 838.

292. *Julius.*) De hoc Julio Cæſare diximus tota paſſim Ec. 5.

293. *Orientis.*) Ex quatuor enim triumphis, quibus victor Cæſar per urbem invectus eſt diebus quatuor continuis, ſecundus de Ægypto fuit, Ægyptique Rege Ptolemæo, tertius de Pharnace Ponti rege; de Gallia primus, de Africa & Hiſpania ultimus.

295. *Aſpera tum poſitis*, *&c.*) Ex his & ſequentibus confirmatur id, quod in argumento diximus de tempore inchoatæ Æneidos. Incepta enim eſt exeunte anno U. C. 724. Deducta ad hunc, quem explicavimus, locum ineunte anno ſequenti 725. Quo anno, Kal. Januariis, renunciatus eſt Octavianus quinto conſul, & portæ Iani, pacato jam orbe belliſque civilibus extinctis, clauſæ. Tum eodem anno triplicem triumphum celebravit, Sextili menſe; (qui poſt annos duos Auguſtus appellatus eſt): nempe unum de Pannoniis & Dalmatis, alterum de Actio & Macedonia, tertium de Ægypto & Cleopatra. Quod autem hujus libri ſcriptio ad ſequentes annos non pertineat, patet ex eo, quod vaticinium Iovis deſinit in clauſis Iani portis, quæ anno proxime ſequente rurſus apertæ ſunt ob bellum Cantabricum.

296. *Cana Fides*, *& Veſta*, *Remo*, *&c.*) Perfectam reipublicæ felicitatem deſcribit; quæ his quatuor continetur, *religione*, *fide*, *legitima auctoritate*, *pace*. *Religio* conjungit principem

& po-



Hunc tu olim cœlo, ſpoliis Orientis onuſtum,
Accipies ſecura: vocabitur hic quoque votis.
Aſpera tum poſitis miteſcent ſæcula bellis.
Cana Fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ: Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait, & Maja genitum demittit ab alto:
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hoſpitio Teucris: ne fati neſcia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum

305 Re-

*Tu olim ſecura illum excipies* in *cœlo*, *oneratum ſpoliis Orientis*: *ille etiam invocabitur per vota. Tunc dura tempora manſueſcent compoſitis bellis. Cana Fides*, *& Veſta*, *Romulus cum fratre Remo jus diſtribuent*: *odioſæ portæ belli claudentur ferro & ſtrictis compagibus*: *intus ſceleratus Furor ſedens ſupra arma crudelia*, *& ligatus poſt terga centum æreis catenis*, *frendebit horrens ore ſanguinolento. Hæc dicit*, *& mittit e cœlo filium Majæ*: *ut regio*, *& ut mœnia novæ Carthaginis aperiantur ad hoſpitium Trojanorum*: *ne Dido ignara voluntatis* divinæ *prohibeat eos* a ſua *regione. Ille volat per latum aerem*,

utens

## N O T Æ.

& populos cum Deo; *fides* populos & inter ſe, & cum principe ſociat; *auctoritas* principem populo commendat; *pax* rempublicam cum reliquis terrarum populis conciliat. *Religio* per *Veſtam* adumbratur, quæ ignem ſignificat, inquit Servius; & proinde ſacrificia, quæ ſine igne eſſe non poſſunt: de hac G. 1. 498. *Fides* eaque antiqua, per *canitiem* inſignitur. *Auctoritas* principum per Remum ac Romulum, primarum legum auctores. *Pax* per clauſas belli portas.

*Remo cum fratre Quirinus.*) Vel alludit ad diſcordiam utriuſque fratris, quam comparat cum bellis civilibus, hoc ſenſu: frater a fratre non diffidebit amplius, non inſidiabitur fratri, non occidet fratrem; ut in civilibus bellis uſu venit: res, mores, auctoritas communis inter eos; idem ſenſus futurus eſt: Romulus ipſe cum Remo, ſi nunc vivat, de imponendo urbi nomine, legibuſque conveniet. Vel Octavianum & Agrippam intelligit: nam Octavianus eodem anno cenſor factus collegam aſſumpſit ſibi Agrippam, victoriarum omnium ſuarum adminiſtrum, etiam deinde generum: quo in munere ſenatum expurgaſſe, Patriciorum familias ſuppleviſſe ambo dicuntur. Et vero jam Octavianum *Quirini* nomine inſigniverat Virgilius G. 3. 27. ubi de *Quirino*, Romuli nomine, diximus.

298. *Claudentur belli portæ.*) Templum Iani a Romulo conditum quidam volunt poſt initum fœdus Romanos inter & Sabinos, ideoque pingi Ianum fronte gemina, ad ſignificandam coitionem geminæ gentis. Macrobius tamen ante bellum Sabinum innuit conditum fuiſſe, ſiquidem ait in ipſa pugna, templo ſtatim patente, calidæ aquæ torrentes erupiſſe, qui Sabinorum exercitum jam victorem fugarint. Unde ortus mos ejus aperiendi, cum ingrueret bellum, ad memoriam & ſpem auxilii. Quicquid ſit de fundatore, Numa certe inſtituit, ut aperiretur bello, pace clauderetur. Raro autem contingit claudi: primo ſub Numa: ſecundo poſt primum bellum Ponticum, T. Manlio Conſule: deinde ter ſub Octaviano, ut evincit Lipſius Elect. l. 1. c. 20. nempe primo poſt Alexandrinam victoriam, ejuſdem conſulatu quinto; iterum poſt bellum Cantabricum, conſulatu decimo; denique orbe terrarum terra marique pacato, conſulatu undecimo. Deinceps a Nerone per ludum: denique a Domitiano.

299. *Ahenis poſt tergum nodis.*) Nodis vinculorum æreorum. Alludit, juxta Turnebum, ad imaginem belli, hoc habitu pictam ab Apelle, & ab Auguſto dedicatam in foro ſuo; ut eſt apud Pl. l. 35. 10. Sed nondum hoc tempore forum dedicatum erat. Juxta Germanum, ad ſimulacrum Martis a Spartanis in urbe ſua ſic conſtructi.

301. *Maja genitum.*) Mercurium, Jove genitum, & Maja Atlantis filia, quæ inter Pleiades ſtellas numeratur: editum in *Cyllene*, Arcadiæ monte, unde dicitur *Cyllenius*: nuncium Deorum, unde habet *gemini commercia mundi*, ſuperi ſcilicet atque inferi, & capite ac pedibus alatus pingitur: Deum eloquentiæ, Palæſtræ, mercatorum, & furum: inventorem lyræ, quam Apollini dono dedit.

302. *Carthagines* . . . *Teucris.*) De illa v. 17. De his v. 42.

303. *Ne fati neſcia Dido.*) Voluntatis divinæ, quæ Trojanos benigne excipi jubebat. Sic Æn. 8. 292. *Fatis Junonis iniquæ.*

305. Re-

Remigio alarum, ac Libyæ citus adſtitit oris.
Et jam juſſa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo: imprimis Regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Æneas per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data eſt, exire, locoſque
Explorare novos, quas vento acceſſerit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominesne, feræne,
Quærere conſtituit, ſociiſque exacta referre.
Claſſem in convexo nemorum, ſub rupe cavata,
Arboribus clauſam circum atque horrentibus umbris
Occulit: ipſe uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Cui mater media ſeſe tulit obvia ſilva,
Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threiſſa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis:
Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monſtrate mearum
Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororum,
Succinctam pharetra & maculoſæ tegmine lyncis,
Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus: at Veneris contra ſic filius orſus.

330 Nulla

utens *alis* quaſi *remis*, *& ſtatim conſtitit in litore Africæ. Et jam exſequitur mandata; & Cartaginenſes deponunt aſperum animum, Deo jubente: præcipue Regina ſumit animum lenem & mentem placidam erga Trojanos. Sed pius Æneas multa cogitans per noctem, ſtatim atque lux alma orta eſt, ſtatuit egredi, & conſiderare nova loca, & inquirere quaſnam in regiones vi ventorum venerit, quinam eas habitent, an homines, an feræ*, (*nam cernit* loca *inculta*) *&* ſtatuit *renarrare* iſta *ſociis*, poſtquam *inquiſiverit. Abſcondit in curvo ſilvarum, ſub ſpelunca cava, naves undique cinctas arboribus & umbra nigrante: ipſe incedit comitatus ſolo Achate, quaſſans manu duo jacula latis cuſpidibus* armata. *Huic* Venus *genitrix occurrit obviam in medio ſilvæ*, præ ſe *ferens vultum & amictum virginis, & arma virginis Lacænæ*, *aut* talis, *qualis equos Thracia impellit Harpalyce, & præcurrit curſu celerem Hebrum. Quippe juxta conſuetudinem* venatorum, *ſuſpenderat humeris commodum arcum*, quaſi *venatrix*, *& permiſerat ventis diſſlare capillos*: habens *nuda genua*, *vagos plexus* veſtium *diſſluentes coercitos nodo. Et prior ait: Heus juvenes! docete num fortaſſe videritis hic vagantem aliquam mearum ſororum, inſtructam pharetra & pelle verſicoloris lyncis, aut urgentem clamore curſum ſpumantis apri*. Sic loquuta eſt *Venus: at natus Veneris ita cœpit* loqui *viciſſim*: Nec

NOTÆ.

305. *Remigio alarum, &c.*) De hac translatione v. 228. De *Libya*, Africæ parte, v. 162. *Pœni*, quaſi Pheni; Carthaginenſes e Phenicia oriundi.

314. *Convexo.*) Concavo: eſt enim *convexum* exterior rei rotundæ ſuperficies; *concavum* interior: & promiſcuus eſt Poetis utriuſque vocis uſus. Æ. 4. 451. *Tædet cœli convexa tueri*, id eſt, *concava*. Et Ovid. Triſt. l. 11. 20. *Inque modum tumuli concava ſurgit aqua*, id eſt, *convexa*.

320. *Spartanæ.*) Virgines enim Spartanæ, ſecundum Lycurgi inſtituta, virilibus etiam ſtudiis exercebantur, imprimiſque venatu.

*Equos Threiſſa fatigat.*) Comparatio quidem non in equitatione eſt, aut præcipiti curſu; neque enim equitabat aut præceps currebat Venus: ſed in ipſo habitu, quo Venus Amazoni ſimilis eſt. *Threiſſa.*) E Thracia, non Europæa, ſed Aſiatica, ut oſtendemus Æn. 11. 659. ubi fuſe de Amazonibus.

321. *Harpalyce.*) Celebris Amazon, quæ patrem ſuum a Getis bello captum dicitur fortiter & celeriter ex eorum manibus recepiſſe.

*Hebrum.*) Quid mirum, ſi fluvii impetum equus præcurrat? tum, quam inſolens fluvio epithetum, *volucrem?* Quare locum ſolerter emendat V. C. Daniel Huetius, legitque non *Hebrum*, ſed *Eurum*, in quem iſta perquam conveniunt. Juvat conjecturam, quod facilis fuit literarum in iis vocibus commutatio: tum quod *Hebrus* fluvius eſt Thraciæ Europææ, ut dictum eſt Ecl. 10. 65. Amazones autem Thraciam Aſiaticam incoluerunt, Æ. 11. 659.

321. *Fuga.*) Curſu. Sic G. 3. 142. de equo; *Acri carpere prata fuga*.

327. Lyn-



Nulla tuarum audita mihi, neque viſa ſororum,
O (quam te memorem?) Virgo: namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat. O Dea certe,
An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis una?
Sis felix, noſtrumque leves quæcumque laborem;
Et quo ſub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc & vaſtis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore.
Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens: longa eſt injuria, longæ
Ambages; ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditiſſimus agri
Phœnicum, & magno miſeræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primiſque jugarat
Ominibus: ſed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit furor. Ille Sichæum

Im-

*Nec ulla tuarum ſororum audita* eſt, *nec viſa a me, O virgo! quam te dicam* eſſe? *non enim habes ſpeciem mortalem: nec vox* tua *refert hominem. O Dea certe*, an vero *ſoror Phœbi*, *an una e genere Nympharum? eſto propitia, & quæcumque* es, *minue noſtram ſollicitudinem, & doce quo demum ſub cœlo, qua in regione terrarum verſemur. Vagamur neſcii hominum & locorum* iſtorum, *huc impulſi ventis & magnis tempeſtatibus. Multa hoſtia occidetur manu mea*, in honorem *tuum*, *ante altaria. Tunc Venus* ait. *Non equidem me judico dignam tali cultu. Conſuetudo eſt puellarum Tyriarum ferre pharetram, & cingere alte tibias purpureis ocreis. Cernis regna Punica, Tyrios, & urbem Agenoridum; ſed regio Libya eſt, gens bello ferox. Dido tenet* hoc *regnum, quæ exiit* ex *urbe Tyro, fugiens fratrem, longa eſt* ea *injuria, longi circuitus: ſed perſtringam ſumma rerum capita. Huic maritus erat Sichæus, inter Phœnices agris ditiſſimus, & magno amore dilectus ab infelici* Didone: *huic* Sichæo *pater* eam *dederat* adhuc *virginem, & primis auſpiciis conjunxerat; ſed frater* Didonis *Pygmalion tenebat regnum Tyri, crimine crudelior præ cæteris omnibus. Hos inter medios odium ortum eſt. Ille* Ja-

NOTÆ.

327. *Lyncis.*) *Lynx*, animal eſt acutiſſimi viſus, luporum cervariorum genere.

333. *Phœbi ſoror.*) Diana: utriuſque pater Jupiter, mater Latona. De utroque Ecl. 3. 67. De *Phœbi* nomine ibid. 62.

334. *Sis felix.*) Dicitur *felix*, & qui habet felicitatem, & qui facit eſſe felicem, inquit Servius. Sic E. 5. 65. *Sis bonus o felixque tuis*.

341. *Suras, &c.*) *Sura*, pars eſt tibiæ maxime carnoſa & mollis. *Cothurnus*, eſt calceamenti genus. Ecl. 7. 32.

342. *Punica, &c.*) quaſi *Phœnica*, ſeu *Phœnicia*, unde Dido & Carthaginenſes profecti. *Tyrios.*) Non cives, ſed colonos Carthaginis conditores. *Agenoris.*) Id eſt, *Agenoridum*, ab Agenore, qui in ea regnavit regione, quæ Phœnicia deinde appellata eſt, fuitque inter Didonis avos, ut videbimus in argumento lib. 4. De *Libycis finibus* v. 162.

347. *Conjux Sichæus.*) Idem & avunculus Didonis fuit, & Herculis ſacerdos, & nomine Acerbas: ex Juſtino *Sichæus*, hic primam producit, alibi corripit v. 724. *Aledere Sichæum*.

349. *Pater.*) Belus rex Tyri v. 733.

350. *Primis ominibus.*) Primis nuptiis. Cicero de divin. l. 1. 104. *L. Flaccum ego audivi cum diceret, cum vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiiſſe in quoddam ſacellum ominis capiendi cauſa: quod fieri more veterum ſolebat*.

352. *Quos inter, &c.*) Adjungit hæc Servius verbis proxime præcedentibus: *Immanior ante omnes eos, inter quos furor medius venit*, id eſt, *inter omnes qui umquam odio & furore incenſi ſunt*. Alii diſtinguunt melius, & ad Pygmalionem ac Sichæum referunt, *quos inter ortum eſt odium*; ſi non mutuum, ſaltem Pygmalionis in Sichæum; quod ſufficit ut *medium* dici poſſit. De *Pygmalione*, in argumento libri 4.

353. An-

Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanæ: factumque diu celavit, & ægram,
Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.
Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Conjugis, ora modis attollens pallida miris:
Crudeles aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit, cæcumque domus ſcelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriaque excedere ſuadet,
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido ſocioſque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro: portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux fœmina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, ſurgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris?
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille

375 Suſpi-

*ſacrilegus, & obcæcatus cupidine divitiarum, clam occidit ipſum gladio ante altaria improviſum, non curans amores ſororis: & diu abſcondit ſcelus, & plurima malitioſe ſimulans inutili ſpe feſellit mœſtam conjugem. At umbra ipſa mariti inſepulti apparuit ipſi in ſomno, mirum in modum erigens caput pallidum: revelavit fatalia altaria, & pectus gladio confoſſum, & declaravit omne crimen ignotum familiæ. Deinde ſuadet, ut celeret fugam, & exeat e patria: & ad ſubſidium itineris aperit antiquos theſauros in terra, incognitum pondus auri & argenti.* His rebus *concitata Dido inſtruit fugam & ſocios. Concurrunt, quibus erat aut odium crudelis tyranni, aut gravis metus: invadunt naves, quæ caſu inſtructæ* erant, *eaſque onerant auro: vehuntur mari divitiæ avari Pygmalionis: mulier auctor* eſt *facti. Pervenerunt* ad ea *loca, ubi mox videbis magnos muros, & arcem novæ Carthaginis ſe attollentem; & emerunt agrum,* dictum *Byrſam, nomine ab* ipſa *fraude* deducto; tanti ſpatii, *quantum poſſent includere pelles tauri. Vos vero, quinam* eſtis *denique, aut quanam e regione profecti eſtis? an quem in locum habetis iter? Æneas* huic *talibus* verbis *interroganti* reſpondit *ſuſ-*

N O T Æ.

353. *Ante aras.*) Herculis, cujus erat ſacerdos Sichæus, & hæc erat prima poſt regem dignitas, ex Juſtino l. 18.

354. *Securus amorum.*) Negligens, cōtemnens, nihil ſibi ab iis timens. Sic loquitur Juno de Trojanis, *Æ.* 7. 304. *Securi pelagi atque mei.*

357. *Inhumati.*) Centum annos errabant inhumatorum umbræ, ut eſt *Æ.* 6. 329. Crudelitati igitur addiderat impietatem Pygmalion, qui cæſum Sichæum inſepultum abjecerat.

363. *Ignotum argenti.*) Juſtinus l. 18. 4. *Sichæus aurum metu regis, non tectis, ſed terræ crediderat; quam rem etſi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Idque Pygmalionis cupiditatem ad ſcelus incenderat.

366. *Paratæ.*) Vel ad frumenta aliunde convehenda, ut ait Servius. Vel ut ipſam Didonem ad Pygmalionem tranſportarent. *Finxit enim ſe,* inquit Juſtinus, *ad regem migrare velle: ſed miniſtros migrationis a rege miſſos, navibus impoſuit, &c.*

368. *Pygmalionis opes.*) Vel quas jam ut ſuas Pygmalion animo conceperat. Vel quia re ipſa cum opibus conjugis opes quoque Pygmalionis rapuit Dido.

370. *Arcem: Mercatique, &c.*) Dido in Libyam appulſa cum ab Jarba Getulorū rege pelleretur, emit ab eo tantum terræ, quantum amplecti bovis corium poſſet. Quod ubi obtinuit, corio tenuiſſimas in partes conciſo, ſtadia occupavit duo ac viginti. Explicat Donatus de pecunia e bubulo corio quæ primis temporibus in uſu fuit, qua Dido mercata ſit urbis ſolum. Ita fabulæ. Quid verum ſit, vide in argumento lib. 4.

377. *Annales.*) Bene; quia totis decem annis Trojæ obſidio, ſeptem annis Æneæ navigatio duraverat.

378. *Diem clauſo, &c.*) Duplex hic metaphora. I. Eſt a morte ac tumulo: *componere* enim eſt *ſepelire*; & *diem clauſo Olympo componere*, eſt *diem in cœlo quaſi in tumulo ſepelire ac condere*. Dies enim ut naſci dicitur, ſic mori: Statius, Sylv. l. 4. 6. 3. *Jam moriente*

*die,*



Suſpirans, imoque trahens a pectore vocem:
O Dea, ſi prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales noſtrorum audire laborum,
Ante diem clauſo componet veſper Olympo.
Nos Troja antiqua (ſi veſtras forte per aures
Trojæ nomen iit) diverſa per æquora vectos
Forte ſua Libycis tempeſtas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus.
Italiam quæro patriam, & genus ab Jove ſummo.
Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor,
Matre Dea monſtrante viam, data fata ſecutus:
Vix ſeptem convulſæ undis Euroque ſuperſunt.
Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro,
Europa atque Aſia pulſus. Nec plura querentem
Paſſa Venus: medio ſic interfata dolore eſt:
Quiſquis es, haud (credo) inviſus cœleſtibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te Reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces ſocios claſſemque relatam
Nuntio, & in tutum verſis Aquilonibus actam:
Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.

Aſpi-

*ſuſpirans, & educens vocem ex intimo pectore: O Dea, ſi revolvens a prima cauſa progrediar, &* ſi tibi *otium ſit audire hiſtoriam noſtrarum calamitatum, prius Heſperus clauſo cœlo ſepeliet diem. Tempeſtas, caſu ſolito, projecit ad litus Africæ nos, pulſos per varia maria e Troja vetere (ſi fortaſſe nomen Trojæ venit ad aures veſtras.) Sum pius Æneas, fama ſuper cœlum cognitus, qui fero mecum navibus Penates ereptos* e poteſtate *hoſtium. Quæro Italiam patriam, & originem* familiæ meæ, quæ eſt *a ſupremo Jove. Conſcendi mare Phrygium viginti navibus, genitrice Dea iter oſtendente, obſequutus fatis* mihi *poſitis. Vix ſeptem naves ſuperſunt concuſſæ fluctibus & Euro.* Ego *ipſe incognitus, egenus, erro per ſolitudines Africæ, ejectus ex Aſia & Europa. Nec Venus ſuſtinuit eum longius queri: medio in dolore ſic interlocuta eſt: Quicumque es, non odioſus ſuperis ducis ſpiritum vitalem, opinor, ſi quidem appuliſti urbi Tyriæ. Perge tantummodo, & confer te ad Palatium Reginæ. Tibi enim annuntio ſocios rediiſſe, & naves reductas* eſſe, *& pervectas in ſecurum* locum *Aquilonibus mutatis: niſi mendaces parentes* mei *fruſtra me docuerunt* artem *auſpiciorum.*

*Aſpice*

N O T Æ.

*die.* Hor. Sat. l. 1. 9. 28. *Omnes compoſui. Felices, nunc ego reſto.* Virg. Ecl. 9. 52. *Longos cantando puerum memini me condere Soles.* II. Eſt quod cœlum claudi nocte, & aperiri die dicatur; unde G. 3. 261. *Porta tonat cœli. Veſper*) Stella Veneris, Ecl. 6. 86. *Olympus.*) Mons Theſſaliæ, qui pro cœlo ſumitur, Ecl. 5. 56.

381. *Forte ſua.*) *Caſu ſuo quo ſolet*: & nomen eſt a nominativo *fors*. De *Troja*, v. 5. De *Libya*, v. 162. De *Penatibus*, *Æ.* 2. 717. De *Italia*, v. 6.

383. *Fama ſuper æthera notus.*) Secutus eſt Virgilius Homerum Odyſſ. 9. 20. ubi ait Ulyſſes ad Alcinoum: Καί μευ κλέος, οὐρανὸν ἵκει, *& mea gloria cœlum attingit.*

384. *Patriam, & genus.*) Dardanus enim, Jovis filius, auctor alter Trojanæ gentis, Italus fuit v. 230.

385. *Phrygium.*) Alluens Phrygiam minorē. Duplex enim eſt ejus nominis in Aſia minore regio, altera *major*, quæ tota mediterranea eſt, altera *minor*, quæ maritima eſt, ad Propontidem, Helleſpontum, & Ægæum mare, contra inſulam Leſbon. Hæc minor etiam *Troas* dicta eſt, quæ pars ejus fuit præcipua.

387. *Euroque.*) vento orientali, quo naves ejus, partim ad latus Syrtis minoris, partim ad litus Africæ dejectæ ſunt, v. 114.

388. *Ignotus*). Licet enim Æneæ nomen *fama ſuper æthera notum ſit*, ipſe tamen Afris nondum ſub eo nomine innotuit.

389. *Europa atque Aſia.*) Troja enim eſt in Aſia, unde profectus eſt, Italia in Europa, unde rejectus in Africam.

395. *Verſis Aquilonibus.*) Ut enim Aquilo a ſeptentrione ad meridiem Æneæ naves pepulerat in Africam v. 106., ita ut illæ e minori Syrte ad litus Carthagini vicinū emergerent, opus fuit ut Aquilo in fugam *verſus* retrocederet, prævaleretque Notus a meridie.

396. *Ni fruſtra &c.*) Ne divinitas futuri prædictione palam fiat, fingit ſe a parentibus imbutam augurandi arte.

 398. *Jo-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aſpice bis ſenos lætantes agmine cycnos,
Ætherea quos lapſa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.
Ut reduces illi ludunt ſtridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere;
Haud aliter puppeſque tuæ, pubeſque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.
Perge modo, & qua te ducit via, dirige greſſum.
Dixit, & avertens roſea cervice refulſit,
Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos,
Et vera inceſſu patuit Dea. Ille ubi matrem
Agnovit, tali fugientem eſt voce ſecutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire & reddere voces?
Talibus incuſat, greſſumque ad mœnia tendit.
At Venus obſcuro gradientes aere ſepſit,
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſet,
Molirive moram, aut veniendi poſcere cauſas.
Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſque reviſit
Læta ſuas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua ſemita monſtrat.

Jam-

*Aſpice duodecim cycnos turmatim exſultantes, quos avis Jovis labens e cœli partibus agitabat vacuo in aere: jam videntur longa ſerie, vel eligere ſedes in terra, vel jam electas conſiderare propius. Quemadmodum illi redeuntes ludunt alis ſtrepitantibus, & turmatim circumiere aerem, & emiſere cantus: non alio modo, & naves tuæ, & flos tuorum, vel portum occupat, vel inflatis velis intrat oſtia* portus. *Perge tantummodo, & dirige paſſus qua via te ducit. Sic locuta eſt, & recedens reſplenduit pulchra cervice, & capilli ambroſia* delibuti *divinum odorem e capite emiſerunt: veſtis decidit ad pedes infimos, & greſſu apparuit vera Dea. Æneas, ſtatim atque agnovit genitricem* ſuam, *proſecutus eſt abeuntem talibus verbis: Cur tu etiam, o dura, decipis tam ſæpe filium* tuum *vanis figuris? quare non permittitur applicare dextram* meam *dexteræ* tuæ, *atque audire & reddere verba non ſimulata? Sic queritur* de ea, *& dirigit paſſus ad urbem. Sed Venus cinxit euntes tenebroſo aere, & circumdedit multo tegmine nubis*, utpote *Dea: ne quis poſſet eos videre, neve quis tangere, aut facere moram, aut petere rationem* cur *veniſſent. Ipſa ſe attollens abit Paphum, & redit gaudens in regionem ſuam: ubi templum & centum altaria fervent* in *ejus* honorem *thure Arabico, & redolent floribus novis. Interim ingreſſi ſunt viam, qua callis oſtendit.*

Et



Jamque aſcendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adverſaſque aſpectat deſuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, ſtrepitumque, & ſtrata viarum.
Inſtant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus ſubvolvere ſaxa;
Pars aptare locum tecto, & concludere ſulco.
Jura, magiſtratuſque legunt, ſanctumque ſenatum.
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris
Fundamenta locant alii, immaneſque columnas
Rupibus excidunt, ſcenis decora alta futuris.
Qualis apes æſtate nova per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia ſurgunt!
Æneas ait, & faſtigia ſuſpicit urbis.
Infert ſe ſeptus nebula, mirabile dictu,
Per medios, miſcetque viris: neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbra;
Quo primum jactati undis & turbine Pœni
Effodere loco ſignum, quod regia Juno
Monſtrarat, caput acris equi; ſic nam fore bello

Egre-

*Et jam conſcendebant collem, qui valde impendet urbi, & deſuper aſpicit turres oppoſitas. Æneas admiratur magnitudinem* urbis, ubi erant *olim caſæ: admiratur portas, & tumultum, & pavimenta viarum. Feſtinant ardentes Tyrii: pars extendit muros, & erigit arcem, & manibus rotat lapides: pars eligit locum* ad *domum, & cingit ſulco: eligunt jura & magiſtratus & ſacrum conſilium. Illic alii excavant portus, illic alii ponunt profunda fundamenta theatri, & ſecant e rupibus ingentes columnas,* quæ ſint *alta ornamenta futurarum ſcenarum.* Talis eſt eorum labor, *qualis labor occupat apes ad ſolem æſtate incipiente per agros floridos: quando emittunt grandiorem ſobolem generis, aut cum denſant mella liquidiora, & implent alvearia ſuavi nectare, aut excipiunt onera venientum* e paſtu, *aut collecta turma expellunt a ſtabulis* ſuis *fucos, pigrum gregem.* Fervent omnes in *opere, & mella odorata olent thymum. O felices, quorum muri jam eriguntur, inquit Æneas, & ſpectat altitudinem urbis. Immittit ſe in medios* cives *clauſus nube,* quod *admirabile* eſt *dictu: miſcet ſe viris, nec videtur a quoquam. Erat in media urbe ſilva* ſacra *gratiſſima* propter *umbram: quo loco Pœni, agitati fluctibus, & ventu, primum fodiendo* repererunt *ſignum, quod regina Juno* eis *oſtenderat*; nempe *caput bellicoſi equi: ita quippe* oſtenderat, *populum illum futurum eſſe nobilem bello,*

*& aptum*

NOTÆ.

398. *Jovis ales.*) Aquila, quæ miniſtra fulminis dicitur, quia tempeſtatis tempore ſuper altiſſimas nubes ſeſe volatu erigit.

406. *Avertens.*) Supple, *ſe*, ut ſupra v. 108. *Tum prora avertit.*

*Roſea cervice.*) Vel ad colli colorem refero, unde Venus dicitur ab Anacreonte, 52. 22. [illegible], *roſicolor*: vel roſeam interpretor, *pulchram*, qua de re dicemus infra v. 595. Et hoc primum affert Divinitatis indicium, *fulgorem roſeæ cervicis*.

407. *Ambroſiæque comæ.*) Secundum Divinitatis indicium, *ſuavitas odoris*. Sic Ovi. Faſt. 5. 375. *Omnia fuſerat, tenues ſeceſſit in auras. Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe* Deam. More autem Homerico *ambroſiæ comæ* vel ſunt *immortales*, vel potius reſperſæ ſucco *ambroſiæ*. De *Ambroſia & nectare*, Ecl. 5. 71.

408. *Pedes veſtis &c.*) Tertia Divinitatis nota, *prolixa veſtis ad pedes*. Idque Dearum omnium proprium fuiſſe, præterquam Virtutis, docet Lactantius in Statium l. 10. v. 639. Proprium item Baccho attribuit Propertius l. 3. 15. 32. Tibullus quoque ac Statius.

409. *Inceſſu patuit Dea.*) Quartum & maximum Divinitatis argumentum, *incedendi modus*. Quem ſic ab humano diſtinguit Heliodorus Æthiop. l. 3. ut divinus, non dimotione pedum & tranſpoſitione, ſed continuo impetu & quaſi lapſu quodam fiat: unde prohibet ſtatuas Deorum apud Ægyptios conjunctis & quaſi unitis pedibus inſiſtere: citatque teſtem Homerum. Et vero apud Theocritum, Idyl. 17. 25. Dii vocantur [illegible], *uſu* *pedum*

*pedum carentes*: & apud Callimachum, Hymno 5. 3. Pallas [illegible], *Dea pacata ſeipſa*. Addit & aliud indicium Divinitatis Heliodorus, quod Dii recto obtutu, neque clauſis unquam palpebris intueantur. Statius tamen greſſum Diis non fluentem, ſed humano majorem & nimium tribuit l. 10. 347. *Tamen aſpera produnt ora Deam, nimiumque gradus.*

417. *Cernere ne quis, &c.*) Dubitabat enim Venus, quo in eos animo Dido futura eſſet, Junonis cultui addicta.

419. *Paphum.*) Urbem in Cypro, notiſſima mediterranei maris inſula; Veneri dicatam.

420. *Centumque Sabæo, &c.*) Tacitus l. 2. de ſacris Paphiæ Veneris. *Hoſtiæ, ut quiſquis voviſſet, mares deliguntur. Certiſſima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolentur.* Unde hic cum de aris fiat mentio, nulla fit de victimis. *Sabæum thus*, petitum *e Sabæis*, Arabiæ felicis populis: de quibus G. 1. 57.

425. *Magalia.*) ſeu *mapalia*, ruſticorum Afrorum caſæ ſunt, de quibus G. 3. 340.

430. *Jura*) pro *legibus*; alii pro *juridicis*; alii melius pro *locis ipſis* accipiunt, ubi jus dicendum erat. Sic enim accipimus, quoties dicimus *in jus rapere*, *in jus ambulare*. De *Scenis* theatralibus G. 2. 381. & 3. 24.

437. *Nectare.*) Potu Deorum, de quo Ecl. 5. 71. pro *melle* ſumitur.

439. *Fucos.*) Ital. *Veſpe*, apum quaſi ſervitia ſunt, G. 4. 168.

448. *Caput acris equi.*) Juſtinus l. 18. 5. *In* *primis*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Egregiam, & facilem victu per ſæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum & numine Divæ:
Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit: hic primum Æneas ſperare ſalutem
Auſus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque, ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo
Reginam opperiens, dum, quæ fortuna ſit urbi,
Artificumque manus inter ſe operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem;
Atridas, Priamumque, & ſævum ambobus Achillem.
Conſtitit, & lacrymans: Quis jam locus, inquit, Achate,

Quæ

*& aptum vivere æterna fama. Hoc* loco *Tyria Dido ædificabat Junoni magnum templum, ſplendidum muneribus, & præſentia Deæ: cui limen æreum impoſitum erat gradibus, & trabes compactæ ære, & cardo ſtridebat* in *portis æreis. In hac* ſacra *ſilva nova res occurrens primo minuit metum: hic Æneas primo auſus eſt ſibi promittere ſalutem, & melius ſperare de rebus male affectis. Nam, dum circumſpicit ſingula magno in templo, expectans Reginam: dum admiratur quæ ſit felicitas* illius *urbis, & manus opificum invicem* concordes, *& difficultatem operum; cernit prælia Trojana per ordinem & bellum jam fama cognitum per omnes terras, & Atrei filios, & Priamum, & crudelem utriſque Achillem. Subſtitit, & flens: Qui jam locus eſt, ait, o Achate,*

*quæ*

## NOTÆ.

*primis fundamentis caput bubulum inventum eſt: quod auſpicium quidem fructuoſæ terræ, ſed laborioſæ perpetuoque ſervæ urbis fuit: propter quod in altum locum urbs tranſlata. Ubi quoque equi caput repertum bellicoſum potentemque populum futurum ſignificans, urbi auſpicatam ſedem dedit.*

449. *Facilem victu*) Explicat Pierius, *quæ facile vinci poſſit*; ita ut *victu*, ſupinum a *vinco*, paſſive ſignificet; ſed malum hoc omen, bonum autem hic quæritur. Explicat Germanus Valens quæ *facile vincere poſſet*: ita ut *victu*, ſupinum a *vinco*, active ſignificet. Explicant alii communiter, *quæ ſit fertilis frugibus, & commoda ad victum*, ita ut *victu* ſit ſupinum a *vivo*. Ego eodem ſupino uſus, *victu* a *vivo* interpretor de fama & gloria gentis, quæ florere æternum debeat: hoc enim eſt proprie, *vivere per ſæcula*.

450. *Sidonia.*) *Tyria*: nam *Sidon*, urbs Phœniciæ in Syria, portus in ora mediterranei maris, nunc *Saide*: hic pro *Tyro* ſumitur, quia utraque vicina, & a Phœnicibus condita, & eidem regi ſubdita.

452. *Limina.*) *Portæ* ac *januæ* partes omnes hic diſtinguemus. *Porta* proprie de urbibus dicitur: quia cum circuitus urbis aratro primum deſignabantur, qua parte relinquendus erat in urbem aditus, attollebatur aratrum ac *portabatur*, ne ſulcum imprimeret. Ac privatarum domorum ingreſſus, cum apertus eſt, dicitur *Janua*, vel ab *eundo*, vel a *Jano*; cum clauſus eſt, dicitur *Oſtium* ab *oſtando*. Jam ea per quæ prohibetur ingreſſus, ſi *foras* aperiuntur, dicuntur *fores*; ſi duas in partes ab utroque latere panduntur, *Biſores*, ſi ab uno tantum latere, ſed in ſe *volvuntur* ac replicantur, *Valvæ*, quaſi *volvæ*. Id autem, quo vertuntur fores, eſt *Cardo*; quia eſt earum, vel quaſi *cor*, ut volunt Servius & Iſidorus vel quaſi ramus ex quo ſuſpenduntur, eſt autem *ramus* Græcis [illegible]. Tum *Limen*, eſt transverſum in janua lignum, inferius, vel ſuperius; vel a *limes*; quia illic terminatur domus: vel a *limus*, id eſt, *obliquus & transverſus*. Denique *Poſtes*, ſunt arrectaria portarum, quaſi *poſt oſtium*: ſaxa vel ligna ab utroque portæ latere, quibus cardines, ſera, & repagula immittuntur. Hæc tamen omnia promiſcue vulgo uſurpantur pro janua.

462. *Sævum ambobus Achillem.*) Tres tamen ſunt; *Atridæ* duo: Menelaus & Agamemnon, Atrei regis Mycenarum filii: & *Priamus*, Trojæ rex. Tum *Achilles* Menelao ſævus non fuit: ſed Agamemnoni tantum, cum receſſit ab ejus exercitu propter ereptam ſibi Briſeida, & Priamo, cujus filium Hectorem occidit, & indigne habuit. Quomodo igitur *ambobus*? An geminos Atridas pro uno poſuit, quia unius patris erant filii? An *ambobus* poſuit, pro *utriſque*? An geminos exercitus ſignificavit, Atridarum & Priami? An potius legemus cum Seneca Ep. 104. *Atridem*, non *Atridas*, ut ad unum Agamemnona referatur? Hunc ſane malim audire quam Donatum, qui *ſævum* interpretatur,

tatur,



Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
En Priamus: ſunt hic etiam ſua præmia laudi,
Sunt lacrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solve metus: feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.
Sic ait: atque animum pictura paſcit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus;
Hac Phryges, inſtaret curru criſtatus Achilles.
Nec procul hinc Rheſi niveis tentoria velis
Agnoſcit lacrymans: primo quæ prodita ſomno
Tydides multa vaſtabat cæde cruentus:
Ardenteſque avertit equos in caſtra, priuſquam
Pabula guſtaſſent Trojæ, Xanthumque bibiſſent.
Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli,

Fer-

*quæ plaga in terris non plena noſtrorum caſuum? Ecce Priamus: hic quoque datur virtuti ſua merces, eſt commiſeratio calamitatum, & caſus hominum movent corda. Depone timorem, hæc fama afferet tibi aliquam ſalutem. Sic loquutus eſt, & oblectat mentem vanis picturis, multum gemens, & irrigat faciem copioſo fletu. Nam cernebat, quemadmodum pugnantes circa Trojam Græci hac fugerent, & Trojana juventus perſequeretur* eos: *hac Trojani* fugerent, *& Achilles criſta inſignis immineret e curru. Non longe hinc agnoſcit plorans tabernacula Rheſi candidis velis, quæ ſibi proditione tradita filius Tydei prima nocte populabatur multa ſtrage ſanguinolentus, & abducit acres equos in caſtra* Græcorum, *antequam carpſiſſent pabula Trojæ, & potaſſent* aquam *Xanthi. Parte alia Troilus, miſer adoleſcens, &* quamquam *inæqualis* auſus *pugnare in Achillem,*

*trabi-*

## NOTÆ.

tatur, *ſæviorem*, Agamemnone ſcilicet ac Menelao.

466. *Lacrymæ rerum.*) Propter res adverſas, calamitates. Sic Æn. 2. 784. *Lacrymas dilectæ pelle Creuſæ*, id eſt, Lacrymas propter dilectam Creuſam, & dolorem de ea conceptum mitiga.

470. *Pergama,*) *Pergamus*, arx fuit Trojana, in editiſſimo urbis loco ſita: unde alia omnia ædificia deinde *Pergama* appellata ſunt. Cave ne arcem illam confundas cum urbe *Pergamo*, quæ in eadem Phrygia minore poſtea condita eſt ad Caicum fluvium, fuitque *Attalicorum* regum ſedes, & Galeni patria, & celebris uſu chartæ Pergamenæ, Ital. *Carta Pergamena*.

472. *Hac Phryges, inſtaret, &c.*) *Phryges*, Trojani, qui Phrygiæ minoris partem incolebant; ſupra v. 385. E *curru* pugnabant ſæpe veteres, quo miles & auriga ferebantur. *De criſtis*, Æn. 3. 468.

473. *Rheſi.*) Rheſus Thraciæ rex, Martis, vel Strymonis filius; cum Trojanis veniret in auxilium, adduceretque ſecum equos, quorum erat fatum, ut ſi ſemel Xanthi aquam bibiſſent, Troia foret invicta: clauſis jam portis, coactus eſt in litore tentoria ponere. Sed proditus a Dolone Trojano ſpeculatore, qui in Græcorum ſpeculatores Diomedem & Ulyſſem inciderat, a Diomede interfectus eſt, & equi fatales abducti Iliad. 10. 453. Equi porro illi ferocitate præcellebant; ab equis Diomedis Thraciæ regis oriundi, humana carne veſci ſoliti, quibus ideo dominum ipſum devorandum Hercules tradidit.

474. *Primo ſomno.*) *Somnus* pro *nocte*, ut Georg. 1. 208. *Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.*

475. *Tydides.*) Diomedes Tydei filius, Æ. 11. 243.

477. *Xanthum.*) Diis ita dictum, hominibus vero *Scamandrum*, inquit Homerus: quia nomen illud iſto antiquius: fluvium Troadis, ex Ida monte profluentem, unde ſe in Helleſpontum exonerat.

478. *Troilus.*) De ejus ætate variæ ſunt ſententiæ. Virgilius hunc *puerum*, Horatius *impuberem* facit: alii, ut Hyginus & Tzetzes, jam grandiorem, & unum e maximis Priami natis. Variæ quoque de ejus morte opiniones: Theocritus & Lycophron eum volunt, ob ſpretum Achillis amorem, in templo Apollinis ab Achille fuiſſe occiſum: alii, in ipſo certamine: alii per vim: alii ex inſidiis.

479. *Impar congreſſus Achilli.*) Vel *impar Achilli*: vel, ut mavult Servius, *congreſſus Achilli*: id eſt, cum Achille: ut Catullus dixit in carmine nupt. v. 64. *Noli pugnare duobus.*

482. *Ver-*

Fertur equis, curruque hæret reſupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, & verſa pulvis inſcribitur haſta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades paſſis, peplumque ferebant,
Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.
Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut ſpolia, ut currus, utque ipſum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conſpexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoaſque acies, & nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet,
Aurea ſubnectens exſertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum forma pulcherrima Dido

In-

*trahitur* ab *equis*, *& pendet reſupinus e curru vacuo, retinens tamen habenas: huic & cervix & capilli raptantur per humum, & pulvis ſulcatur haſta inverſa. Interea ad templum Palladis non* ipſis *amicæ, ibant Trojanæ ſparſis capillis, & portabant ei pallam, mœſtæ* more *ſupplicantium, & percutientes pectus palmis. Dea infenſa tenebat oculos defixos in terram. Achilles traxerat Hectorem ter circa muros Trojanos, & vendebat auro cadaver exanimum. Tunc autem* Æneas *emittit ex intimo pectore magnum gemitum, ut vidit ſpolia, & currum, & ipſum cadaver amici, & Priamum tendentem manus exarmatas. Animadvertit etiam ſe mixtum principibus Græcis, & exercitus orientales, & arma nigri Memnonis. Pentheſilea furens ducit turmas Amazonum* inſtructas *ſcutis lunatis, & ardet inter media millia, nectens cingulum aureum ſub nudato ubere,* utpote *bellatrix, & audet puella certare* cum *viris. Dum iſta mirabilia conſpiciuntur ab Ænea Trojano, dum ſtupet, & ſtat defixus in hoc ſolo aſpectu; Regina Dido ſpecie clariſſima venit in templum,*

*magna*

NOTÆ.

482. *Verſa pulvis inſcribitur haſta.*) Non haſta Troili, quam adhuc manu retineret; nam *amiſſis armis*, id eſt *dimiſſis*, ferebatur: & ſola lora manu implicata retinebat. Igitur haſta Achillis, quæ per Troili pectus adacta, & cum eo reſupino *inverſa*, ferro pulverem ſulcabat.

483. *Non æquæ Palladis.*) Infeſtæ, propter judicium Paridis, de quo v. 31. De *Pallade* v. 43. Ibant autem ad templum Trojanæ mulieres, duce Hecuba, Heleni & Hectoris admonitu, cum gravem a Diomede accepiſſent cladem; ut Deam Diomedi faventem, & pepli dono, & ſacrificiis placarent. Iliad. 6. 302.

484. *Crinibus Iliades, &c.*) Alludit ad morem Romanarum mulierum, quæ in luctu, aperto capite, & ſolutis paſſiſque crinibus incedebant, fortaſſe etiam Trojanæ ac barbaræ; cum contra Græcæ tonderent comas: quod docet Plutarchus in Romanis quæſt. *Peplum.*) Offerebatur Deabus, non in luctu tantum, ſed etiam ſolemnibus quibuſdam diebus, muneris loco; *Palladi* præſertim; *Junoni* ex Pauſania l. 2. & Statio Theb. 10. 56. imo & *Veneri* ex Claudiano de nuptiis Honor. v. 123. Eo induebantur ſimulacra; ſic enim Stat. Theb. 10. 65. *Hoc tunc Argolicæ ſanctum velamine matres induerant ebur.* *Peplum* autem fuit palla, ſive pallium muliebre, ſubtili arte contextum, ad pedes effuſum, ſine manicis; coloris aliquando purpurei, aliquando candidi; aurea fimbria claviſque aureis, & variis Deorum heroumque figuris ornatum.

487. *Ter circum, &c.*) De *Achille*, v. 34. De *Hectore*, v. 103.

492. *Achivis.*) Græcis. *Græcia* enim proprie dicta, ſive *Hellas*, *Achaia* quoque appellata eſt ab *Achæo* quodam, vel Jovis filio, vel Zuthi, qui in ea regione regnavit: cujus populi *Achæi* & *Achivi* ſunt dicti. Eſt & alia minor *Achaia*, Peloponneſi pars.

493. *Eoaſque acies, &c.*) *Memnon* Auroram matrem, Tithonum patrem habuit, Laomedontis Trojani regis filium. Quare Trojanorum in auxilium veniſſe dicitur, cum ingentibus Indorum & Æthiopum copiis, & ab Achille occiſus, e rogo ſuo aves produxiſſe, quæ duas in partes diviſæ roſtris atque unguibus, ad parentandum auctori ſuo, decertaverint. Ejus ſtatua, in Ægypto, Solis orientis icta radiis, emiſiſſe ſonum memoratur. *Eoas*) Orientales, ab ἠὼς *Aurora*.

494. *Amazonidum.*) Id eſt, *Amazonum*: quæ

ſibi



Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradienſque Deas ſupereminet omnes:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios, inſtans operi regniſque futuris.
Tum foribus Divæ, media teſtudine templi,
Septa armis, ſolioque alte ſubnixa reſedit.
Jura dabat legeſque viris, operumque laborem
Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat:
Cum ſubito Æneas concurſu accedere magno
Anthea, Sergeſtumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Diſpulerat, penituſque alias avexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates
Lætitiaque metuque; avidi conjungere dextras
Ardebant: ſed res animos incognita turbat.
Diſſimulant, & nube cava ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris, claſſem quo litore linquant,

Quid

*magna juvenum turba ambiente. Talis in ripis Eurotæ, vel per culmina Cynthi, Diana miſcet choreas; quam ſequutæ mille Oreades hinc atque inde congregantur: Diana geſtat humero pharetram, & incedens exſtat ſupra cæteras Nymphas. Lætitia tacite mulcet animum Latonæ. Talis erat Dido, talem ſe attollebat læta inter medios, urgens opus, & regna futura. Deinde ſedit ad fores Junonis, ſub medio fornice templi, cincta militibus, & alte ſuffulta ſolio. Diſtribuebat jus & leges civibus, & dividebat in æquas partes laborem operum, aut ducebat ſorte: cum repente Æneas videt accedere cum ingenti multitudine Antheum, & Sergeſtum, & generoſum Cloanthum, & alios Trojanorum, quos nigra tempeſtas mari disjecerat, & abſtulerat ad litora omnino diverſa. Obſtupuit continuo ipſe,* & *continuo Achates* quoque *commotus eſt gaudio & timore: cupiebant avide ſociare dextras* cum iis: *ſed ſucceſſus incertus turbat mentes. Diſſimulant* adhuc, *& obtecti cava nebula conſiderant, quæ ſociorum ſors, quo* in *litore reliquerint naves,*

*cur*

NOTÆ.

ſibi mammam alteram inurebant, ne jaciendis ſagittis eſſet impedimento: alteram baltheo ſubſtringebant. Nomen inde ab *α* privativo, & μαζὸς *mamma*. De iis fuſe Æn. 11. 659. &c. Harum regina *Pentheſilea* Trojanis poſt mortem Hectoris opem tulit; & juxta aliquos, ab Achille; juxta alios, a Neoptolemo Achillis filio interfecta eſt. *Peltis*) Scutis breviſſimis, & in formam mediæ Lunæ.

502. *Qualis in Eurotæ, &c.*) Explodit hanc Didonis cum Diana comparationem Valerius Probus apud Gellium l. 9. c. 9. vultque nihil tam improſpere a Virgilio converſum eſſe ex Homero, apud quem illa reperitur Odyſſ. 6. 102. Defendit eam Scaliger Poetic. l. 5. c. 3. aitque Virgilianam eſſe a magiſtro, Homericam a diſcipulo. Ego in Valerii ſententiam paullo ſum propenſior; vel ideo, quod ex iis circumſtantiis, quas ſane multas congerit, nulla eſt ad rem, niſi multitudo Oreadum, quæ Dianam comitantur; cæteræ omnino a Didone diverſæ ſunt. *Eurotæ.*) Fluvii in Laconia, Spartam alluentis: quæ regio venatu celebris eſt. *Cynthi.*) Montis in Inſula Delo, ubi Diana & Apollo nati ſunt.

503. (*Choros.*) Multitudo ſaltantium & canentium eſt proprie *chorus*.

504. *Oreades.*) Nymphæ montium, ab ὄρος *mons*. Ecl. 2. 49.

506. *Latonæ.*) Filiæ Cœi Titanis, quæ Dianam, & Apollinem ex Jove peperit in inſula Delo Ecl. 3. 67.

509. *Tum foribus Divæ, &c.*) Adjungit Servius hæc verba proxime præcedentibus, hoc ſenſu: *Inſtat Regina operi, tum præſertim ædificandis Junonis templi foribus.* Affert & aliam interpretationem, quam etſi priori poſtponat, ego tamen præpono: nempe medio in templo locum fuiſſe ſeparatum, ubi ſervabatur ſimulacrum Numinis, & religio adminiſtrabatur, iſque appellatur a Polluce *ſacellum*, *delubrum*, a Vitruvio *cella*, a cæteris *adytum*, *penetrale*, a queis vel velo, vel muro ſeptus erat, & porvius *foribus*; quemadmodum noſtris in templis uſuvenit. Iis porro in *foribus* Dido jus dicebat; & mos ille Romanorum deinceps fuit in templis jus dicere, ac ſenatum habere. *Media teſtudine.*) Medio in templo, cujus tectum concavum & fornicatum erat in morem teſtudinis, Ital. *teſtuggine*.

514. *Anthea, Sergeſtumque, &c.*) De *Antheo*, v. 185. De *Cloantho*, & *Sergeſto*, paſſim l. 5. nauticis in ludis. De *Teucris*, Trojanis, ſupra v. 42.

523. *Orat-*

Quid veniant: cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit:
O regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Juſtitiaque dedit gentes frænare ſuperbas,
Troes te miſeri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignes,
Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas:
Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.
Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ:
Oenotrii coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem.
Huc curſus fuit:
Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit, penituſque procacibus Auſtris
Perque undas, ſuperante ſalo, perque invia ſaxa
Diſpulit. Huc pauci veſtris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem

Per-

*cur veniant: veniebant autem electi ſingulis e navibus, poſcentes veniam, & lamentando accedebant ad templum. Poſtquam ingreſſi* ſunt, *& data eſt facultas loquendi coram* Regina, *ſpectatiſſimus* inter ſocios *Ilioneus ſic incepit ſedata mente: O Regina, cui Jupiter permiſit extruere urbem novam, & coercere æquitate populos feroces; nos miſeri Trojani, acti ventis per omnia maria, precamur te, propelle dira incendia a navibus, ignoſce religioſæ genti, & benignius aſpice miſerias noſtras. Nos non venimus, aut vaſtare gladio domos Africanas, aut abducere ad litora prædas raptas: non ineſt menti ea violentia, nec tanta ferocitas victis. Eſt regio, quam Græci vocant nomine Heſperiam: regio antiqua, potens bello & fertilitate terræ: Oenotrii populi* ipſam *incoluerunt: nunc rumor* eſt, *poſteros eam regionem appellaviſſe Italiam de nomine ducis. Illuc direximus curſum, cum repente oriens e mari procelloſus Orion impulit nos in vada latentia, & petulantibus ventis,* ac *mari ſuperante, funditus disjecit perque aquas, perque rupes inacceſſas. Pauci enatavimus huc ad veſtra litora. Quodnam* eſt *hoc genus hominum? aut quæ regio tam crudelis*

tele-

## NOTÆ.

523. *Orantes veniam.*) Orantes ut mitius haberentur: nam *venia* non ſemper *culpam* ſupponit; ſed ſæpe *pacem* & favorem ſignificat. Cicero pro Rabir. 5. *Ab Jove pacem & veniam peto.* Pro Fonteio 21. *In bellis gerendis, a Diis immortalibus pacem & veniam petunt.* De Ilioneo, v. 124.

534. *Eſt locus, Heſperiam, &c.*) Supple *quem*: uti ſupra v. 16. *Urbs antiqua fuit, Tyrii*, ſupple, *quam Tyrii.* Italia multis nominibus dicta fuit, pro varia temporum ratione. *Heſperia*, quod nomen ipſi cum Hiſpania commune fuit, vel ab *Heſpero*, Atlantis Mauritaniæ regis fratre, qui primo obtinuit Hiſpaniam, indeque a fratre pulſus in Italiam venit; vel ab *Heſpero*, Veneris ſtella; quæ mane ſub Luciferi nomine apparet, ſero ſub nomine *Heſperi*, atque ita occaſum ſignificat; quo factum eſt, ut Græci ex iis regionibus, quas habent ad occaſum, Italiam appellaverint *Heſperiam magnam*, Hiſpaniam vero, *minorem Heſperiam*. Alterum Italiæ nomen fuit *Oenotria*, vel ab *Oenotro* rege Sabinorum, vel ab Oenotro Lycaonis Arcadiæ regis filio, vel potius ab *οἶνος vinum & ὀτρύνω incitare*, quod vini ferax regio ſit. Aliud ejuſdem regionis nomen eſt *Italia*; vel ab Italo rege Siculorum; vel a bobus, qui veteri lingua Græca dicebantur *ἰταλοί*, & illic fuere magna copia. Alia item nomina tulit, de quibus fuſe Kircherus in Latio l. 1. c. 1. 2. 3. Quodnam autem ſit omnium antiquiſſimum, difficile eſt conjicere: Virgilius *Italiam* noviſſimum putat, cum ait, minores *Italiam dixiſſe.*

535. *Ubere glebæ.*) De forma illa loquendi Georg. 2. 185.

539. *Orion.*) De hujus ſigni cœleſtis fabula dicemus Æ. 3. 517. Ex hoc autem verſu probat Segreſius, Æneam non niſi Julio menſe in Africam eſſe appulſum. Nam de triplici tantum Orionis ortu hic agi poteſt, de *quotidiano*, de *heliaco*, de *acronico*, quas voces explicuimus Georg. 1. 217. & 221. & 229. Conſtat autem de *quotidiano* non poſſe explicari, ſic enim Orion quotidie tempeſtates

exci-



Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ:
Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.
Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura
Ætherea, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio nec te certaſſe priorem
Pœniteat. Sunt & Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque a ſanguine clarus Aceſtes.
Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſilvis aptare trabes, & ſtringere remos;
Si datur Italiam, ſociis & rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus:
Sin abſumpta ſalus, & te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyæ, nec ſpes jam reſtat Iuli;
At freta Sicaniæ ſaltem ſedeſque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Aceſten.
Talibus Ilioneus: cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demiſſa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri; ſecludite curas.

Res

*tolerat hanc conſuetudinem? negatur* nobis *arena* pro *hoſpitio: bella movent, & impediunt* quominus *maneamus* in *primo litore. Si deſpicitis genus humanum, & vindictam hominum: at expectate Deos memores æqui & iniqui. Regem habeamus Æneam, quo non fuit ullus juſtior, nec pietate, nec bello & armis inſignior. Si fata virum hunc ſervant, ſi ſpirat aerem cæleſtem, nec adhuc cecidit* ſub *ſævas umbras; nullus* eſt *timor* nobis, *neque pænitebit te provocaſſe prius* eum *beneficiis. Sunt etiam* nobis *urbes* in *terra Sicula, & arma, & Aceſtes illuſtris e Trojana origine. Permittatur* nobis *detrahere* ad terram *naves ventis fractas, & accommodare trabes e ſilvis, & abſcindere remos, ut læti eamus in Italiam & Latium, ſi conceditur ire in Italiam ſociis & rege recepto; ſi vero ſalus extincta* eſt, *teque mare Africæ tenet, o pater optime Trojanorum, nec jam ſupereſt ſpes Aſcanii; at ſaltem* ut *eamus ad mare Siciliæ & ad paratas urbes, ex quibus huc pulſi* ſumus, *& ad regem Aceſten. His verbis Ilioneus* orabat: *interea Trojani omnes murmure approbabant. Tum Dido, vultu demiſſo, breviter loquitur: Ejicite metum* ex *animo, o Trojani: expellite ſollicitudinem.*

Diffi-

## NOTÆ.

excitaret: non de *acronico*, qui hyeme cōtingit: ergo de ortu *heliaco*, qui nunc in Julii initia cadit, olim tamen in medium Junium: at vis hujus ſideris, non ad unum ortus diem, ſed ad conſequentes etiam dies pertinere putanda eſt. Firmat opinionem hoc etiam verſu libri 4. 52. ubi Anna Didoni ſuadet, ut Æneam per hyemem detineat: *Dum pelago deſævit hyems, & aquoſus Orion*: quod omnino tunc intelligendum de ortu ejus *acronico*, qui menſibus poſt helia. cum circiter quinque contingit.

540. *Procacibus Auſtris, &c.*) Obſtinate importunis. Hor. Od. l. 1. 26. 2. *Tradam protervis in mare Creticum portare ventis.* Lucret. l. 6. 110. *Furit petulantibus Euris.* De *Auſtris* ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58.

541. *Salo.*) *Sal & ſalum* uſurpat Virgilius, pro mari, quod Græcis dicitur, *ἅλς*. Æn. 5. 866. *Sale ſaxa ſonabant.*

547. *Sperate Deos, &c.*) Expectate. Æn. 4. 419. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem, & perferre, ſoror, potero.* *Fandi atque nefandi.*) Illius, quod *fas*, & *nefas* eſt: utrumque enim a *fando* dicitur, quia quod æquum eſt, digne *fari* poſſumus: quod iniquum, *fari* non poſſumus.

550. *Si veſcitur aura.*) Si ſpirat, ſi halitum ducit ex aere. Et vero apud Lucret. l. 5. 72. *Veſci* eſt *uti*: *Quove modo genus humanum variante loquela cæperit inter ſe veſci.*

554. *Aceſtes.*) Rex Siciliæ, de quo Æ. 5. 36. De *Sicilia* inſula Æn. 3. 687.

556. *Stringere remos.*) Ecl. 6. 61. *Agricolæ ſtringunt frondes*, id eſt, *amputant.*

558. *Ut Italiam, &c.*) De ea, v. 6. De *Latio*, Æn. 7. 54. De *Teucris*, Trojanis ſupra v. 239. De *Libya*, Africa v. 162. De *Iulo*, Aſcanio, v. 271. De *Sicanis*, Siculis Æn. 3. 687. De *Dardanidis* Trojanis, ſupra v. 239.

565. *Vultum demiſſa.*) Puduit enim Reginam minime barbaram, naufragos, & exteros a ſuis tam dure habitos fuiſſe.

Ee 569. Ge-

Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.
Quis genus Æneadum, quis Trojæ neſciat urbem:
Virtuteſque, viroſque, & tanti incendia belli?
Non obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni:
Nec tam averſus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Heſperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Aceſten,
Auxilio tutos dimittam, opibuſque juvabo.
Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?
Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt: ſubducite naves:
Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur.
Atque utinam rex ipſe Noto compulſus eodem
Afforet Æneas! Equidem per litora certos
Dimittam, & Libyæ luſtrare extrema jubebo,
Si quibus ejectus ſilvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, & fortis Achates,
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Ænean compellat Achates:
Nate Dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit?
Omnia tuta vides, claſſem, ſocioſque receptos.
Unus abeſt, medio in fluctu quem vidimus ipſi
Submerſum: dictis reſpondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfuſa repente

Scin-

*Difficilis* ſtatus *rerum* mearum, *& novitas dominationis cogunt me facere talia, & circum munire terminos cuſtodibus. Quis ignoret familiam Æneæ, & Trojam urbem, & virtutes, & populos, & incendia tanti belli?* Nos *Pœni non habemus adeo craſſa ingenia, nec Sol alligat equos* currui *tam remotus ab urbe Carthagine. Seu vos appetitis magnam Italiam & agros Saturni; ſive regionem Erycis, & regem Aceſten: dimittam* vos *ſecuros præſidio, & reficiam opibus. Vultiſne etiam manere mecum pariter in hoc regno? urbs, quam condo, veſtra eſt: trahite* in terram *naves: Trojanus & Tyrus a me tractabitur* ſine *ulla diverſitate. Atque utinam ipſe rex Æneas adeſſet, pulſus eodem vento! Sane mittam fidos* homines *circa litora, & mandabo* ut illi *perveſtigent extremam Africam, ſi* forte *naufragus vagatur aliquibus in ſilvis, aut urbibus. His ſermonibus excitati, & generoſus Achates, & pater Æneas, jamdiu optabant exire e nube. Prior Achates alloquitur Æneam: Fili Veneris, quod conſilium jam venit in mentem? cernis omnia tuta, & naves & ſocios recuperatos. Unus tantum deeſt, quem ipſi conſpeximus mediis in undis ſubmerſum; reliqua conveniunt* cum *ſermone matris* tuæ. *Vix ea locutus erat, cum ſubito nebula circumiecta*

rum-

## N O T Æ.

569. *Genus Æneadum.* ) Non nepotes Æneæ, qui nulli tum erant; ſed majores, a quibus ille genus ducebat.

571. *Pœni.* ) Dicti quaſi *Phœni*, v. 342.

572. *Nec tam averſus, &c.* ) Senſus eſt: *Tyriam urbem non eſſe tam remotam a Solis ortu & calore*; atque adeo cives ſuos ingenio non eſſe tam obtuſo. *Non obtuſa &c.* Ajunt enim Philoſophi populos, qui frigidioribus in plagis naſcuntur, vulgo tardiori eſſe indole.

573. *Heſperiam magnam, &c.* ) Italiam v. 534. *Saturnia arva.* ) Eam Italiæ partem, quæ *Latium* dicta eſt, quod in ea Saturnus latuerit; Æn. 8. 319.

574. *Erycis fines.* ) Siciliæ montem in parte occidentali, nunc Ital. *Monte di S. Giuliano*, non longe a Drepano, cui nomen impoſuit *Eryx*, ibidem ſepultus. De eo, Æn. 5. 24. *Aceſtes.* ) Ejuſdem Siciliæ rex, Æn. 5. 36.

577. *Urbem quam ſtatuo; veſtra eſt, &c.* ) Servius refert accuſativum *urbem* ad præcedens verbum *vultis*, hoc ſenſu *Vultis his conſidere regnis? vultis urbem quam ſtatuo? veſtra eſt.* Vulgo tamen agnoſcunt Grammatici mutationem caſus, *Urbem quam ſtatuo*, pro *urbs quam ſtatuo*. Aliqui, quibus accedo, ſolam ordinis mutationem putant, pro, *quam urbem ſtatuo*.

579. De *Noto*, ſive Auſtro, vento meridionali, Ecl. 2. 58.

588. *Unus abeſt.* ) *Orontes*, de quo v. 117.

595. *Purpureum.* ) Ad colorem poteſt referri, qui rubicundus ac roſeus juvenibus fere eſt. Sic ſupra v. 406. tribuitur Veneri *roſea cervix*. Sic Æ. 10. 16. *Venus aurea* dicitur, forte ex aureo colore capillorum. Quamquam his nominibus exiſtimo non tam certum colorem ſignificari, quam generatim pulchritudinem, ut cum dixit Horat. Od.

4. 1. 10.



Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.
Reſtitit Æneas, claraque in luce refulſit,
Os, humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariuſve lapis circumdatur auro.
Tum ſic Reginam alloquitur, cunctiſque repente
Improviſus ait: Coram, quem quæritis, adſum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O ſola infandos Trojæ miſerata labores!
Quæ nos, relliquias Danaum, terræque mariſque
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,
Urbe, domo ſocias. Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ, Dido: nec quicquid ubique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem.
Dii tibi (ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt & mens ſibi conſcia recti,)
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet:
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt:
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus, amicum

Ilio-

*rumpit ſe, & ſolvitur in vacuum aerem.* Viſus *eſt ſtans Æneas & emicuit claro ſplendore, ſimilis Deo* ſecundum *vultum & humeros. Ipſa enim mater aſpiraverat filio decorem in coma, & egregiam lucem juventutis, & hilarem pulchritudinem oculis. Qualem pulchritudinem ars adjicit ebori: aut quando argentum, vel marmor Parium cingitur rutilo auro. Tunc ſic alloquitur Reginam, & ſtatim omnibus inexſpectatus inquit: Adſum præſens* ego, *quem quæritis, Trojanus Æneas, ſervatus a fluctibus Africæ.* O quæ *ſola miſerta es infandarum calamitatum Trojæ! Quæ nos excipis urbe & domo,* nos qui ſumus *reliquiæ Græcorum, fracti jam omnibus infortuniis terræ & maris, indigentes omnium* rerum. *Non eſt noſtræ facultatis tibi referre gratias debitas, o* Dido, *nec quodcumque uſquam eſt nationis Trojanæ, quæ diſſipata eſt toto mundo, tibi reddere* poſſit *præmia merita;* ſed ſoli *Dii, ſi aliqui Dii reſpiciunt pios, ſi eſt ullo in loco aliquid juſtitiæ;* ſed *& tua mens conſcia ſibi æquitatis. Quæ tam fortunata tempora te protulerunt! qui tanti parentes talem produxere? Quamdiu amnes current in mare, quamdiu umbræ* arborum *circuibunt cacumina montium, quamdiu cœlum alet aſtra: ſemper gloria, & nomen tuum, & laudes durabunt: quæcumque regio trahat me* ad ſe. *Sic locutus,* appre-

## N O T Æ.

*Purpureus ales oloribus.* Piſo Albin. *Brachia purpurea candidiora nive.* Homer. Od. 6. 231. Κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας *comas hyacinthino flori ſimiles.* Cum enim inter colores pulcherrima ſit purpura, inter metalla aurum, inter flores roſa, & veterum æſtimatione hyacinthus: ideo hæc nomina ad exprimendam quamlibet pulchritudinem tranſtulerunt. Expreſſus eſt hic locus, cum ſequenti comparatione, ex Homer. Odyſſ. l. 6. 229. ubi Minerva formam addit Ulyſſi, ut Nauſicaæ placeat.

596. *Manus addunt, &c.* ) *Manus*, pro arte & labore hic ſumuntur; ut ſupra v. 459. *Artificumque manus inter ſe.*

597. *Parius lapis.* ) Marmor candidum e Paro inſula, in mari Ægæo.

602. *Relliquias Danaum.* ) Supra v. 34.

607. *Si qua pios, &c.* ) Modicius ait tria hic promitti virtutis præmia: primum a Diis, *ſi qua pios reſpectant numina:* ſecundum ab hominibus, *ſi quid uſquam juſtitiæ eſt*; tertium ab ipſa Didonis conſcientia, *& mens ſibi conſcia recti*; quaſi dicat Æneas: *Non meum eſt nec Trojanorum, tantam virtutem remunerari, ſed Deorum, ſed omnium hominum, ſed tui ipſius*, nam virtus ſibi eſt ipſa præmium.

612. *Luſtrabunt convexa, &c.* ) *Convexa* montium accipio pro *cacuminibus*, quæ rotunda & convexa ſunt, *luſtrabunt* pro *circuibunt*; quemadmodum Hercules Æ. 8. 231. *Ter totum fervidus ira Luſtrat Aventini montem*, id eſt *circuit. Luſtrare* autem proprie ſignificat *expiare a luo*; per tranſlationem, *circuire*, quia expiationes agrorum & urbium per *circuitiones* fiebant; unde de ſacrificio ambarvali ait Virgil. Ecl. 5. 75. *Et cum luſtrabimus agros.* Umbræ porro ad motum Solis moventur, & in orbem circumflectuntur.

*Polus dum ſidera paſcet.* ) E veterum opinio-



ne,

Ilionea petit dextra, lævaque Sereſtum:
Poſt alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido,
Caſu deinde viri tanto; & ſic ore locuta eſt:
Quis te, nate Dea, per tanta pericula caſus
Inſequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulſum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli. Genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo caſus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, Regeſque Pelaſgi.
Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum a ſtirpe volebat.
Quare agite, o tectis, juvenes, ſuccedite noſtris.
Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Jactatam, hac demum voluit conſiſtere terra.
Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

635 Sic

*Apprehendit* manu *dextra carum Ilioneum*, & *ſiniſtra Sereſtum*, *poſtea alios*, & *generoſum Gyan*, & *generoſum Cloanthum*. *Obſtupuit primo Tyria Dido ob aſpectum*, *deinde ob tantam calamitatem Æneæ*; & *ſic ore dixit*: *Quæ te fortuna*, *o fili Deæ*, *perſequitur per tot diſcrimina? quæ potentia te projecit ad crudelia litora? Tune es ille Æneas*, *quem alma Venus peperit Anchiſæ Trojano prope aquas Phrygii Simoentis? Ego quidem recordor Teucrum veniſſe Sidona*, *ejectum e terminis patriæ*, & *quærentem nova regna ope Beli. Tunc* meus *pater Belus populabatur pinguem Cyprum*, & *victor* cum *imperio poſſidebat. Jam* inde *ab illo tempore nota eſt mihi ruina urbis Trojanæ*, & *nomen tuum*, & *reges Græci*. *Ipſe* Teucer *hoſtis extollebat magnis laudibus Teucros*, Trojanos, & *ajebat ſe oriundum e veteri Teucrorum* illorum *familia. Agite ergo*, *o juvenes*, *intrate in noſtras domos*. *Similis fortuna voluit*, *ut ego quoque agitata per multos caſus*, *denique manerem hac in regione*. *Non inſcia miſeriarum didici auxiliari miſeris*.

Sic

## N O T Æ.

ne, qui Solem & ſidera, quia igneæ atque adeo voracis naturæ, paſci crediderunt aquarum humore in cœlum educto; ſed fruſtra quidam legunt *palus*; nam Lucretius in multis Virgilii Magiſter, dixit l. 1. 231. *Unde æther ſidera paſcit*.

615. *Ilionea*, &c.) Penultimam, natura brevem, metri cauſa produxit, Ionum more, qui Ἰλιονῆα dicunt pro Ἰλιονέα. *Sereſtum*.) Teſtatur Pierius in Longobardico cod. *Sergeſtum* legi; & v. 414. dixit. *Anthea Sergeſtumque videt*. Nulla de *Sereſto* mentio. Tamen l. 12. 561. diſtinguuntur hæc duo nomina: *Mneſthea, Sergeſtumque vocat*, *fortemque Sereſtum*.

621. *Dardanio Anchiſæ*.) Notanda gravitas verſus, quæ oritur ex hiatu vocalium, & ſpondæo quinti pedis. *Dardanio*, Trojano, v. 239. *Anchiſæ*, Capyos filio, Aſſaraci nepoti, e ſtirpe Trojanorum regum. Hic a Venere adamatus, oculis deinde privatus fuiſſe dicitur, quod amores jactaſſet ſuos. De *Venere*, v. 260. De *Simoente*, fluvio, v. 104. De *Phrygia*, v. 385.

623. *Teucrum memini Sidona*.) Teucer, Telamonis Salaminis inſulæ regis filius, cum e bello Trojano rediiſſet in patriam, inulta fratris Ajacis morte, qui dolis Ulyſſis circumventus, ob dolorem de amiſſis judicio armis Achillis, mortem ſibi intulerat; a patre actus in exſilium, & Cyprum appulſus urbem illic, de patriæ ſuæ nomine, Salamina conſtituit. Addit Virgilius Cyprum tunc temporis a Belo, Tyri rege Didonis patre, fuiſſe expugnatam; atque adeo Teucrum veniſſe ad Belum, ut ejus ope ſedem in illa inſula obtineret. *Sidonia*.) De qua urbe v. 450. De Belo in argumento lib. 4.

626. *Cyprum*.) Ingentem inſulam mediterranei maris, in ſinu Iſſico, inter Ciliciam & Syriam, Veneris olim cultu celebrem.

628. *Pelaſgi*.) Proprie Theſſali; qui ſic dicti ſunt, vel a *Pelaſgo*, Lycaonis Arcadiæ regis filio, a quo ducebant originem; vel quaſi *Pelargi*, a πελαργὸς, *ciconia*, quia ciconiarum more per multas regiones erraverunt. Pro Græcis omnibus, & hic, & paſſim ſumuntur.

630. *Teucrorum a ſtirpe*.) Trojanorum, qui ab antiquo Teucro, Dardani ſocero, ſic dicti fuerant v. 239. Ab ea Teucri ſtirpe oriebatur Teucer per Heſionem matrem ſuam, quæ

Lao-



Sic memorat: ſimul Æneam in regia ducit
Tecta, ſimul Divum templis indicit honorem.
Nec minus interea ſociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pingues centum cum matribus agnos:
Munera, lætitiamque Dei.
At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, mediiſque parant convivia tectis.
Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo:
Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten:
Aſcanio ferat hæc, ipſumque ad mœnia ducat.
Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet, pallam ſignis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argivæ Helenæ, quos illa Mycenis,

655 Per-

*Sic loquitur*: *ſtatimque ducit Æneam in regiam domum*, & *eodem tempore mandat ſacra fieri in templis Deorum*. *Interim nec minore* cura *mittit ad litora ſociis Æneæ viginti tauros*, *centum corpora hirſuta porcorum*: *centum agnos pingues*, *cum* centum *ovibus*: præterea *dona* & *gaudia Bacchi*. *At domus interior* licet *ſplendida*, *ornatur regali pompa*, & *ſub medio tecto parantur epulæ*. Adſunt *veſtimenta perfecta* magno *artificio*, & *purpura illuſtri* tincta: *magna* vaſa *argentea* in *menſis*, & *egregia facinora majorum ſculpta in auro*, *ordo rerum longiſſimus deductus per tot viros*, *ab* ipſo *ortu veteris familiæ*. *Æneas* (*nam affectus paternus non ſuſtinuit* ejus *animum tardare* diutius) *mittit celerem Achatem ad naves*, ut *referat iſta Aſcanio*, & *adducat eum in urbem*. *Tota ſollicitudo cari patris poſita eſt in Aſcanio*. *Inſuper imperat*, *ut afferat munera ſervata* ex *Trojano excidio*, *pallam figuris aureis*, & *velamen*, *cui croceus acanthus intextus* erat; *ornamenta Argivæ Helenæ*, *quæ ipſa Mycenis*

expor-

## N O T Æ.

Laomedontis Trojani Regis filia fuit: Laomedon Ili filius, Ilus Trois, Tros Erichthonii, Erichthonius Dardani, Dardanus Teucri gener.

640. *Lætitiamque Dei*.) Vinum, lætitiam Dei, id eſt Bacchi, de quo infra v. 738. *Adſit lætitiæ Bacchus dator*. Gellius aliique legunt non *Dei*, ſed vel *dii*, vel *die*, qui ſunt antiqui genitivi, a nomine *dies*, ut G. 1. 208. *Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas*. Et ſenſus erit: miſſa eſſe a Didone hæc omnia, ut diem illum hilariter Trojani ducerent. Plura tamen & vetuſtiora exemplaria habent *Dei*.

652. *Pallam*.) Pallium muliebre: utraque vox, vel a *palam*; quia veſtis eſt exterior: vel a πάλλω *vibro*, quod frequenti motu vibretur.

653. *Croceo velamen acantho*.) Ornatum variis flexibus acanthi herbæ, croceo colore, vel auro expreſſæ. *Velamen* aliqui *cycladem* eſſe volunt; genus fœmineæ veſtis tenuiſſimum, rotundum, ac fimbriatum; alii, quia croci fit mentio, putant eſſe *epicrocum*, amiculum tenue ac perlucidum: iique melius, quia *epicrocum* velaminis inſtar fuit, *cyclas* talaris veſtis. Prop. l. 4. 7. 40. *Aurata cyclade ſignat humum*. *Acanthus*, *branca urſina*, herba coronaria, Ecl. 3. 45. *Crocus*, flos, Ital. *zaffarano*.

654. *Argivæ Helenæ*.) Patrem habuit Jovem, ſub cycni ſpecie; matrem Ledam, Tyndarei Laconiæ regis uxorem. Leda ova duo peperit; ex altero Pollux & Helena divino ſemine: ex altero Caſtor & Clytemnæſtra mortali ſemine excluſi ſunt. Dixit tamen Horatius, ſed contra communem opinionem, Pollucem & Caſtorem ex eodem ovo prodiiſſe, Sat. l. 2. 1. 26. *Caſtor gaudet equis*, *ovo prognatus eodem*, *pugnis*. Nupſit Helena Menelao, cui erepta eſt a Paride, & Trojam deducta ortum dedit bello Trojano, ſupra v. 31. Cætera de eadem, Æn. 2. 567. Æn. 7. 311. *Argivæ*.) Græcæ; non enim *Argis* nata fuit, nec *Mycenis* regnavit; ſed vir ejus Menelaus frater fuit Agamemnonis, qui in hac utraque regnavit urbe, ſupra v. 228. Menelaus autem adſcitus in generum a Tyndareo, Spartæ vel Lacedæmonis rege, mortuis Caſtore ac Polluce, Spartæ regnavit. Promiſcue tamen ſumuntur harum urbium nomina, propter vicinitatem, omnes enim ſunt in Peloponneſo.

655.

Pergama cum peteret, inconceſſoſque Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore verſat
Conſilia: ut faciem mutatus & ora Cupido
Pro dulci Aſcanio veniat, doniſque furentem
Incendat Reginam, atque oſſibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyrioſque bilingues:
Urit atrox Juno, & ſub noctem cura recurſat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia; ſolus,
Nate, Patris ſummi qui tela Typhoea temnis:
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi: & noſtro doluiſti ſæpe dolore.
Hunc Phœniſſa tenet Dido, blandiſque moratur
Vocibus: & vereor, quo ſe Junonia vertant
Hoſpitia; haud tanto ceſſabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis & cingere flamma
Reginam meditor: ne quo ſe numine mutet;

Sed

*exportaverat, cum iret Trojam ad vetitum conjugium, dona miranda Ledæ matris* ejus. *Præterea ſceptrum, quod Ilione primogenita filiarum Priami tulerat quondam, & monile ex unio*nibus ad ornatum *colli, & coronam duplici* ordine *auri & gemmarum. Properans iſta* afferre *Achates dirigebat iter ad naves. At Venus volvit animo novos dolos, nova conſilia:* nempe *ut Cupido, mutata forma & vultu, veniat pro dulci Aſcanio, & inflammet muneribus amantem Reginam, ac immiſceat ignem oſſibus* ejus. *Nam metuit domum dubiam, & Tyrios fallaces; angit eam aſpera Juno, &* hæ *ſollicitudines per noctem redeunt. Igitur alloquitur alatum Amorem his verbis: Fili,* qui es *meum robur, & magna mea vis: Fili, qui ſolus deſpicis fulmina ſupremi Jovis,* quibus vicit *Typhoeum; confugio ad te, & ſupplex imploro tuam poteſtatem. Notum tibi* eſt*, quomodo frater tuus Æneas agitetur mari circa omnia litora, odio Junonis* nobis *infenſæ: & ſæpe condoluiſti mihi dolenti. Hunc Tyria Dido detinet, & retardat dulcibus ſermonibus: & dubito quem habitura ſint* exitum *hæc hoſpitia,* quibus præeſt *Juno: non quieſcet in* hoc *flexu tam commodo* rerum. *Quapropter meditor prius occupare Reginam fraude, & ambire igne: ne mutet ſe* ad *ullius Dei* nutum;

ſed

NOTÆ.

655. *Pergama. Hymenæos.*) Illa pro *Troja* ſumuntur v. 470. Hi pro nuptiis, G. 3. 60.

657. *Ilione.*) Polymneſtoris Thraciæ regis uxor.

659. *Duplicem.*) Quia duplex erat in ea ordo, ſive faſcia; altera aurea, altera gemmea.

661. *Cytherea.*) Venus, v. 160. *Cupido*, Amoris Deus, duplex a quibuſdam fingitur; honeſtus, Jove ac Venere prognatus; turpis, Nocte atque Erebo. Alii non Jovem, ſed Mercurium honeſto patrem aſſignant.

665. *Bilingues.*) Vel alludit ad duplicem linguam, qua utebantur, Phœniciam & Libycam, vel perfidiam notat genti familiarem, proverbio enim fuit, *Punica fides.*

669. *Typhoea.*) Fulmina, quibus Gigantes vicit, imprimiſque Typhoeum, de quo G. 1. 279. Sunt qui ſcribunt *Typhoia*; nec admodum refert: debuit enim dici *Typhoeia*, a Græco τυφώεος: perinde autem potuit ex diphthongo ει vel abjici ι, ut fieret *Typhoea*, vel abjici ε, ut fieret *Typhoia*.

674. *Phœniſſa.*) E Phœnicia oriunda, & Junonis cultui addicta, ſupra v. 450. De *cardine*, qui hic pro flexu rerum ſumitur, ex eo quod janua flectitur & vertitur in cardine, v. 453.

682. *Sidoniam.*) Carthaginem, coloniam Sidoniorum, ac Tyriorum v. 16.

684. *Super alta Cythera, &c.*) Ut Æn. 6. 794. *Super & Garamantas & Indos proferet imperium:* vel eſt *ultra*, vel *in*. *Cythera, orum.*) Inſula mediterranei maris contra Cretam v. 261.

685. *Idalium.*) Vel *Idalia*, oppidum & nemus eſt inſulæ Cypri.

690.



Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem.
Regius, accitu cari genitoris, ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens pelago & flammis reſtantia Trojæ.
Hunc ego ſopitum ſomno, ſuper alta Cythera,
Aut ſuper Idalium, ſacrata ſede recondam;
Ne qua ſcire dolos, mediuſve occurrere poſſit.
Tu faciem illius, noctem non amplius unam,
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Ut, cum te gremio accipiet lætiſſima Dido,
Regales inter menſas laticemque Lyæum,
Cum dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet,
Occultum inſpires ignem, fallaſque veneno.
Paret Amor dictis caræ genitricis, & alas
Exuit, & greſſu gaudens incedit Iuli.
At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aſpirans complectitur umbra.
Jamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Cum venit, aulæis jam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.
Jam pater Æneas & jam Trojana juventus

Con-

*ſed ut mecum proſequatur Æneam amore. Quomodo poſſis id exequi, audi jam conſilium meum. Regius juvenis, quem maxime curo, parat* ſe, *vocatu dilecti patris,* ad *eundum in urbem Carthaginem, portans munera, quæ ſuperſunt e naufragio, & incendio Trojæ. Ego ſuper alta Cythera illum ſopitum ſomno occultabo, vel ſuper Idalium* nemus, *ſacro* in *loco: ne poſſit aliquo modo cognoſcere fraudes* meas, *& medius intervenire. Tu ſimula per fraudem formam illius, & puer aſſume notam faciem pueri, non plus quam una nocte: ut cum Dido læta excipiet te ſinu, inter epulas regias & liquorem Bacchicum, cum amplectetur* te, *& præbebit* tibi *ſuavia oſcula, inſinues ei ſecretam flammam, & decipias* eam *veneno* amoris. *Amor obtemperat mandatis dilectæ matris, & deponit alas, & eundo imitatur inceſſum Aſcanii. Venus autem infundit Aſcanio dulcem ſomnum in membra: & Dea aufert* eum, *compoſitum* in ſuo *ſinu, in altas ſilvas Idaliæ, ubi amaracus ſuaviter halans cingit illum floribus, & grata umbra. Et jam ibat Cupido obediens juſſis Æneæ, & portabat Carthaginenſibus regalia munera, gaudens duce Achate. Quando venit, tum Regina diſcumbit in aurea ſponda,* & *magnificis tapetibus, & media ſedet. Tum pater Æneas, & tum juvenes Trojani*

ſimul

NOTÆ.

690. *Lyæum.*) Bacchum: Bacchus enim *Lyæus* dictus eſt, a λύω *ſolvo*, quod curis animum ſolvat ac liberet. De *Iulo*, ſive *Aſcanio*, v. 271. De *Venere*, v. 260.

697. *Amaracus.*) Herba coronaria, ſuaviſſimi odoris, floſculos emittens perpuſillos, candidos, *majorana.*

701. *Aulæis.*) Velis pretioſiſque tapetibus: vel ſuſpenſis ſuper lectum, vel in lecto ſubſtructis.

702. *Aurea ſponda, &c.*) *Sponda* pars lecti exterior eſt; ſæpe pro toto lecto ſumitur, a σπονδὴ *fœdus*: unde & ſponſis nomen eſt. *Aurea.*) Diſſyllaba voce; quomodo Æn. 7. 190. *Aurea percuſſum virga.*

*Mediamque locavit.*) Uſus ad menſam duplex fuit, vel ſedendi in ſella, vel in lecto diſcumbendi. Sedendi uſus antiquior & ſeverior: Barbari & orientales populi molliores, diſcumbendi morem invexere. Unde Romani primis temporibus ſedere: poſt Aſiam debellatam, auctis opibus ac deliciis, diſcubuere: mulieres tamen adhuc ſedendi morem præ modeſtia retinebant. Auguſti temporibus obſoleſcebat in domibus, & in ſacris tantum Capitolii epulis ſervabatur; ut apud Valerium Max. l. 2. 3. Patet autem ex Livio l. 28. 18. Afros diſcumbere ſolitos, jam inde a Scipionis, & Syphacis temporibus. Unde Virgilius hic ad barbarum alludit morem. *Mediam.*) Vel in lecto, qui erat medius, ut vult Corradus, nec enim decebat in eodem lecto gravem fœminam diſcumbere cum Ænea: & vero circa menſam tres vulgo lecti ſternebantur; unde conclave dicebant *triclinium* a τρεῖς *tres* & κλίνη *lectus*. Vel etiam in eodem lecto, quod dici poteſt apud Barbaros

ros

Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.
Necnon & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris juſſi diſcumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum,
Flagranteſque Dei vultus, ſimulataque verba,
Pallamque & pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix, peſti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Phœniſſa, & puero pariter doniſque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ colloque pependit,
Et magnum falſi implevit genitoris amorem,
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet: inſcia Dido,
Inſideat quantus miſeræ Deus. At memor ille

Ma-

ſimul *accedunt, & diſcumbunt in lectis purpureis. Miniſtri infundunt aquam manibus, & proferunt panem e caniſtris, & geſtant mantilia e raſis velleribus.* Intus ſunt *quinquaginta miniſtræ, quibus cura eſt componere longa ſerie penum, & ſuffire igne* domeſticos *Deos.* Sunt *aliæ centum, & totidem famuli æqualis ætatis, qui imponant menſis cibos, & proferant pocula. Pariter etiam Pœni magno numero congregantur per lætam domum, juſſi recubare in lectis pictis. Mirantur munera Æneæ, mirantur Aſcanium, & vultum ardentem Cupidinis, & ficta* ejus *verba, & pallam, & velamen intextum croceo acantho. Præſertim miſera Dido, deſtinata amori futuro, non poteſt ſatiare animum, & inflammatur ſpectando, & æqualiter capitur* pulchritudine *munerum & pueri. Ille poſtquam hæſit collo &* in *complexu Æneæ, & ſatiavit magnum amorem ficti patris, it ad Reginam. Hæc oculos, hæc totum animum defigit in* puerum, *& aliquando premit* cum *ſinu: ignorans Dido, quantus Deus* ſibi *miſeræ inſideat. Sed ille recordatus* mandatorum

*matris*

## N O T Æ.

ros gravitati non obfuiſſe. Et vero videtur Aſcanius, ſive Cupido, inferiorem ſeu ſiniſtrum in eodem lecto locum occupaſſe, unde facile Didonis gremio incumberet, v. 722. eo quippe amici & amicæ diſcumbebant loco, ut commode jacerent illius in ſinu, qui medium locum obtinebat; & dextra manus ejus ad cibos carpendos libera eſſet. Æneas autem certe dextrum ſive ſuperiorem obtinuit locum, nam l. 2. 2. *toro ſic orſus ab alto.* Quis autem locus dignior haberetur, an *dexter* & ſuperior, an *medius*, dubia eſt ſententia, ſuis utraque rationibus ac teſtimoniis nixa. De *oſtro* conchylio, unde exprimitur purpura, G. 2. 506. De *Cerere*, pro pane, Ecl. 5. 79.

706. *Mantilia.*) Villoſa lintea, tergendis *manibus* comparata, unde habent nomen; differunt a *mappis*, juxta Voſſium in Etym. quod mantilibus etiam ſternerentur menſæ, *mappis* manus tantũ tergerentur, afferrenturque mappæ aliquando cum in uſum a ſingulis convivis: unde Martial. Epig. l. 12. 29. 11. *Attulerat mappam nemo, dum furta timentur: mantile e menſa ſurripit Hermogenes.*

708. *Penum, &c.*) *Penus*, *hujus peni*, vel *hujus penus*, maſculini vel fœminini generis: vel *penus*, *penoris*, neutrius: ſunt res ad victum neceſſariæ, quæ in intima domus parte ſervantur. Hinc eſt *penitus*, & *penetro*, & *Penates*, Dii, qui in intima domus parte colebantur. Cum autem ait Naſcimbænus, *flammis adolere Penates*, eſſe *coquinam facere*, plane errat: patet enim ex Athenæi compluribus locis, convivia rem ſacram apud veteres fuiſſe; nihilque in iis adhiberi frequentius, quam thura, flores, Deorum ſimulacra, libationes. Igitur *flammis adolere Penates*, eſt ſuffitu Penates colere, ut in convivio Nympharum, G. 4. 379. *Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.* De *Penatibus*, Æn. 2. 717.

724. *Acidaliæ.*) Veneris, quæ ſic dicitur ab *Acidalio* fonte, in Orchomeno Bœotiæ civitate, qui Gratiis dicatus eſt: Gratiæ autem Veneris & Liberi filiæ a quibuſdam dicuntur. De *Sichæo*, v. 347.

725. *Prævertere.*) Præoccupare, ne Juno Didoni odium inſpiret in Trojanos.

727. *Menſæque remotæ.*) Menſæ, non tantum ſunt τράπεζαι, ſeu menſæ ipſæ, quæ ferculis onerantur; ſed etiam σῖτα, ſeu cibi & fer-



Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sichæum
Incipit, & vivo tentat prævertere amore
Jampridem reſides animos deſuetaque corda.
Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic Regina gravem gemmis auroque popoſcit,
Implevitque mero pateram; quam Belus, & omnes
A Belo ſoliti. Tum facta ſilentia tectis:
Jupiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriiſque diem Trojaque profectis
Eſſe velis, noſtroſque hujus meminiſſe minores.
Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno:
Et vos o cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, & in menſa laticum libavit honorem,
Primaque libato ſummo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro:
Poſt alii proceres. Cithara crinitus Iopas

Per-

*matris* ſuæ *Veneris incipit delere paullatim* memoriam *Sichæi, & conatur præoccupare vehementi amore mentem jamdudum otioſam, & corda deſueta* amandi. *Poſtquam ceſſatum eſt a primis epulis, & ſublati* ſunt *cibi, ponunt magna pocula, & coronant vinum. Fit ſonus per domum, & vox volvitur per ſpatioſa atria: lucernæ accenſæ pendent e laquearibus auratis, & faces luce pellunt tenebras. Tunc Regina petiit pateram auro & gemmis gravem, & replevit* eam *vino, quam Belus, & omnes Beli poſteri* ſolebant replere. *Tunc ſilentium factum* eſt tota *domo: Jupiter,* inquit Dido, (*nam ajunt te auctorem eſſe legum hoſpitalium*) *fac ut hic dies ſit felix Carthaginenſibus, & advenis Trojanis: & ut poſteri noſtri hujus recordentur. Adſit Bacchus auctor lætitiæ, & propitia Juno. Et vos, o Carthaginenſes, adeſte faventes huic convivio.* Sic *ait, & ſtillavit in menſam* vinum, *honorem liquorum; & eo ſtillato, prima deguſtavit* reliquum *ſummis tantummodo labris: deinde dedit Bitiæ hortans* eum: *ille alacer ebibit pateram ſpumantem, & conſperſit ſe* vino *aureæ* pateræ *plenæ: poſtea alii proceres. Iopas comatus*

*ludit*

## N O T Æ.

& fercula, quæ imponuntur menſis: quod diſerte ſcribit Pollux, & innuunt auctores Latini, apud quos frequens eſt diviſio convivii in *primas* ac *ſecundas menſas*; at menſæ non mutabantur; itaque prima & ſecunda fercula intellige, quorum prima graviorum erant ciborum; ſecunda pomorum, compotationum, libationum: utraque diſtinguebantur ſaltationibus, cantu, ludis, dum convivæ abedendo quieſcerent: & hæc eſt *prima quies*, cui reſpondet, *ſecundæ quietis* loco, finis epularum poſt ſecundas menſas. De *crateribus*, poculis vinariis, Ecl. 5. 68. De *coronatione vini* G. 2. 528.

730. *Lychni laquearibus.*) λύχνοι, *lucernæ*: Græcam vocem Latinæ prrepoſuit, quia minus humilem. *Laquear.*) Sive *lacunar*, eſt interſtitium trabium ac tignorum, in conclavium tectis, diciturque a *lacu* quia cavum eſt, *lacus* autem ſignificat proprie cavum quodlibet aquarum receptaculum, ſed transfertur ad alia multa ob figuræ ſimilitudinem.

731. *Funalia.*) Funes cera obliti.

733. *Belus & omnes a Belo, &c.*) Belus iſte, non Didonis pater eſt, de quo prius v. 625. de hoc enim dici non poſſet *omnes a Belo*, id eſt, *omnes Beli poſteri*, ſiquidem inter hunc & Didonem nullus occurrit medius. Igitur de belo antiquiore intellige, qui numeratur inter Didonis majores: vide argumentum lib. 4.

735. *Jupiter, hoſpitibus.*) Magna fuit in veneratione *Jupiter hoſpitalis*, Græcis Ξένιος.

740. *Libavit.*) Stillavit: a λείβω *ſtillo*. Ritus hic fuit ſacrificiorum: ſacerdos vinum e vaſculo deguſtabat, dabatque deinde deguſtandum cæteris; tum illud, vel in victimæ cornua; vel ſi ſacra ſolo thure abſque victima fierent, in ignem aræ impoſitum; vel, ſi abſque igne, ut in conviviis, in menſam invergebat. Unde *libo* primo ſignificat *ſtillo*; deinde quia in libatione vinum deguſtabatur, ſignificat etiam *Oſcula deguſto ac leviter tango*, ut ſupra v. 260. *oſcula libavit natæ*: Georg. 4. 54. *Flumina libant ſumma leves.* Denique generatim ſumitur pro *ſacrificio* quia nullum ſacrificium erat ſine libatione.

 745. *Atlas*

Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores:
Unde hominum genus, & pecudes: unde imber, & ignes:
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Ingeminant plauſum Tyrii, Troeſque ſequuntur.
Nec non & vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ veniſſet filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, & a prima, dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaum, caſuſque tuorum,
Erroreſque tuos: nam te jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.

*ludit cithara, ea quæ maximus Atlas docuit. Canit ille errores Lunæ, & defectus Solis: unde oriatur genus hominum, & pecudes; unde pluvia & fulmina:* canit *Arcturum, & Hyadas imbriferas, & duos Triones; cur Sol hyemalis ita properet ſe lavare* aquis *Oceani, vel quæ mora retardet lentas noctes* æſtatis. *Carthaginenſes dant plauſum, & Trojani* eos *imitantur. Miſera etiam Dido traducebat noctem variis,* cum Ænea *colloquiis, & ſenſim hauriebat amorem: quærens multa de Priamo, multa de Hectore: modo, quibus armis instructus filius Auroræ veniſſet* Trojam: *modo quales* eſſent *equi Diomedis: modo, quantus* eſſet *Achilles. Age potius, o hoſpes, inquit, & narra nobis dolos Græcorum a prima origine, ruinamque* civium *tuorum, & tuos errores: nam æſtas jam ſeptima te circumfert errantem omnibus terris & maribus.*

NOTÆ.

745. *Atlas.*) Bene Pœnus ea narrat, quæ docuit Atlas Afer, rex Mauritaniæ, qui cum eſſet aſtrologiæ peritiſſimus, cœlum humeris ſuſtinuiſſe dicitur; & in montem cognominem mutatus, objectu Gorgonei capitis, a Perſeo Jovis filio, quem excipere hoſpitio noluerat.

748. *Arcturum, &c.*) Stellam procelloſam, in ſigno Bootæ, prope caudam urſæ majoris; unde nomen habet ab ἄρκτος *urſa*, & οὐρά *cauda*, G. 1. 68. *Hyadas*) ſtellas ſeptem in fronte tauri, quibus nomen eſt ab ὕω *pluo*, G. 1. 138. *Geminos Triones.*) Urſas duas, ſigna Borealia, quæ a ruſticis *plauſtrum majus*, ac *plauſtrum minus*, olim dicta ſunt: quia in majore ſeptem ſtellæ ita diſpoſitæ ſunt, ut boves aratro ſubligatos referant: boves autem *triones* antiquis dicti ſunt: quod arando, vel terram terant, juxta Varronem, quaſi *teriones*: vel ſtrias in terra excavent, juxta Scaligerum, quaſi *ſtriones*. In minore vero ſtellæ item aliquot, licet multo minores, eumdem fere ſitum imitantur.

749. *Se tingere Soles.*) Ex vulgi mente, cui ſidera in Oceanum decumbere & lavari dicebantur. Senſus eſt; cur dies hyberni tam ſint breves; & quæ mora ſic obſtet noctibus æſtivis, ut ſero ac lente veniat: verſus ii huc tranſlati ſunt e G. 2. 481. 482. *Soles*, dies, vel Sol ipſe.

754. *Priamo, &c.*) Trojano Rege, de quo paſſim lib. 2. De *Hectore* ejus filio, & *Achille*, ſupra v. 103. De *Auroræ filio Memnone*, v. 493. De *Diomede*, Tydei filio, v. 101. De *equis*, quos Rheſo Diomedes abduxit, v. 476.

760. *Septima æſtas.*) Hinc probat Segreſius æſtate Æneam ad Africæ litus appulſum eſſe. Nec refert quod lib. 5. v. 626. ſub ipſum ſequentis veris initium, dicat etiam Beroe: *Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas*. Illic enim addit *vertitur*, id eſt, tranſacta eſt, & in aliam æſtatem vertitur & deflectit, nempe in octavam.





# P. VIRGILII MARONIS
# ÆNEIDOS
## LIBER II.

### ARGUMENTUM.

*NARRAT Didoni Æneas Trojani excidii ſeriem; ea eſt ejuſmodi. Græci decennali bello pene fracti, dolo capere urbem conſtituunt: fugam ſimulant; circa Tenedum inſulam latent; equum relinquunt in caſtris, fœtum intus militibus. Quo per fraudem Sinonis, cui fidem mors Laocoontis faciebat, in urbem inducto, noctu reſerato ejus utero Græci erumpunt: admiſſoque exercitu, Trojam ferro & igne populantur. Admonetur in ſomnis Æneas ab Hectore, ut fuga ſibi conſulat. Æneas mortem fugæ præferens, coacta manu, Græcos aliquot cædit; ſumptiſque eorum armis, ſuorum telis fere obruitur. At vaſtata regia, Priamo Pyrrhi manu interfecto, Æneas domum revertitur, Anchiſæ patri ſacra Penateſque committit, ſuis eum imponit humeris, & cum Aſcanio filio, Creuſaque uxore, fugam arripit. Mox amiſſa inter eundum Creuſa, iter ad eam quærendam relegit: occurrit mortuæ uxoris umbra, monetque ſe a Cybele in Phrygia detineri. Redit ille in montem Idam, & cum ſociis mari fugam parat.*

CONticuere omnes, intentique ora tenebant.
Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem:
Trojanas ut opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai, quæque ipſe miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyſſei

Tem-

INTERPRETATIO.

*Omnes ſiluerunt, & attenti comprimebant vocem. Tum pater Æneas ſic incepit e ſuperiori* parte *lecti: Jubes me, o Regina, renovare dolorem infandum*, narrando *quomodo Græci everterint potentiam Trojanam, & regnum deplorandum: &* quæcumque *vidi ipſe* digna *miſeratione, & quibus magna ex parte interfui. Quis Myrmidonum, aut Dolopum, aut* quis *miles duri Ulyſſis hæc commemorando*

*abſti-*

NOTÆ.

2. *Ab alto.*) Quia Æneas ſedebat in altiore, id eſt, dextera parte lecti, Aſcanius in inferiore, ſeu ſiniſtra, Dido in media. Æn. 1. 702.

5. *Danai.*) Græci, Æn. 1. 34.

7. *Myrmidonum, &c.*) Milites Achillis fuerunt, ex Ægina inſula ſinus Saronici, inter Peloponneſum & Atticam: ſic dicti a μύρμηξ *formica*: quod, ut ait Strabo, propter ſoli ſterilitatem, formicarum in morem terram fodientes, ſemen in ſaxa conjicerent, itemque laterum coctorum penuria in foſſis habitarent. Fabulæ tamen ex eo derivant nomen, quod Æacus Achillis avus, Æginæ rex, cum regnum videret peſte vaſtatum, precibus a Jove impetravit, ut formicæ, quas ingenti numero reptantes videbat, novos in incolas mutarentur. Aliqui ſic fabulam explicant, ut putent Æginam inſulam frequentiorem ab ipſo redditam, deductis ex Theſſalia coloniis; teſtatur enim Velleius initio hiſtoriæ, *Theſſaliam* prius vocatam eſſe *Myrmidonum civitatem*, ac non niſi poſt Trojana tempora *Theſſaliam*. Igitur Achillis *Myrmidones*, vel erunt *Æginetæ*, vel potius *Theſſali*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL D

Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores:
Unde hominum genus, & pecudes: unde imber, & ignes:
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Ingeminant plauſum Tyrii, Troeſque ſequuntur.
Nec non & vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ veniſſet filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, & a prima, dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaum, caſuſque tuorum,
Erroreſque tuos: nam te jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.

*ludit cithara, ea quæ maximus Atlas docuit. Canit ille errores Lunæ, & defectus Solis: unde oriatur genus hominum, & pecudes; unde pluvia & fulmina:* canit *Arcturum, & Hyadas imbriferas, & duos Triones; cur Sol hyemalis ita properet ſe lavare* aquis *Oceani, vel quæ mora retardet lentas noctes* æſtatis. *Carthaginenſes dant plauſum, &* Trojani eos *imitantur. Miſera etiam Dido traducebat noctem variis,* cum Ænea *colloquiis, & ſenſim hauriebat amorem: quærens multa de Priamo, multa de Hectore: modo, quibus armis inſtructus filius Auroræ veniſſet* Trojam: *modo quales* eſſent *equi Diomedis: modo, quantus* eſſet *Achilles. Age potius, o hoſpes, inquit, & narra nobis dolos Græcorum a prima origine, ruinamque* civium *tuorum, & tuos errores: nam æſtas jam ſeptima te circumfert errantem omnibus terris & maribus.*

## NOTÆ.

745. *Atlas.*) Bene Pœnus ea narrat, quæ docuit Atlas Afer, rex Mauritaniæ, qui cum eſſet aſtrologiæ peritiſſimus, cœlum humeris ſuſtinuiſſe dicitur; & in montem cognominem mutatus, objectu Gorgonei capitis, a Perſeo Jovis filio, quem excipere hoſpitio noluerat.

748. *Arcturum, &c.*) Stellam procelloſam, in ſigno Bootæ, prope caudam urſæ majoris; unde nomen habet ab *ἄρκτος urſa*, & *οὐρὰ cauda*, G. 1. 68. *Hyadas*) ſtellas ſeptem in fronte tauri, quibus nomen eſt ab *ὕω pluo*, G. 1. 138. *Gemines Triones.*) Urſas duas, ſigna Borealia, quæ a ruſticis *plauſtrum majus*, ac *plauſtrum minus*, olim dicta ſunt: quia in majore ſeptem ſtellæ ita diſpoſitæ ſunt, ut boves aratro ſubligatos referant: boves autem *triones* antiquis dicti ſunt: quod arando, vel terram terant, juxta Varronem, quaſi *teriones*: vel ſtrias in terra excavent, juxta Scaligerum, quaſi *ſtriones*. In minore vero ſtellæ item aliquot, licet multo minores, eumdem fere ſitum imitantur.

749. *Se tingere Soles.*) Ex vulgi mente, cui ſidera in Oceanum decumbere & lavari dicebantur. Senſus eſt; cur dies hyberni tam ſint breves; & quæ mora ſic obſtet noctibus æſtivis, ut ſero ac lente veniat: verſus ii huc tranſlati ſunt e G. 2. 481. 482. *Soles*, dies, vel Sol ipſe.

754. *Priamo, &c.*) Trojano Rege, de quo paſſim lib. 2. De *Hectore* ejus filio, & *Achille*, ſupra v. 103. De *Auroræ filio Memnone*, v. 493. De *Diomede*, Tydei filio, v. 101. De *equis*, quos Rheſo Diomedes abduxit, v. 476.

760. *Septima æſtas.*) Hinc probat Segreſius æſtate Æneam ad Africæ litus appulſum eſſe. Neç refert quod lib. 5. v. 626. ſub ipſum ſequentis veris initium, dicat etiam Beroe: *Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas*. Illic enim addit *vertitur*, id eſt, tranſacta eſt, & in aliam æſtatem vertitur & deflectit, nempe in octavam.

P. VIR-



# P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER II.

## ARGUMENTUM.

*NARRAT Didoni Æneas Trojani excidii ſeriem; ea eſt ejuſmodi. Græci decennali bello pene fracti, dolo capere urbem conſtituunt: fugam ſimulant; circa Tenedum inſulam latent; equum relinquunt in caſtris, fœtum intus militibus. Quo per fraudem Sinonis, cui fidem mors Laocoontis faciebat, in urbem inducto, noctu reſerato ejus utero Græci erumpunt: admiſſoque exercitu, Trojam ferro & igne populantur. Admonetur in ſomnis Æneas ab Hectore, ut fuga ſibi conſulat. Æneas mortem fugæ præferens, coacta manu, Græcos aliquot cædit; ſumptiſque eorum armis, ſuorum telis fere obruitur. At vaſtata regia, Priamo Pyrrhi manu interfecto, Æneas domum revertitur, Anchiſæ patri ſacra Penateſque committit, ſuis eum imponit humeris, & cum Aſcanio filio, Creuſaque uxore, fugam arripit. Mox amiſſa inter eundum Creuſa, iter ad eam quærendam relegit: occurrit mortuæ uxoris umbra, monetque ſe a Cybele in Phrygia detineri. Redit ille in montem Idam, & cum ſociis mari fugam parat.*

CONticuere omnes, intentique ora tenebant.
Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem:
Trojanas ut opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai, quæque ipſe miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyſſei

Tem-

## INTERPRETATIO.

*Omnes ſiluerunt, & attenti comprimebant vocem. Tum pater Æneas ſic incepit e ſuperiori* parte *lecti: Jubes me, o Regina, renovare dolorem infandum,* narrando *quomodo Græci everterint potentiam Trojanam, & regnum deplorandum: &* *quæcumque vidi ipſe* digna *miſeratione, & quibus magna ex parte interfui. Quis Myrmidonum, aut Dolopum, aut* quis *miles duri Ulyſſis hæc commemorando*

abſti-

## NOTÆ.

2. *Ab alto.*) Quia Æneas ſedebat in altiore, id eſt, dextera parte lecti, Aſcanius in inferiore, ſeu ſiniſtra, Dido in media. Æn. 1. 702.

5. *Danai.*) Græci, Æn. 1. 24.

7. *Myrmidonum, &c.*) Milites Achillis fuerunt, ex Ægina inſula ſinus Saronici, inter Peloponneſum & Atticam: ſic dicti a *μύρμηξ formica*: quod, ut ait Strabo, propter ſoli ſterilitatem, formicarum in morem terram fodientes, ſemen in ſaxa conjicerent, itemque laterum coctorum penuria in foſſis habitarent. Fabulæ tamen ex eo derivant nomen, quod Æacus Achillis avus, Æginæ rex, cum regnum videret peſte vaſtatum, precibus a Iove impetravit, ut formicæ, quas ingenti numero reptantes videbat, novos in incolas mutarentur. Aliqui ſic fabulam explicant, ut putent Æginam inſulam frequentiorem ab ipſo redditam, deductis ex Theſſalia coloniis; teſtatur enim Vellejus initio hiſtoriæ, *Theſſaliam* prius vocatam eſſe *Myrmidonum civitatem*, ac non niſi poſt Trojana tempora *Theſſaliam*. Igitur Achillis *Myrmidones*, vel erunt *Æginetæ*, vel potius *Theſſali*.

 *Dolo-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Temperet a lacrymis? & jam nox humida cœlo
Præcipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.
Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breviter Trojæ ſupremum audire laborem:
Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit?
Incipiam. Fracti bello, fatiſque repulſi
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Inſtar montis equum, divina Palladis arte
Ædificant, ſectaque intexunt abiete coſtas.
Votum pro reditu ſimulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virum ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penituſque cavernas
Ingentes, uterumque armato milite complent.
Eſt in conſpectu Tenedos, notiſſima fama
Inſula, dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis.
Huc ſe provecti deſerto in litore condunt.
Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.
Ergo omnis longo ſolvit ſe Teucria luctu:
Panduntur portæ; juvat ire, & Dorica caſtra,
Deſertoſque videre locos, lituſque relictum.
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles:
Claſſibus hic locus: hic acies certare ſolebant.

Pars

*abſtineat a fletu? Et jam nox humida e cœlo præceps abit, & aſtra decedentia invitant ad ſomnum. Sed ſi tanta* tibi eſt *cupiditas cognoſcendi caſus noſtros, & breviter audiendi ultimam Trojæ ruinam, quamvis* mea *mens abhorreat, &* præ *dolore recuſet recordari*, tamen *incipiam. Duces Græcorum, afflicti bello, & fatis repulſi* ab expugnatione urbis, *tot annis jam elapſis, faciunt equum in modum montis, divino conſilio Minervæ, & ſtruunt coſtas ex abiete ſciſſa. Fingunt eſſe votum pro reditu: ſpargitur is rumor. Ad* eam rem *ſortiti electa corpora militum*, ea *clam occultant in obſcuris lateribus* equi, *& magnas cavernas atque uterum profunde implent armatis militibus. Eſt in propinquo Tenedos inſula, fama notiſſima, abundans opibus, dum regnum Priami ſtabat: nunc ſolum* eſt *ſinus & ſtatio parum tuta navibus. Illuc elapſi occultant ſe deſerto in litore: nos putavimus* eos *diſceſſiſſe, & ventis* propitiis *repetiiſſe Mycenas. Itaque Troja omnis liberat ſe diuturno angore: portæ aperiuntur: dulce eſt exire, & aſpicere caſtra Græca, & vacua ſpatia, & litus derelictum. Hic turmæ Dolopum, hic crudelis Achilles habebat tentoria: hæc* erat *ſtatio navium: hic exercitus ſolebant pugnare.*

*Pars*

N O T Æ.

*Dolopum.*) Eos quidam Theſſaliæ, Plinius Ætoliæ, Ptolemæus Epiro annumerat. Addit Strabo, præpoſitum iis fuiſſe a Peleo Achillis patre Phœnicem, qui cum Chirone centauro Achillis educationi præfuerat, eumque ad Trojam ſecutus eſt. Igitur Dolopes vel Phœnicis milites erant, vel Achillis, vel, ut alii volunt, Pyrrhi Achillis filii.

*Ulyſſei.* Ithacæ & Cephaleniæ inſularum in Ionio mari, regis; cujus dolis Trojana expeditio præcipue promota eſt: de illo paſſim hoc & aliis libris. *Ulyſſei*, pro *Ulyſſis*, Genitivus, de quo Æn. 1. 224.

8. *Cœlo præcipitat.*) Nox abit, fugit e cœlo.

9. *Suadentque cadentia ſidera ſomnos.*) Decedentia, die proxime imminente: quam interpretationem probavimus Æn. 4. 81.

15. *Inſtar montis equum, &c.*) De voce, *inſtar*, Æn. 6. 865. Equi fabricator fuit *Epeus*; materiam advexit *Ajax Oilei*. Equus autem ille non reipſa equus fuit: ſed, vel machina, cujuſmodi eſt aries, qua muri ſubruti ſint; vel pictura in ea urbis porta, quam Græcis prodidiſſe Antenor dicitur, vel ſignum Græcis datum, ut in pugna ſuos ab hoſtibus dignoſcerent: vel equeſtrem notat pugnam, qua Græci Trojanos vicerint; vel montem *Hippium*, poſt quem latentes Græci urbem oppreſſerint: *ἵππος* enim eſt *equus*; & ideo quibuſdam videtur dixiſſe Virgilius: *Inſtar montis equum*.

16. *Abiete, &c.*) *Abiete*: pro quovis ligno.

17. *Votum pro reditu.*) Ad obtinendum felicem reditum: & Accius in Deiphobo ſic inſcriptum ait equum fuiſſe. *Minervæ donum armipotenti Danai abeuntes dicant.*

21. Te-



Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primuſque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari;
Sive dolo, ſeu jam Trojæ ſic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior ſententia menti,
Aut pelago Danaum inſidias ſuſpectaque dona
Præcipitare jubent, ſubjectiſque urere flammis,
Aut terebrare cavas uteri & tentare latebras.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce,
Et procul: O miſeri, quæ tanta inſania, cives?
Creditis avectos hoſtes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? ſic notus Ulyſſes?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos, venturaque deſuper urbi;
Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri.
Quicquid id eſt, timeo Danaos & dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus haſtam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorſit: ſtetit illa tremens, uteroque recuſſo
Inſonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.

Et,

*Pars ſtupet munus pernicioſum* oblatum *innuptæ Palladi, & admiratur magnitudinem equi; & primus Thymœtes ſuadet* ut *admittatur intra muros, & ſtatuatur in arce: ſeu per fraudem, ſeu jam fata Trojæ ita volebant. At Capys, & quorum animo prudentior* inerat *ſenſus, aut ſuadent*, ut *abjiciant dolos Græcorum & munera ſuſpecta, comburantque ſuppoſitis ignibus: aut* ut *fodiant & explorent cavas latebras alvi. Plebs ambigua diſtrahitur in oppoſita conſilia. Tunc prior coram omnibus Laocoon, magna turba ſequente, decurrit celer e ſumma arce, & procul* clamat: *O miſeri cives! quæ tanta* eſt *ſtultitia? An putatis hoſtes eſſe profectos? aut exiſtimatis ulla Græcorum munera carere fraudibus? Sic Ulyſſes cognitus* eſt *vobis? Aut Græci latent clauſi hoc ligno, aut hæc machina ſtructa eſt contra noſtra mœnia, ad explorandum domos, & ex alto irruendum urbi; aut alius aliquis dolus latet: Trojani, ne fidite* huic *equo. Quodcumque iſtud eſt, metuo Græcos, etiam dum munera dant. Cum hæc dixiſſet, immiſit totis viribus magnam haſtam in latus, & in uterum equi curvatum juncturis: hæſit illa tremens, & repercuſſo utero cava ſpatia ſonuerunt, & emiſerunt gemitum.*

Et,

N O T Æ.

21. *Tenedos.*) Inſula Helleſponti, contra Sigeum Troadis promontorium.

25. *Mycenas.*) Urbem regiam Agamemnonis in Peloponneſo, de qua Æn. 1. 288.

26. *Teucria.*) Troja, a *Teucro* rege, *Dardani* ſocero, Æn. 1. 239.

27. *Dorica.*) *Doris*, Græciæ regio, inter Theſſaliam, Ætoliam, & Phocidem; ad Parnaſſum & Œtam montes. Pro tota Græcia hic ſumitur.

29. *Tendebat.*) Tendebat tentoria: vox Tacito & Suetonio familiaris. Suet. in Galba 12. *Germanorum cohortem remiſit in patriam, quaſi Cn. Dolabellæ, cujus juxta hortos tendebat, pronfiorem.* De *Achille*, Æn. 1. 103.

31. *Innuptæ Minervæ.*) *Pallas* item dicta eſt. Vulcani nuptias reſpuit, & virginitatem ſervavit. Nomen, vel a *minari*, quod armata pingatur: vel a *memini*, quod memoriæ Dea dicatur; vel potius ab antiquo *menervo*, id eſt *moneo*, quod homines bene moneat, utpote Dea ſapientiæ atque artium.

34. *Sive dolo.*) Habuit enim Thymœtes aliquam prodendi Priami quaſi juſtam cauſam. Narrat enim ſcholiaſtes Lycophronis, *Cillam*, Hecubæ ſororem, Thymœtæ uxorem, amatam a Priamo; ac deinde cum filio Munippo, quem furtim ex eo ſuſceperat, ab eo fuiſſe occiſam. De *Danais*, Græcis, Æn. 1. 34.

41. *Laocoon.*) Juxta aliquos, Anchiſæ frater fuit: juxta alios, Priami filius, ſacerdos Apollinis: cætera infra v. 201. 229. De *Achivis*, Græcis, Æn. 1. 192.

47. *Inſpectura domos, venturaque, &c.*) Cum enim altior eſſet muris & domibus, ſuſpicabatur Laocoon eſſe aut ſpeculam, aut machinam fœtam ignibus, qui deinde in ſubjectam urbem irruerent.

51. *Feri.*) Equi: ſic Æn. 7. 489. de cervo: *Pectebatque ferum.*

54. Le-

Et, ſi fata Deum, ſi mens non læva fuiſſet,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:
Trojaque nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.
Ecce manus juvenem interea poſt terga revinctum
Paſtores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui ſe ignotum venientibus ultro,
Hoc ipſum ut ſtrueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.
Undique viſendi ſtudio Trojana juventus
Circumfuſa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno
Diſce omnes.
Namque, ut conſpectu in medio turbatus, inermis
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos uſquam locus; inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.
Quo gemitu converſi animi, compreſſus & omnis
Impetus: hortamur fari, quo ſanguine cretus,
Quidve ferat, memoret, quæ ſit fiducia capto.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:

Cuncta

*Et, ſi fata Deorum, ſi mens non fuiſſet ſiniſtra*, Laocoon *perſuaſiſſet, ut violaremus armis Græcas latebras; & nunc ſtares, o Troja; & maneres, o arx alta Priami. Ecce interim paſtores Trojani magno clamore ad Regem trahebant juvenem ligatum manibus poſt terga: qui ſponte ſe ignotum tradiderat venientibus, ut illud ipſum firmaret*, ac deinde *panderet Trojam Græcis, confidens animo, & paratus ad utrumque, ſeu ad faciendam fraudem, ſeu ad mortem certo ſubeundam. Undique Trojana juventus cupiditate videndi circumfuſa accurrit, & inſultat certatim captivo. Audi jam dolos Græcorum, & ab una* eorum *fraude cognoſce omnes* Græcos. *Scilicet ut ſtetit in medio conſpectu, ſtupefactus, ſine armis, & circumſpexit oculis Trojanas turmas: Heu, inquit, quæ jam terra, quæ maria poſſunt me excipere: aut quid miſero mihi demum ſupereſt? Cui neque locus uſquam eſt apud Græcos: præterea ipſi Trojani inimici pœnas cum ſanguine repetunt. Quo gemitu mutati* ſunt *animi, & vis omnis cohibita* eſt: *hortamur* ut *loquatur, & narret, qua ſtirpe natus* ſit, *quid nuntiet, quæ fides* adhibenda *ſit* ipſi *captivo. Ille compreſſo denique metu ſic loquitur:*

Ego

## NOTÆ.

54. *Læva.*) *Fata* ſignificat *contraria*, ut G. 4. 7. *Numina læva*: *mentem* vero *imprudentem*, ut Ecl. 1. 16. *Si mens non læva fuiſſet*. Ubi de ambigua vocis hujus poteſtate fuſe agitur.

55. *Argolicas fœdare.*) *Argolicas*, Græcas ab *Argis*, urbe Peloponneſi, de qua Æn. 1. 289. *Fœdare.*) Lacerare, vulnerare: Æn. 3. 241. *Obſcœnas ferro fœdare volucres.*

59. *Dardanidæ.*) Trojani a rege Dardano, Teucri genero, Æn. 1. 239. De *Achivis*, Græcis, Æn. 1. 492.

68. *Phrygia.*) Trojana, quia Troas in Phrygia minore fuit, Æn. 1. 385.

78. *Argolica.*) De *Argis*, urbe Peloponneſi, Æn. 1. 289.

81. *Fando aliquid.*) Gerundia modo paſſive ſignificant; ut hic, *fando*, id eſt, *dum aliquid dicitur*: modo active, ut ſupra v. 6. *Quis talia fando*, id eſt, *dum dicit talia*. Ita Servius.

82. *Belidæ Palamedis.*) Fuit Palamedes Nauplii filius, regis Eubœæ inſulæ, in Ægæo mari: per Amymonen, Danai filiam, ortum duxit a Belo Priſco, rege illius Africæ partis, quæ deinde Ægyptus vocata eſt. Is Palamedes infeſtum habuit Ulyſſem duabus maxime de cauſis. I. Nolebat Ulyſſes ad bellum Trojanum proficiſci cum cæteris Græcis; ideoque inſaniam ſimulans, junctis ad aratrum animalibus diverſæ naturæ, ſerebat ſalem. Filium ejus Telemachum aratro Palamedes ſuppoſuit; quo viſo Ulyſſes aratrum ſuſpendit, atque ita minime ſtultus eſſe judicatus eſt. II. Ulyſſes ad bellum profectus, & in Thraciam deinde miſſus ad frumenta convehenda, cum nihil retuliſſet, increpitus eſt a Palamede, qui illuc ipſe miſſus magnam frumenti vim advexit. Subtiliſſimo ingenio fuit Palamedes, & in otio caſtrorum reperit multa, literas

ras



Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque, fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum, nec, ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquid, ſi forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria: quem falſa ſub proditione Pelaſgi
Inſontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demiſere neci: nunc caſſum lumine lugent:
Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.
Dum ſtabat regno incolumis, regnumque vigebat
Conſiliis; & nos aliquod nomenque decuſque
Geſſimus. Invidia poſtquam pellacis Ulyſſei
( Haud ignota loquor ) ſuperis conceſſit ab oris,
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et caſum inſontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens, & me, fors ſi qua tuliſſet,
Si patrios umquam remeaſſem victor ad Argos,
Promiſi ultorem, & verbis odia aſpera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc ſemper Ulyſſes
Criminibus terrere novis: hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conſcius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante miniſtro . . .

Sed

*Ego quidem, o Rex, vera, inquit, tibi aperiam omnia, quæcunque fuerint; neque negabo me eſſe e genere Græco; hoc primum; nec adverſa fortuna, etſi miſerum fecerit Sinonem, faciet etiam fallacem & mendacem. Si forte inter loquendum de aliqua re, venit ad aures tuas nomen Palamedis Belidæ, &* per *famam nobilis gloria; quem Græci ſub falſo* prætextu *proditionis innocentem morti addixerunt per crudelem calumniam, quia diſſuadebat bellum, nunc deſlent privatum luce: pater* meus *pauper miſit me, illi* Palamedi *comitem & ſanguine cognatum, huc ad bellum, a prima adoleſcentia. Dum ſalvus ſtetit in regno, & regnum floruit* ejus *conſiliis; ego quoque aliquid famæ & honoris obtinui. Poſtquam invidia fallacis Ulyſſis ( non ignota dico ) abiit* ex hoc *mundo ſuperiore, triſtis ducebam vitam in dolore ac tenebris, & clam indignabar ob mortem innocentis amici. Nec ſilui inſanus: & ſi me fortuna aliqua reduxiſſet, ſi aliquando rediiſſem victor ad patriam* meam *Argos, promiſi* me fore *ultorem, & querelis concitavi acerbum odium* Ulyſſis in me. *Hæc mihi* fuit *prima origo calamitatis: inde ſemper Ulyſſes* cœpit me *terrere novis criminationibus: inde emittere in plebem ſermones dubios* de me, & apud ſe *reus quærere ea* unde mihi noceret. *Neque vero ceſſavit, donec Calchante adminiſtro . . .*

At

## NOTÆ.

ras quatuor θ, ξ, φ, χ, ludos complures, multa de ponderibus.

83. *Falſa ſub proditione Pelaſgi, &c.*) Sub ſpecie proditionis. Ulyſſes enim aurum in Palamedis tentorio clam defodit: tum epiſtolam fingit Priami ad Palamedem, qua gratiæ ei agebantur pro proditione, & aurum muneris loco fuiſſe datum indicabatur: quod cum Græci in ejus tentorio repeiiſſent, inſontem lapidibus obruerunt. Rem Dictys aliter narrat. *Pelaſgi*, Græci, proprie Theſſali, Æn. 1. 628.

84. *Indicio.*) Relatione Ulyſſis, & auri indicatione. *Quia bella vetabat.*) Hoc mentitur Sinon in gratiam Trojanorum, ut fidem ſibi apud eos faciat.

86. *Conſanguinitate propinquum.*) Et hoc mentitur Sinon: non enim Palamedi ſanguine junctus fuit, ſed Ulyſſi, ex eadem *Autolyci* & *Siſyphi* ſtirpe.

88. *Regno incolumis, &c.*) Vel intelligit regnum Eubœæ, quod obtinebat Nauplius Palamedis pater; vel potius commune imperium & concilium Græciæ totius ad bellum Trojanum conſociatæ.

99. *Quærere conſcius arma.*) *Conſcius*: id eſt, *ſciens ſe reum cæciſi Palamedis, atque adeo ſe verbis, & querelis meis unum peti. Arma.*) Sunt cum habet rei faciendæ inſtrumenta & auxilia, hic, *inſidiæ, fraudes, nocendi occaſio.*

100. *Calchante.*) Calchas, Græcorum augur: cujus abſque conſilio & divinatione nihil Trojano bello geſtum eſt. De *Achivis*, Græcis, Æn. 1. 492.

104. *Ilia-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
Quidve moror? ſi omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire ſat eſt jamdudum; ſumite pœnas:
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus ſcitari, & quærere cauſſas,
Ignari ſcelerum tantorum artiſque Pelaſgæ.
Proſequitur pavitans, & ficto pectore fatur:
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo feſſi diſcedere bello.
Feciſſentque utinam! Sæpe illos aſpera ponti
Interclusit hyems, & terruit Auſter euntes.
Præcipue, cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto ſonuerunt æthere nimbi.
Suſpenſi Eurypylum ſcitatum oracula Phœbi
Mittimus, iſque adytis hæc triſtia dicta reportat:
Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. Vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor; cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ ſint ea numina Divum,
Flagitat: & mihi jam multi crudele canebant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos ſilet ille dies, tectuſque recuſat
Pro-

*At vero cur ego hæc fruſtra renarro* vobis *ingrata? aut cur moror? ſi eodem modo tractatis omnes Græcos, & ſi jamdudum ſatis eſt hoc audire; ſumite ſupplicium* de me: *hoc optaverit Ulyſſes, & Atridæ magno* pretio *emerint. Tunc autem cupimus interrogare, & petere cauſas, inſcii tantorum criminum & fraudis Græcæ. Pergit timens, & mendaci animo ait: Sæpe Græci optaverunt fugam petere Troja relicta, & abire, fatigati diuturno bello. Et utinam id feciſſent! Sæpe adverſa tempeſtas maris eos detinuit, & Auſter terruit abeuntes. Præſertim cum jam ſtaret hoc loco equus extructus e lignis acernis, nubes tonuerunt toto aere. Incerti* ad *conſulendum oraculum Apollinis Eurypylum mittimus, & ille refert ex* ejus *penetralibus hæc triſtia verba: O Græci, cum primo veniſtis ad litus Trojanum, propitiaſtis ventos ſanguine, & immolata virgine: reditus impetrandus* eſt *ſanguine, & ſacrificandum eſt anima Græca. Quæ vox poſtquam venit ad aures plebis, obſtupuerunt animi, & frigidus timor penetravit in oſſa intima, cui mortem deſtinent, quem petat Apollo. Tum Ulyſſes magno tumultu educit in medios vatem Calchanta: quærit quænam ſit illa voluntas Deorum: & multi mihi jam prædicebant crudele crimen artificioſi* Ulyſſis, *& clam prævidebant futura. Ille* Calchas *tacet per decem dies, & occultus abnuit*
de-

N O T Æ.

104. *Ithacus velit, &c.*) Rem facietis optatiſſimam Ulyſſi *Ithacæ* regi, & *Agamemnoni & Menelao* Atrei filiis.

106. *Pelaſgæ.*) Græcæ, nam ſuſpecta olim fuit Græcorum fides. De *Pelaſgis*, Æn. 1. 628. De *Danais*, Æn. 1. 34.

111. *Auſter.*) Ventus meridionalis, adverſus redeuntibus a Troade in Græciam. De *Auſtro*, Ec. 2. 58.

112. *Acernis*) ex *acere* arbore, Ital. *acero*.

114. *Eurypylum.*) Augurem nobilem, quem quadraginta navibus ad bellum Trojanum veniſſe ait Homerus Il. 2. 736.

116. *Virgine cæſa.*) Iphigenia, Agamemnonis filia. Nam Græci Trojam profecti, cum ad Aulidem Bœotiæ portum veniſſent, ſuſpenſis ventis & peſtilentia graſſante, conſuluerunt oraculum; a quo reſponſum eſt, Agamemnonis filiam Dianæ eſſe immolandam; ſed hæc in ipſo ſacrificio a Diana ſubducta eſt, & cerva ejus in locum ſuppoſita; ipſa virgo in Tauricam regionem tranſlata, ubi Dianæ ſacerdotio functa eſt. Videtur tamen Virgilius cæſam affirmare; ut & Ovidius.

118. *Litandum.*) Et *ſacrificandum*, differunt; nam *litare* dicuntur ii, quorum ſacrificium Diis gratum & acceptum eſt: vel a *λύω*, *ſolvo*; vel a *λιτή*, *precatio ſupplex*, unde & *litaniæ* noſtræ derivantur. De *Apolline*, vaticiniorum Deo, Ec. 3. 104.

123. *Numina.*) Hic ſumi pro voluntate Deorum, haud dubium eſt; vide Æn. 1. 137. *Ithacus.*) Ulyſſes, Ithacæ inſulæ rex.

133. *Salſæ fruges.*) *Mola*, placentæ ſpecies, ex



Prodere voce ſua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes: & quæ ſibi quiſque timebat,
Unius in miſeri exitium converſa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) leto me, & vincula rupi:
Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui, dum vela darent, ſi forte dediſſent.
Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.
Quod te, per ſuperos & conſcia numina veri,
Per, ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides, oro: miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.
His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus ultro.
Ipſe viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus, dictiſque ita fatur amicis:
Quiſquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos,
Noſter eris: mihique hæc ediſſere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?
Dixerat. Ille dolis inſtructus & arte Pelaſga,
Su-

*declarare ullum voce ſua, aut objicere morti. Denique ægre coactus magnis clamoribus Ulyſſis, ex compacto emittit vocem, & me devovet altaribus. Applauſerunt omnes: & paſſi ſunt verti in perniciem unius miſeri ea, quæ unuſquiſque metuebat ſibi. Jamque dies funeſta advenerat:* mihi incipiebant *parari ſacrificia, & mola ſalſa, & tæniæ circa caput* pendulæ. *Subduxi me morti, fateor, & abrupi catenas, & latui per noctem obſcuram in herbis limoſi lacus, donec præberent vela ventis, ſi fortaſſe præbituri eſſent. Neque mihi nunc ſpes ulla* eſt *videndi veterem patriam, & jucundos liberos, & patrem deſideratum: quos illi fortaſſe ad ſacrificium repetent ob meam fugam, & expiabunt hoc delictum nece miſerorum.* Hic ergo *precor te per Superos & Deos qui veritatem ſciunt, per, ſi qua eſt inviolata fides, quæ ſuperſit uſpiam hominibus: miſerere tot calamitatum, miſerere animi indigna paſſi. His lacrymis concedimus vitam, & libenter miſeremur* ejus. *Ipſe Priamus imperat ſolvi manicas & catenas ſtrictas, & amicis verbis ſic loquitur: Quicumque ſis, jam inde obliviſcere Græcos relictos, noſter eris; ſed hæc mihi petenti vere declara. Cur poſuerunt hanc ingentem molem equi? qui* hujus *auctor eſt? aut quid petunt? quæ* eſt in eo *religio? aut quæ* eſt hæc *machina belli? Dixerat. Ille imbutus fraudibus* & *calliditate Græca,*
extu-

N O T Æ.

ex *farre* ſive frumento, ſalſo, toſto, ac molito: unde *mola* appellabatur; & victimæ, quarum fronti ante ſacrificium imponebatur, dicebantur *immolari*, Ecl. 8. 82.

*Vittæ.*) *Infula*, faſcia latior, vulgo lanea & nivea, ex qua minores illiæ dependebant: unde Lucretius l. 1. 88. De Iphigenia immolanda: *Cui ſimul infula virgineos circumdata comptus, ex utraque pari malarum parte profuſa eſt.* Hac infula non tantum victimæ, ſed ſacerdotes, & ipſa etiam Deorum ſimulacra coronabantur; unde infra v. 168. *Virgineas auſi Divæ contingere vittas.*

135. *Ulva.*) Herba quælibet paluſtris, ſine certo nomine.

141. *Quod.*) Vel eſt *quocirca*; vel redundat, ut ſæpe apud Græcos ὅτι; vel ut mihi videtur, pronomen eſt, *quod te oro*; id eſt *hoc te oro*, *hoc unum te oro, miſerere, &c.* Sic Æ. 6. 363. *Quod te per cœli jucundum lumen & auras, Per genitorem oro, &c.*

142. *Per, ſi qua eſt, &c.*) Locutio poetis familiaris; & ſenſus eſt: *Per intemeratam fidem, ſi qua eſt intemerata fides hominibus.* Sic Æn. 12. 56. *Per, ſi quis Amatæ tangit honos animum.*

146. *Manicas.*) Vox a *manu* deducta, ſignificatque aliquando veſtium partem, quæ manus & brachia protegit: aliquando vincula manuum, ut *compedes*, pedum.

152. *Arte Pelaſga.*) Græci vafritie & mala fide infames fuerunt. De *Pelaſgis*, proprie Theſſalis Æn. 1. 628.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.
Vos, æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait; vos, aræ enſeſque nefandi,
Quos fugi; vittæque Deum, quas hoſtia geſſi;
Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura,
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves
Troja fidem, ſi vera feram, ſi magna rependam.
Omnis ſpes Danaum & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit. Impius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulyſſes,
Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi Divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri
Spes Danaum: fractæ vires, averſa Deæ mens.
Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris.
Vix poſitum caſtris ſimulacrum; arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis, ſalſuſque per artus Su-

*extulit ad aſtra manus ſolutas vinculis. Vos atteſtor, inquit, ignes ſempiterni, & inviolabilem veſtram divinitatem: vos aræ & enſes funeſti, quos evitavi; & tæniæ Deorum, quas victima geſtavi: liceat mihi violare arcana ſacramenta Græcorum, liceat odiſſe illos, & exponere cuncta in lucem, ſi occultant aliqua:* neque vero jam *obſtrictus ſum ullis legibus patriæ. Tu tantum, o Troja, ſta promiſſis, &* per me *ſervata ſerva* mihi *fidem, ſi vera profero, ſi magna præſto. Tota ſpes Græcorum, & confidentia incepti belli poſita fuit in ope Palladis. At vero a quo* tempore *impius Diomedes & Ulyſſes repertor criminum, aggreſſi auferre e ſancto templo* Trojæ *fatale Palladium, occiſis cuſtodibus ſummæ arcis, rapuerunt ſacram ſtatuam, & auſi ſunt tangere ſanguinolentis manibus virgineam infulam Deæ; ab illo* tempore *ſpes Græcorum cœpit evaneſcere, & retro acta abire; vires infirmatæ* ſunt, *animus Deæ alienatus* eſt ab iis. *Nec incertis portentis id ſignificavit Pallas. Vix ſtatua depoſita eſt in caſtris* Græcorum; cum *flammæ eruperunt ex ejus oculis ſubrectis, & ſalſus ſudor fluxit per* ejus

NOTÆ.

154. *Vos, æterni ignes.*) Aliqui explicant de ignibus aræ, quos effugerat; alii melius cum Servio, de Sole, Luna, & ſideribus aliis. Nam hæc putabant veteres, & igneæ eſſe naturæ, & in æternum lucere, & habere Divinitatem: & frequenter jurabant per ſidera, Æn. 8. 429. *Cœlum hoc & conſcia ſidera teſtor.*

159. *Si qua tegunt.*) *Si* pro *ſiquidem*, non dubitantis, ſed affirmantis eſt.

162. *Danaum.*) Græcorum. Æn. 1. 34. De *Pallade*, ibid. 43. & ſupra 31. De *Tydide*, Diomede Tydei filio, Æ. 1. 101. De *Ulyſſe*, ſupra v. 7.

166. *Palladium.*) Statua fuit Palladis, armata parma, id eſt, ſcuto breviore, & haſta; eo ritu conſecrata, ut crederent, urbem, in qua eſſet, inexpugnabilem fore. Aliqui dicunt e cœlo eſſe delapſam; alii factam e oſſibus Pelopis. Hanc Ulyſſes & Diomedes, ſublapſi per cuniculos aut cloacas in urbem Trojam, ex arce ſubripuerunt: Diomedes deinde poſt excidium Trojæ tempeſtate actus in Italiam, Deorum reſponſis monitus ut Palladium Trojanis reſtitueret, dicitur illud Æneæ per Calabriam tranſeunti reſtituiſſe, vel cuidam ex Æneæ amicis, cui nomen *Nautes*. Ab hoc illatum in Italiam, & Lavinii primum, deinde Albæ, tum Romæ ſervatum in templo Veſtæ, ſub Veſtalium & Nautiæ familiæ cuſtodia, tam ſecreto, ut Herodianus teſtetur, ſub Commodo Imperatore cum templum Veſtæ conflagraſſet, Palladium Romæ tunc primo viſum eſſe. De *vittis*, ſupra v. 133. *Virgineæ* dicuntur, quia *Pallas innupta*.

171. *Tritonia.*) Pomponius Mela l. 1. c. 7. paludem & amnem Africæ *Tritona* memorat, non longe a Syrte minore, *unde*, inquit, *Minervæ cognomen inditum eſt, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque et fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant.* Sic & Lucanus l. 9. 347. *Torpentem Tritonos adit illæſa paludem. Hanc & Pallas amat: patrio quæ vertice nata Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo eſt, Ut probat ipſe calor) tetigit: ſtagnique quieta Vultus vidit aqua, poſuitque in margine plantas: Et ſe dilecta Tritonida dixit ab unda.* Vel forte alluſum eſt a Latinis auctoribus ad Græcum Palladis epithetum, quo dicitur Iliad. 2. 157. & alibi, ἀτρυτώνη, *indefeſſa, expers timoris*, a τρέω *timere*, & α privativo.

176.



Sudor iit, terque ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens haſtamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas,
Nec poſſe Argolicis exſcindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago & curvis ſecum advexere carinis.
Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma Deoſque parant comites, pelagoque remenſo
Improviſi aderunt: ita digerit omnia Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo,
Effigiem ſtatuere, nefas quæ triſte piaret.
Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere juſſit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſſit;
Neu populum antiqua ſub relligione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod Di prius omen in ipſum
Convertant) Priami imperio Phrygibuſque futurum:
Sin manibus veſtris veſtram aſcendiſſet in urbem,
Ultro Aſiam magno Pelopeia ad mœnia bello Ven-

ejus *membra, & ipſa ter exſilit e terra, quaſſans clypeum & haſtam trementem:* quæ res eſt *miranda dictu. Statim Calchas declarat tentandam eſſe fugam mari, nec poſſe Trojam everti Græcis armis, niſi requirant* ex urbe *Argis alia auſpicia, & reducant Palladem* faventem, *qualem* prius *mari & curvis navibus ſecum adduxerant. Et nunc ſi vento redeunt Mycenas,* in urbem *patriam, parant* nova *bella, & Deos ſocios, & mari* iterum *trajecto aderunt inexſpectati; ſic Calchas diſponit omnia. Pro Palladio* rapto, *& Dea offenſa, admoniti extruxerunt hoc ſimulacrum, quod expiaret funeſtum crimen. Tamen Calchas præcepit* eos *extruere lignis compactis hanc molem altiſſimam, &* eam *ad cœlum erigere: ne poſſit capi portis, & induci in muros; neve ſervare populum ſecundum antiquam religionem. Nam* dicebat, *ſi veſtræ manus læſiſſent* hoc oblatum *Palladi munus, tunc magnam ruinam imminere regno Priami & Phrygibus, quod vaticinium Dii potius convertant in ipſum* Calchanta: *ſi vero manibus veſtris inductum fuiſſet in urbem veſtram, ſponte Aſiam magnis copiis venturam eſſe ad urbes Peloponneſi.* & ea

NOTÆ.

176. *Calchas, &c.*) Græcorum vates.

177. *Pergama.*) Arx Trojæ, Æn. 1. 470. *Argi*, & *Mycenæ*, urbes Peloponneſi, regiæ Agamemnonis, Æn. 1. 288.

178. *Omina ni repetant, &c.*) Reſpexit morem Romanorum, inquit Servius: nam ſi egreſſi male pugnaſſent, revertebantur ad captanda rurſus auguria: aut ſi longius abeſſent Roma, locus aliquis ex agro capti vo Romanus fiebat, in illa provincia, in qua bellabatur; ad quem, ſi renovanda eſſent auſpicia, dux rediret.

182. *Omnia Calchas.*) Legunt aliqui *omina*, nec male.

186. *Roboribus.*) Vel ſpecies eſt quercus *robur*, vel lignum quodvis duriſſimum, Georg. 1. 162.

188. *Antiqua ſub relligione tueri.*) Id eſt, in locum Palladii ſuccedere, quod antiquo cultu & populi credulitate urbem ſervaturum erat.

191. *Phrygibus.*) Trojanis, in minore Phrygia ſitis, Æn. 1. 285.

193. *Aſiam.*) Duplex: eſt major & minor. *Major*, e tribus mundi partibus, quas veteres agnoverunt, longe maxima eſt: quam ab Europa Tanais fluvius, Pontus Euxinus, & Ægæum mare diſterminant; ab Africa ſinus Arabicus; nunc in partes diſtincta præcipue ſex, imperium Moſcoviticum, Tartaricum, Turcicum, Perſicum, Indicum, & Sinenſe. *Minor*, peninſula eſt majoris Aſiæ, maxime occidentalis: inter Pontum Euxinum, & eam mediterranei maris partem, quæ Iſſico ſinu terminatur: nunc *Natolia*: de hac ſermo hic eſt, quia in ea erat *Troas*.

*Pelopeia ad mœnia.*) Vel *Argos*, ubi præcipue regnavit Pelops: vel totam peninſulam Iſthmo Corinthiaco Græciæ annexam: quæ cum *Apia* diceretur, *Peloponneſus* deinde, id eſt, *inſula Pelopis*, vocata eſt a *Pelope*; qui e Phrygia, ubi Tantalus ejus pater regnaverat, coloniam eo deduxit. *Pelops* a Tantalo patre dicitur appoſitus fuiſſe Diis ad epulas, cumque humerum avidior Ceres comediſſet, eburneo humero donatus a Jove. Oenomaum deinde regem Elidis curuli certamine vicit, fraude aurigæ Myrtili, qui vectem axi ſubduxerat: atque ita Hippodamiam Oenomai filiam ſolus e procis obtinuit, aliis tredecim ab Oenomao jam ante victis &

Gg 2 occi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.
Talibus inſidiis, perjurique arte Sinonis
Credita res: captique dolis, lacrymiſque coacti,
Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miſeris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno ſorte ſacerdos,
Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
( Horreſco referens ) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exſuperant undas; pars cætera pontum
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.
Fit ſonitus ſpumante ſalo: jamque arva tenebant,
Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus viſu exſangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt: & primum parva duorum
Corpora natorum ſerpens amplexus uterque
Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.
Poſt ipſum auxilio ſubeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus: & jam

Bis

*& ea fata ſpectare noſtros poſteros. Talibus dolis, & vafritie perjuri Sinonis* res credita eſt; *& decepti fraudibus, ejuſque fletu ſubacti* ſunt ii, *quos neque Diomedes, nec Achilles Lariſſæus, nec decem anni, nec mille naves ſubegerant. Tunc aliud majus & longe magis terribile* portentum *objicitur miſeris* Trojanis, *& turbat incautas mentes. Laocoon ſorte electus ſacerdos Neptuno, ſacrificabat magnum taurum ad ſolemnia altaria. Ecce autem ( horreſco narrans ) duo ſerpentes immenſis ſpiris a Tenedo* emiſſi *per mare ſedatum, innatant undis, & ſimul accedunt ad litus: quorum pars anterior ſublata e fluctibus, & criſtæ ſanguinolentæ excedunt undas; pars reliqua propius radit mare, & curvat volvendo immanes caudas. Fit ſtrepitus, mari ſpumante: & jam attingerant litus, & ſuffuſi ſanguine & igne* circa *coruſcantes oculos, lambebant linguis mobilibus ora ſibilantia. Fugimus exanimati aſpectu: illi certo impetu currunt ad Laocoonta: & prima ſerpens uterque amplectendo conſtringit parva corpora duorum filiorum* Laocoontis, *& morſu devorat miſera membra. Dein ſe invadunt* patrem *ipſum venientem in auxilium & arma attollentem, ſpiriſque grandibus involvunt: & jam*

*bis*

N O T Æ.

occiſis: eam enim is poſuerat legem, ut victus moreretur, victori filia nuberet; monitus oraculis a genero ſibi mortem imminere. Pelops ex Hippodamia *Atreum* ac *Thyeſtem* ſuſcepit: Atreus *Menelaum* & *Agamemnona*. *Pelopeia*, quatuor ſyllabis Græca diphthongo, *Pelopeïa*.

197. *Tydides, &c.*) Diomedes Tydei filius, Æn. 1. 101. *Lariſſæus Achilles.*) Phthius potius; quia Phthiæ natus eſt; cum ejus pater Peleus, ex Ægina inſula propter fratris ſui Phoci cædem profugus, ab Eurytione Phthiæ rege in tertiam regni partem adſcitus eſſet. Sed *Phthia* & *Lariſſa* vicinæ ſunt Theſſaliæ urbes.

198. *Mille carinæ.*) Homerus in catalogo numerat mille centum & octoginta ſex. *Carina* proprie eſt trabs ima, quæ fundamentum eſt totius navis: vulgo pro tota navi uſurpatur.

201. *Neptuno ſorte, &c.*) De *Laocoonte* ſupra v. 41. De *Neptuno* Æn. 1. 129. Sorte ductus eſt ſacerdos Laocoon, quia ubi non erant certi Deo ſacerdotes, ſorte duci mos erat: non erant autem apud Trojanos Neptuno; vel ex quo Laomedon Neptunum contempſerat: vel ex quo Trojani ejus ſacerdotem interfecerant, quia ſacrificiis adventum Græcorum non vetuerat. Nunc itaque rati Græcos abiiſſe, ſacra Neptuno facienda putaverunt ipſo in litore, & ſors in Laocoonta cecidit, jam antea ſacerdotem Apollinis. De *Tenedo* inſula Helleſponti, ſupra v. 21.

209. *Salo.*) Mari; Æn. 1. 541.

212. *Agmine certo*) Certo & ordinato motu: ſic G. 3. 423. *Extremæque agmina caudæ*: locum vide.

221. *Sanie vittas.*) Sanies eſt ſanguis mutatus ac fere corruptus, atro colore permixtus. De *vittis* ſupra v. 133.

225. *Delubra.*) Templa ſic dicta, a *deluo*; quia plerumque ante templa fontes erant,

aut



Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum
Terga dati, ſuperant capite & cervicibus altis.
Ille ſimul manibus tendit divellere nodos,
Perfuſus ſanie vittas atroque veneno;
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit;
Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.
At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſævæque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibuſque Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Inſinuat pavor: & ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt; ſacrum qui cuſpide robur
Læſerit, & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.
Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandaque Divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi: pedibuſque rotarum
Subjiciunt lapſus, & ſtupea vincula collo
Intendunt: ſcandit fatalis machina muros,
Fœta armis: pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa ſubit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, o Divum domus Ilium, & inclyta bello

Mœ-

*bis complexi medium, bis circumdantes* ejus *collo dorſa ſquamoſa, excedunt capite & collis altis. Ille ſimul conatur manibus diſrumpere nexus, infectus* circa *tænias tabo & nigro veneno: ſimul emittit ad aſtra clamores horrendos:* tales, *quales mugitus* emittit *taurus, cum vulneratus fugit altaria, & excuſſit e collo ſecurim dubio* ictu impactam. *At gemini angues ſerpendo fugiunt ad ſumma templa, & adeunt in ædem ſævæ Minervæ: & occultantur ſub pedibus ſimulacri, & ſub orbe clypei. Tunc vero novus timor omnibus illabitur in corda attonita: ajuntque Laocoonta dignum fuiſſe pœna,* quam *perſolvit: qui vulneravit telo ſacrum lignum, & immiſerit tergo haſtam impiam. Clamant invehendum eſſe in urbem equum, & orandam Deæ divinitatem. Evertimus muros, & aperimus munimenta urbis. Omnes præparant* ſe ad *opus: & pedibus* equi *rotarum ſupponunt orbes, & injiciunt collo funes e ſtupa: fatalis machina intrat muros, plena armatis: circum pueri & virgines puellæ canunt ſacra* carmina, *& gaudent tangere manu funes. Machina progreditur, & minans inducitur in mediam urbem. O patria, o Troja ſedes Deorum, & muri Trojanorum nobiles bello!*

re-

N O T Æ.

aut lacus, ubi templa ingreſſuri deluebantur.

226. *Tritonidis arcem.*) Minervæ Tritoniæ, de qua ſupra, v. 171. *Arcem*: Vel Trojanæ urbis, in qua templum illud erat, ut v. 41. *Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce.* Vel arcem dixit, pro templo & æde Minervæ, quocunque loco ſita fuerit.

227. *Clypeique ſub orbe.*) Serpentes a Pallade excitatos in hujus perniciem non mirabitur, qui ſciet ex Plutarchi libro de Iſide, draconem ſacrum fuiſſe Minervæ, & a Phidia Minervæ ſimulacro fuiſſe appoſitum: qui Politianum legerit, ſcribentem, ſe vidiſſe Romæ Palladis clypeum, ſquamoſo draconis corio contextum, & dracunculis fimbriatum.

229. *Inſinuat.*) Supple *ſe*: ut Æn. 1. 108. *Tum prora avertit.*

*Scelus expendiſſe merentem.*) Quidam dicunt ſupplicium luiſſe tum quidem Laocoonta, non ob læſum equum, iramque Palladis, ſed ob violatam alio ſcelere ſanctitatem Apollinei templi, cujus erat ſacerdos; & ſerpentes aufugiſſe in idem illud templũ, quod erat in urbis arce.

230. *Robur.*) Lignũ quodvis durius, G. 1. 162.

231. *Tergo.*) Dixit v. 51. *In latus, inque alvum.* Ergo a *tergo* equum aggreſſus, ictum in eam impegit *lateris* partem, quæ *alvo* contermina eſt.

234. *Muros, & mœnia, &c.*) Ita diſtinguit Germanus, ut *muros* velit eſſe lapideum ambitum, quo urbs cingitur, *mœnia* munitiones, turres, & id genus cætera, quibus muri defenduntur.

235. *Accingunt.*) Supple *ſe*, ut v. 229. *Inſinuat pavor.*

241. *Divum domus Ilium.*) Quia murorum ſtructores habuit Neptunum & Apollinem: quia Ganymedem Jovis, Tithonum Auroræ delicias, e ſtirpe regia protulit. De *Ilio*, Troja, Æn. 1. 5. De *Dardanidis*, Trojanis, ibid. 239.

246. Caſ-

Mœnia Dardanidum! quater ipſo in limine portæ
Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedere.
Inſtamus tamen immemores, cæcique furore,
Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei juſſu, non umquam credita Teucris.
Nos delubra Deum miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque, polumque,
Myrmidonumque dolos: fuſi per mœnia Teucri
Conticuere: ſopor feſſos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia Lunæ,
Litora nota petens: flammas cum regia puppis
Extulerat; fatiſque Deum defenſus iniquis,
Incluſos utero Danaos & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo ſe robore promunt
Tiſandrus Sthenelusque duces, & dirus Ulyſſes,

De-

*xſtitit quater in ipſo aditu portæ, & quater arma in ejus alvo ediderunt ſtrepitum. Urgemus tamen improvidi & obcæcati inſania, & locamus funeſtum portentum in ſacra arce. Tunc etiam Caſſandra ſolvit in vaticinia futuræ ruinæ vocem, Phœbi voluntate, numquam creditam a Trojanis. Nos miſeri per urbem tegimus feſtivis ramis templa Deorum, quibus dies ille futurus erat extremus. Interim cœlum mutatur, & nox cadit in Oceanum tegens magnis umbris, & terram, & cœlum, & fraudes Græcorum. Trojani ſparſi per urbem ſiluerunt: ſomnus tenet laſſa membra. Et jam exercitus Græcus armatis navibus proficiſcebatur e Tenedo, per opportuna ſilentia Lunæ tacitæ accedens ad litora cognita: cum navis regia ſuſtuliſſet facem; Sinon quoque, protectus voluntate Deorum nobis infeſta, aperuit clam lignea clauſtra, & Græcos in alvo clauſos: equus apertus effundit eos in aerem: & hilares emittunt ſe e cavo ligno duces Tiſandrus & Sthenelus, & improbus Ulyſſes,*

de-

## N O T Æ.

245. *Caſſandra.* ) Priami & Hecubæ filia, quæ cum ab amatore Apolline artem accepiſſet vaticinandi, nec ei tamen gratiam amoris mutui retuliſſet, indignatus Deus effecit, ut a Trojanis fides ipſius vaticiniis non haberetur. Nupſit ſub extremis illius belli temporibus Chorœbo: capta urbe, vitiata eſt ab Ajace Oilei, in ipſo Minervæ templo, & in prædam Agamemnoni ceſſit; quem cum admoneret ſæpe de cavendis Clytemneſtræ inſidiis, nec dicto haberet audientem, cum ipſo deinde, Ægiſthi & Clytemneſtræ ſcelere, in convivio obtruncata eſt. De *delubris*, ſupra, v. 225. De *Myrmidonibus*, Achilli ſubditis, v. 7.

250. *Ruit Oceano nox.* ) Sole nimirum in Oceanum, ut fingitur, cadente, conſequitur ſtatim nox, & poſt eum præcipitat *Oceano*, id eſt, *in Oceanum*. Sicut, *it clamor cœlo*, id eſt, *ad cœlum*.

254. *Argiva phalanx.* ) *Phalanx* proprie Macedonum eſt agmen pedeſtre, perpetuo umbonum textu conſertum, atque ita juncto impetu in hoſtes incurrens: unde nomen habet juxta Suidam, a πελάζειν ἄγχι *accedere prope*. Ex Vegetio habebat hominum octo millia. *Argiva.* ) Græca ab *Argis* urbe Peloponneſi, de qua Æn. 1. 289. De *Tenedo*, Helleſponti inſula, ſupra v. 21.

255. *Silentia Lunæ.* ) Ne explices de Luna cum Sole conjuncta, quæ tum dicitur *ſilens*, quia minime lucet; ſed intellige de media & ſilente nocte, ut explicabimus v. 340.

261. *Tiſandrus.* ) Servius ait eum fuiſſe filium Polynicis illius, qui de regno Thebano cum fratre Eteocle confligens occidit: ſed hunc Polynicis filium vulgo *Therſandrum*, non Tiſandrum vocant. At Servius *Theſſandrus* hic legit; Pomponius, *Therſandrus*.

*Sthenelus.* ) Filius illius Capanei Argivi, qui eodem Thebano bello Polynicem ſecutus occiderat, vel Jovis fulmine, vel Thebanorum lapidatione obrutus.

*Duces*) Non ad Tiſandrū & Sthenelum dumtaxat vox illa pertinet, ſed ad Ulyſſem etiam, & Neoptolemum, & alios, quos hic appellat.

263. *Pelideſque Neoptolemus.* ) *Pyrrhus*, Achillis & Deidamiæ filius: *Pyrrhus* dictus a colore capillorum: nam πυῤῥὸς *rufus* eſt: *Neoptolemus*, a νέος *novus*, & πόλεμος *bellum*, quia admodum adoleſcens ad belli Trojani reliquias perductus eſt: erat enim in fatis abſque aliquo Æacidarum capi Trojam

non



Demiſſum lapſi per funem, Athamaſque, Thoaſque,
Pelideſque Neoptolemus, primuſque Machaon,
Et Menelaus, & ipſe doli fabricator Epeus.
Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam:
Cæduntur vigiles: portiſque patentibus omnes
Accipiunt ſocios, atque agmina conſcia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divum gratiſſima ſerpit.
In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largoſque effundere fletus:
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipſe videbar
Compellare virum, & mœſtas expromere voces:
O lux Dardaniæ! ſpes o fidiſſima Teucrum!
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris

Exſpe-

*deſcendentes per funem dejectum, & Athamas, & Thoas, & Neoptolemus Pelei nepos, & primus Machaon, & Menelaus, & ipſe Epeus architectus doloſi equi. Aggrediuntur urbem impeditam vino ac ſomno: occiduntur excubitores: & apertis portis admittunt omnes ſocios, & conjungunt turmas ejuſdem conſilii participes. Tempus erat, quo primus ſomnus feſſis hominibus ſubit, & Deorum munere gratiſſimus illabitur. Ecce per ſomnum Hector triſtiſſimus viſus eſt mihi adſtare præ oculis, & emittere copioſas lacrymas: tractus equis, ut olim, & niger ſanguineo pulvere, & transfoſſus loris per pedes tumidos. Hei mihi, qualis erat! quam diverſus ab illo Hectore, qui redit ornatus ſpoliis Achillis, vel cum injeciſſet ignes Trojanos in naves Græcorum! habens barbam ſordidam, & capillos cohærentes ſanguine, & plagas illas, quas multas accepit circa muros patriæ. Ego plorans videbar primus alloqui virum, & emittere hæc triſtia verba: O lumen Trojæ! o ſpes firmiſſima Trojanorum! quæ tam longa mora te detinuit? o Hector optate, quibus e regionibus*

ve-

## N O T Æ.

non poſſe. Troja capta Priamum interfecit, Polyxenam Priami filiam ſub Achillis tumulo immolavit, Andromachen Hectoris uxorem ex præda captivam habuit; Moloſſum ex ea ſuſcepit; & cum eam deinde matrimonio junxiſſet Heleno Priami filio, ducturus Hermionem Menelai & Helenæ filiam, ab Oreſte Agamemnonis filio, cui Hermione deſponſata fuerat, in Delphico Apollinis templo interfectus eſt. *Pelides* vocatur, quia *Pelei* nepos, qui Æaci fuit filius, regis in Ægina inſula, & Thetidis maritus.

*Primuſque Machaon.* ) Æſculapii filius, Podalirii frater; uterque medicus inſignis fuit, præcipue ſanandis vulneribus. *Primus*: id eſt, primo loco delapſus per funem: nec obſtat quod Tiſandrus & reliqui ſupra vocati ſint *duces*; erant enim *duces* dignitate ac munere, non deſcendendi ordine.

264. *Menelaus.* ) Atrei filius, Agamemnonis frater, Tyndarei Spartani regis gener, ac deinde ſucceſſor; maritus Helenæ, quam cum raptam a Paride fruſtra legationibus a Priamo repetiiſſet, ſociali totius Græciæ bello repetiit, recepitque tandem everſo Trojano regno: & conſcenſa navi, poſt octavum erroris annum domum rediit.

*Epeus.* ) Ideo equi lignei fabricator dicitur, quia muralem reperit machinam, quæ vocatur etiam *aries*, ex Plin. lib. 7. 56.

272. *Raptatus bigis.* ) De *Hectore* bigis raptato, Æn. 1. 487. De *bigis* & quadrigis, duobus & quatuor equis, ſub eodem jugo conjunctis, Georg. 1. 512.

275. *Exuvias Achillis, &c.* ) Cum nempe Achilles e Græcorum caſtris receſſiſſet, offenſus Agamemnoni ob ereptam ſibi Briſeida; territi navium incendio Græci, fruſtra precibus Achillem tentaverunt, Patroclus imprimis, ipſi cariſſimus, qui cum ad reditum impellere eum non poſſet, rogavit, ſua ſibi ſaltem arma militeſque ſuos concederet, quibus Trojanis metum incuteret. Id conceſſit Achilles: at Patroclus, Achillis armis indutus, ab Hectore occiſus eſt. Igitur per *Achillis exuvias*, Achillis arma intellige; non Achilli quidem, ſed Patroclo direpta. Ita Homerus Iliad. 15. ſub finem, & 16.

291. *Per-*

Exſpectate venis? ut te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios hominumque urbiſque labores
Defeſſi aſpicimus? quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hoſtis habet muros, ruit alto a culmine Troja:
Sat patriæ Priamoque datum: ſi Pergama dextra
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.
Sacra, ſuoſque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites: his mœnia quære,
Magna pererrato ſtatues quæ denique ponto.
Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverſo interea miſcentur mœnia luctu:
Et magis atque magis (quamquam ſecreta parentis
Anchiſæ domus, arboribuſque obtecta receſſit)
Clareſcunt ſonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior ſomno, & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero, atque arrectis auribus aſto.
In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit; aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,
Præcipiteſque trahit ſilvas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Tum

*venis? quomodo te videmus laſſi poſt multas neces tuorum, poſt diverſos & urbis & civium labores? quæ cauſa indigna maculavit pulchram faciem? aut quare video has plagas? Ille nihil* ad hæc dixit: *nec reſponſis detinet me petentem inutilia: ſed ægre trahens gemitus ex intimo pectore, Heu! fuge, fili Veneris, & te, inquit, ſubtrahe huic incendio. Hoſtis tenet urbem, cadit ab alto vertice Troja: ſatisfecimus patriæ & Priamo: ſi Troja manu aliqua ſervari poſſet, hac mea etiam fuiſſet ſervata. Troja committit tibi* ſua *ſacra, & ſuos Deos: accipe hos caſuum* tuorum *ſocios; quære illis urbem, quam tandem magnam condes pererrato mari. Sic locutus eſt, & manibus exportat ex adytis intimis inſulas, & potentem Veſtam, & ignem inexſtinctum. Interim urbs turbatur vario ululatu: & quamvis domus patris Anchiſæ ſeparata, & cincta arboribus ſubmoveatur, magis & magis auditur ſonus, & horror armorum imminet. Excitor e ſomno, & aſcendens ſupergredior ſummum culmen tecti, & ſto attentis auribus. Sicut quando ignis ventis ſævientibus cecidit in ſegetem: aut* quando *præceps torrens montanis undis vaſtat agros, vaſtat ſegetes fertiles & labores boum, & rapit arbores in præceps:* tunc *paſtor ignarus obſtupeſcit audiens ſonum ex alto cacumine rupis.*

*Tunc*

N O T Æ.

291. *Pergama, orum.*) Arx Trojæ; Æn. 1. 470.

293. *Sacra, ſuoſque, &c.*) Per *ſacra*, res eas intelligit, quæ ad cæremonias Deorum pertinebant; ut vittæ, inſulæ, de quibus ſupra v. 133. pepla, de quibus Æn. 1. 484. Per *Penates*, Deorum domeſticorum ſimulacra, de quibus infra, v. 717. Per *Veſtam* vel unum ex illis Penatium ſimulacris, vel ignem ipſum æternum: ait enim Ovid. Faſt. 6. 291. *Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.* Per *ignem perpetuum*, ignem inexſtinctum: qui, ſi aliquando exſtingueretur, non alio igne, ſed admotis Soli fomitibus ipſo Solis calore excitandus erat. De hoc, deque *Veſta*, Georgicorum 1. 498.

297. *Adytis effert*) Vel reipſa effert: vel in ſomni videtur efferre. Effert autem in Æneæ domum e templo, quod erat in arce; & cum iis imperium a Priamo in Æneam transfert. Cultum porro ignis acceperant Phryges & Græci ab orientalibus populis, præcipue Perſis, quibus ob uſus maximos dignus Divinitate viſus eſt, & perpetua cuſtodia. *Adyta.*) Sunt intimæ partes domorum templorumque, in quas intrare nefas eſt, ab α privativo, & δύω ingredior. De *penetralibus*, in voce *penus*, Æn. 1. 708. De *Auſtris*, ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58.

310. *Deiphobi.*) Priami filius fuit, qui poſtquam Paris a Pyrrho occiſus eſt, Helenam duxit uxorem, cujus dolo inter primos interfectus eſt, ut fuſe deſcribitur Æn. 6. 495. De *Vulcano*, qui pro igne hic ſumitur, Georg. 1. 295.

312. *Ucalegon: Sigea igni freta, &c.*) Ucalegon, ſenex, unus e Conſiliariis Priami; *Ucalegon* ponitur pro *domo Ucalegontis*. *Sigea.*) *Sigeum*, & *Rhœteum*: promontoria duo Troadis, non longe ab urbe Troja. *Freta* dixit, pro mari Helleſpontiaco, quod regionem illam alluit, & proprie fretum eſt.

319. *Panthus Otriades, &c.*) Otrei filius, ſacerdos Apollinis, qui in arce colebatur: licet enim arx Trojana præcipue ſacra eſſet Palladi, ut deinde Romanum Capitolium Jovi; utraque tamen ſedes Diis aliis compluribus dicata erat. De *Phœbo*, Ecl. 3. 62. 104. De *Achivis*, Græcis, Æ. 1. 492.

321. *Limina.*) Legunt alii *litora*, nec male. Servius & Donatus retinent *limina*: & hinc Æneæ virtutem exaggerant, cujus in domum, & Hector & Panthus ſacra deferebant.



Tum vero manifeſta fides, Danaumque pateſcunt
Inſidiæ. Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano ſuperante, domus: jam proximus ardet
Ucalegon: Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.
Arma amens capio, nec ſat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum ſociis ardent animi: furor iraque mentem
Præcipitant, pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Ecce autem, telis Panthus elapſus Achivum,
Panthus Otriades, arcis Phœbique ſacerdos,
Sacra manu, victoſque Deos, parvumque nepotem
Ipſe trahit, curſuque amens ad limina tendit.
Quo res ſumma loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
Venit ſumma dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum; ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit. Incenſa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus aſtans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet
Inſultans: portis alii bipatentibus adſunt,
Millia quot magnis numquam venere Mycenis:

Obſe-

*Tunc vero clara* fuit *veritas* verborum Hectoris, *& apparent fraudes Græcorum. Jam domus magna Deiphobi fecit ruinam, igne vincente: jam domus vicina Ucalegontis ardet: promontorium Sigeum late relucet flammis. Attollitur clamor virorum, & fremitus tubarum. Attonitus arma ſumo, nec ſatis* erat *rationis*, cur ſumerem *arma: ſed cupit animus colligere turbam ad pugnandum, & convolare in arcem cum ſociis: furor & ira impellunt animum, & venit* in mentem *glorioſum* eſſe *mori ſub armis. Ecce autem Panthus elapſus ex armis Græcorum, Panthus Otrei filius, ſacerdos Phœbi & arcis, rapit ipſe manu* res *ſacras, & Deos ſuperatos, & parvum nepotem: & exanimatus currendo tendit ad januam* meam. *O Panthu, dixi, quo in ſtatu ſuprema res eſt? quam in arcem currimus? Vix ea locutus eram, cum talia reſpondet gemens: Venit ultima dies & tempus inevitabile Trojanis: periimus Trojani, periit Troja, & magna gloria Trojanorum: crudelis Jupiter omnia tranſmiſit ad Argivos. Græci regnant in urbe inflammata. Equus altus ſtans in medio murorum emittit milites, & victor Sinon ſpargit incendia illudens:* totque *alii intrant portis utrimque apertis, quot millia numquam venere e magna* urbe *Mycenis:*

*alii*

N O T Æ.

322. *Quam prendimus arcem?*) Senſus eſt. *Quam occupabimus arcem? in quam arcem concurremus?* Maxime enim de arce videtur Æneas fuiſſe ſollicitus, dixit enim v. 315. *Et concurrere in arcem cum ſociis ardent animi.* Sed arx illa primo a Græcis capta fuerat, & equus in eam inductus, v. 245. *Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.* Tamen aliæ fuere arces & munita loca; imprimis Priami regia, in quam ultimus Græcorum impetus fuit, infra v. 437. Dubitat igitur Æneas, quænam arx adhuc propugnari poſſit.

325. *Dardaniæ. Ilium.*) Trojæ nomina, Æ. 1. 5. *Troes, Teucrorum*: Trojanorum nomina, Æn. 1. 34. 239. *Argos, Mycenis*: urbes ſunt Peloponneſi, regnum Agamemnonis, Æn. 1. 288. *Danai*, Græci, Æn. 1. 34. *Sinon*, ſupra 86.

Hh 332. *Au-*

Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti: ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci: vix primi prœlia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte reſiſtunt.
Talibus Otriadæ dictis & numine Divum
In flammas & in arma feror: quo triſtis Erinnys,
Quo fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.
Addunt ſe ſocios Ripheus & maximus annis
Iphitus, oblati per lunam, Hypaniſque, Dymaſque;
Et lateri agglomerant noſtro: juveniſque Chorœbus
Mygdonides: illis ad Trojam forte diebus
Venerat, inſano Caſſandræ incenſus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat:
Infelix, qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierat.
Quos ubi confertos audere in prœlia vidi,
Incipio ſuper his: Juvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido eſt
Certa ſequi: quæ ſit rebus fortuna, videtis.
Exceſſere omnes adytis ariſque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat: ſuccurritis urbi
Incenſæ: moriamur, & in media arma ruamus.
Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde lupi ceu
Raptores, atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis; per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
360 Ur-

*alii obſtantes occupaverunt armis anguſtas vias: obſtat gladiorum acies micanti mucrone, nuda, parata ad cædem: vix primi excubitores portarum ſuſtinent pugnam, & reſiſtunt inſano certamine. Talibus verbis Panthi, & voluntate Deorum, rapior in arma & in incendia: quo crudelis Erynnys, quo tumultus, & clamor elatus in cœlum me vocat. Adjungunt ſe ſocios Ripheus, & grandis ætate Iphitus, occurrentes* mihi *ad* lucem *Lunæ, & Hypanis, & Dymas:* & *denſantur ad latus noſtrum: & Chorœbus juvenis Mygdonis* filius; *forte per illos dies venerat Trojam, ardens magno amore Caſſandræ,* & *gener ferebat auxilium Priamo & Trojanis: miſer, qui non crediderat monitis ſponſæ vaticinantis. Poſtquam vidi illos collectos promptos eſſe ad pugnam, de iis* rebus *ſic cœpi* loqui: *O juvenes, corda fruſtra generoſa: ſi firmum eſt vobis deſiderium ſequendi* me *tentantem extrema: cernitis qui ſit ſtatus rerum. Omnes Dii, per quos hoc regnum ſteterat, abierunt deſertis altaribus & penetralibus; vos* vero vultis *ſubvenire urbi* jam *combuſtæ; moriamur* potius, *& ruamus in medium armorum. Sola ſalutis* via, quæ reſtat *victis*, eſt *nullam ſperare ſalutem. Sic furor additus eſt virtuti juvenum. Deinde veluti lupi rapaces, per nebuloſum tempus, quos valida ventris aviditas expulit furioſos* ex antris, *&* quos *proles relicta exſpectat ſiccis gutturibus:* ita *nos per arma, per hoſtes, imus ad mortem certiſſimam, & inſiſtimus mediam* viam

NOTÆ.

332. *Anguſta viarum.*) Anguſtas vias: familiaris poetis & hiſtoricis locutio: infra v. 725. *Opaca locorum*, Æn. 1. 426. *Strata viarum.*

335. *Cæco Marte.*) Certamine vel obſcuro, quia per noctem committebatur; vel inſano, quia a paucis & improvidis contra multos & paratos. De *Marte*, belli Deo, Ecl. 9. 12.

336. *Otriadæ.*) Panthi, qui filius Otrei. *Numine*, Æn. 1 137.

337. *Erinnys.*) Nomen commune tribus furiis: quæ, ut *Eumenides*, ſic *Erinnyes* vocantur: Propert. l. 2. 16. 29. *Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes.* Privata ſingularum nomina ſunt, *Alecto*, *Tiſiphone*, *Megæra*: de quibus Georg. 1. 278.

340. *Oblati per lunam.*) Probat enim Scaliger de emendatione temp. lib. 5. captam eſſe Trojam circa plenilunium & finem veris: idque etiam patet ex Petronii fragmento de expugnatione Trojæ: *Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar*: at tum Luna maxime lucida eſt. Igitur *ſilentia Lunæ*, ut antea dixit Virgilius, v. 255. de *media nocte* explicanda ſunt, quod tempus vocatur *conticinium*, quia tunc tacent omnia: Luna autem nocturni ſilentii præſes dicitur: unde Horat. Epod. 5. 51. *Nox & Diana quæ ſilentium regis.*

342. *Mygdonides.*) Nomen a *Mygdone* patre, fratre



Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, & religioſa Deorum
Limina. Nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoreſque cadunt Danai: crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.
Primus ſe Danaum, magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, ſocia agmina credens,
Inſcius; atque ultro verbis compellat amicis:
Feſtinate viri, nam quæ tam ſera moratur
Segnities? alii rapiunt incenſa feruntque
Pergama: vos celſis nunc primum a navibus itis?
Dixit: & extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit medios delapſus in hoſtes.
Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit.
Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Haud ſecus Androgeos viſu tremefactus abibat.
Irruimus, denſis & circumfundimur armis:
Ignaroſque loci paſſim & formidine captos
Sternimus: aſpirat primo fortuna labori.
Atque hic exſultans ſucceſſu animiſque Chorœbus:
O ſocii, qua prima, inquit, fortuna ſalutis
Mon-

*viam urbis: nigra nox errat circa* nos *cavis tenebris. Quis explicet ſermone ſtragem & mortes illius noctis? aut poſſit lugendo æquare* illos *labores? Perit urbs vetus*, quæ *regnaverat per multos annos: multa inutilia corpora paſſim funduntur, & per vias, & per domos, &* per *ſacra veſtibula Deorum. Nec ſoli Trojani luunt pœnas ſanguine: aliquando etiam virtus redit victis in corda, & Græci victores occiduntur; ubique crudelis* eſt *luctus, ubique timor, & multa ſpecies mortis. Androgeos primus e Græcis occurrit nobis, magna turba cingente, putans* nos eſſe *agmen ſociorum, inconſultus; & prior nos alloquitur ſermone amico: Properate, o viri, quæ enim tam tarda deſidia* vos *detinet? alii vaſtant & evertunt Trojam combuſtam; vos nunc primo venitis ab altis navibus?* Sic *loquutus eſt, & ſtatim agnoſcit* ſe *deveniſſe in medium hoſtium, nam non reddebantur* ipſi *reſponſa ſatis tuta. Obſtupuit, & retro continuit pedem cum voce. Sicut qui in vepribus rigidis innitens terræ calcavit anguem ex improviſo, & ſubito tremens fugit eum aſſurgentem in iras, & inflantem collum cæruleum. Non aliter Androgeos recedebat territus aſpectu. Irrumpimus, & circum miſcemus conſertis armis: & paſſim dejicimus* Græcos, *inſcios locorum & metu perculſos: fortuna favet primis conatibus. Et tunc Chorœbus lætus ſucceſſu & animoſior ait: O ſocii, eamus, qua fortuna oſtendit viam ſalutis,* & qua

NOTÆ.

fratre Hecubæ Priami uxoris; non a *Mygdonia* regione; monet enim Servius gentilia nomina non deſinere in *des*, ſed patronymica. De *Caſſandra* ſupra v. 246. De *Phrygibus*, Æn. 1. 385.

348. *Fortiſſima fruſtra.*) Hic agnoſcunt vulgo interpretes plane prolixam & incommodam verborum trajectionem, & verba digerunt hoc modo: *Juvenes, fortiſſima pectora: videtis quæ ſit fortuna rebus: omnes Dii, quibus hoc imperium ſteterat, abierunt adytis ariſque relictis, fruſtra ſuccurritis urbi incenſæ. Si vobis cupido certa eſt ſequi audentem extrema, ruamus in media arma, & moriamur.* Ego rectum, abſque trajectione, ſenſum verborum videre mihi videor, ut patet in interpretatione: ubi vocat Æneas juvenum *pectora fruſtra fortiſſima*, quia eorum fortitudo ad patriæ ſalutem deinceps inutilis erat.

367. *Quondam.*) Aliquando. Sic Georg. 3. 99. *Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis incaſſum furit.* De *Teucris*, *Trojanis*, Æn. 1. 239. De *Danais* Græcis, Æn. 1. 34.

377. *Senſit delapſus in hoſtes.*) Id eſt, *ſe delapſum eſſe*: Græciſmus, latinis veteribus familiaris. Sic Catul. in Phaſelo, v. 2. *Ait fuiſſe navium celerrimus, &c.*

379. *Aſpris.*) Pro *aſperis*: ut Æn. 1. 205. *Acceſtis*, pro *acceſſiſtis*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti: ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte reſiſtunt.
Talibus Otriadæ dictis & numine Divum
In flammas & in arma feror: quo triſtis Erinnys,
Quo fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.
Addunt ſe ſocios Ripheus & maximus annis
Iphitus, oblati per lunam, Hypaniſque, Dymaſque;
Et lateri agglomerant noſtro: juveniſque Chorœbus
Mygdonides: illis ad Trojam forte diebus
Venerat, inſano Caſſandræ incenſus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat:
Infelix, qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierat.
Quos ubi confertos audere in prælia vidi,
Incipio ſuper his: Juvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido eſt
Certa ſequi: quæ ſit rebus fortuna, videtis.
Exceſſere omnes adytis ariſque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat: ſuccurritis urbi
Incenſæ: moriamur, & in media arma ruamus.
Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde lupi ceu
Raptores, atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis; per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Ur-

*alii obſtantes occupaverunt armis anguſtas vias: obſtat gladiorum acies micanti mucrone, nuda, parata ad cædem: vix primi excubitores portarum ſuſtinent pugnam, & reſiſtunt inſano certamine. Talibus verbis Panthi, & voluntate Deorum, rapior in arma & in incendia: quo crudelis Erynnys, quo tumultus, & clamor elatus in cœlum me vocat. Adjungunt ſe ſocios Ripheus, & grandis ætate Iphitus, occurrentes* mihi *ad lucem Lunæ, & Hypanis, & Dymas:* & *denſantur ad latus noſtrum: & Chorœbus juvenis Mygdonis* filius; *forte per illos dies venerat Trojam, ardens magno amore Caſſandræ,* & *gener ferebat auxilium Priamo & Trojanis: miſer, qui non crediderat monitis ſponſæ vaticinantis. Poſtquam vidi illos collectos promptos eſſe ad pugnam, de iis* rebus *ſic cœpi* loqui: *O juvenes, corda fruſtra generoſa: ſi firmum eſt vobis deſiderium ſequendi* me *tentantem extrema: cernitis qui ſit ſtatus rerum. Omnes Dii, per quos hoc regnum ſteterat, abierunt deſertis altaribus & penetralibus;* vos vero vultis *ſubvenire urbi* jam *combuſtæ; moriamur* potius, *& ruamus in medium armorum. Sola ſalutis* via, quæ reſtat *victis*, eſt *nullam ſperare ſalutem. Sic furor additus eſt virtuti juvenum. Deinde veluti lupi rapaces, per nebuloſum tempus, quos valida ventris aviditas expulit furioſos* ex antris, & quos *proles relicta exſpectat ſiccis gutturibus:* ita *nos per arma, per hoſtes, imus ad mortem certiſſimam, & inſiſtimus mediam*
*viam*

N O T Æ.

332. *Anguſta viarum.*) Anguſtas vias: familiaris poetis & hiſtoricis locutio: infra v. 425. *Opaca locorum*, Æn. 1. 426. *Strata viarum.*

335. *Cæco Marte.*) Certamine vel obſcuro, quia per noctem committebatur; vel inſano, quia a paucis & improvidis contra multos & paratos. De *Marte*, belli Deo, Ecl. 9. 12.

336. *Otriadæ.*) Panthi, qui filius Otrei. *Numine*, Æn. 1 137.

337. *Erinnys.*) Nomen commune tribus furiis: quæ, ut *Eumenides*, ſic *Erinnyes* vocantur: Propert. l. 2. 16. 29. *Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes.* Privata ſingularum nomina ſunt, *Alecto*, *Tiſiphone*, *Megæra*: de quibus Georg. 1. 278.

340. *Oblati per lunam.*) Probat enim Scaliger de emendatione temp. lib. 5. captam eſſe Trojam circa plenilunium & finem veris: idque etiam patet ex Petronii fragmento de expugnatione Trojæ: *Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar*: at tum Luna maxime lucida eſt. Igitur *ſilentia Lunæ*, ut antea dixit Virgilius, v. 255. de *media nocte* explicanda ſunt, quod tempus vocatur *conticinium*, quia tunc tacent omnia: Luna autem nocturni ſilentii præſes dicitur: unde Horat. Epod. 5. 51. *Nox & Diana quæ ſilentium regis.*

342. *Mygdonides.*) Nomen a *Mygdone* patre,
fratre



Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, & relligioſa Deorum
Limina. Nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoreſque cadunt Danai: crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.
Primus ſe Danaum, magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, ſocia agmina credens,
Inſcius; atque ultro verbis compellat amicis:
Feſtinate viri, nam quæ tam ſera moratur
Segnities? alii rapiunt incenſa feruntque
Pergama: vos celſis nunc primum a navibus itis?
Dixit: & extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit medios delapſus in hoſtes.
Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit.
Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Haud ſecus Androgeos viſu tremefactus abibat.
Irruimus, denſis & circumfundimur armis:
Ignaroſque loci paſſim & formidine captos
Sternimus: aſpirat primo fortuna labori.
Atque hic exſultans ſucceſſu animiſque Chorœbus:
O ſocii, qua prima, inquit, fortuna ſalutis
Mon-

*viam urbis: nigra nox errat circa* nos *cavis tenebris. Quis explicet ſermone ſtragem & mortes illius noctis? aut poſſit lugendo æquare* illos *labores? Perit urbs vetus*, quæ *regnaverat per multos annos: multa inutilia corpora paſſim funduntur, & per vias, & per domos,* & per *ſacra veſtibula Deorum. Nec ſoli Trojani luunt pœnas ſanguine: aliquando etiam virtus redit victis in corda, & Græci victores occiduntur; ubique crudelis* eſt *luctus, ubique timor, & multa ſpecies mortis. Androgeos primus e Græcis occurrit nobis, magna turba cingente, putans* nos eſſe *agmen ſociorum, inconſultus; & prior nos alloquitur ſermone amico: Properate, o viri, quæ enim tam tarda deſidia* vos *detinet? alii vaſtant & evertunt Trojam combuſtam; vos nunc primo venitis ab altis navibus?* Sic *loquutus eſt, & ſtatim agnoſcit* ſe *deveniſſe in medium hoſtium, nam non reddebantur* ipſi *reſponſa ſatis tuta. Obſtupuit, & retro continuit pedem cum voce. Sicut qui in vepribus rigidis innitens terræ calcavit anguem ex improviſo, & ſubito tremens fugit eum aſſurgentem in iras, & inflantem collum cæruleum. Non aliter Androgeos recedebat territus aſpectu. Irrumpimus, & circum miſcemus conſertis armis: & paſſim dejicimus* Græcos, *inſcios locorum & metu percitos: fortuna favet primis conatibus. Et tunc Chorœbus lætus ſucceſſu & animoſior ait: O ſocii, eamus, qua fortuna oſtendit viam ſalutis,*
*& quæ*

N O T Æ.

fratre Hecubæ Priami uxoris; non a *Mygdonia* regione; monet enim Servius gentilia nomina non deſinere in *des*, ſed patronymica. De *Caſſandra* ſupra v. 246. De *Phrygibus*, Æn. 1. 385.

348. *Fortiſſima fruſtra.*) Hic agnoſcunt vulgo interpretes plane prolixam & incommodam verborum trajectionem, & verba digerunt hoc modo: *Juvenes, fortiſſima pectora: videtis quæ ſit fortuna rebus:* [illegible] *Dii, quibus hoc imperium ſteterat, exceſſerunt adytis ariſque relictis, fruſtra ſuccurritis urbi incenſæ. Si vobis cupido certa eſt ſequi audentem extrema, ruamus in media arma, & moriamur.* Ego rectum, abſque trajectione, ſenſum verborum videre mihi videor, ut patet in interpretatione: ubi vocat Æneas juvenum *pectora fruſtra fortiſſima*, quia eorum fortitudo ad patriæ ſalutem deinceps inutilis erat.

367. *Quondam.*) Aliquando. Sic Georg. 3. 99. *Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis incaſſum furit.* De *Teucris*, Trojanis, Æn. 1. 239. De *Danais* Græcis, Æn. 1. 34.

377. *Senſit delapſus in hoſtes.*) Id eſt, *ſe delapſum eſſe*: Græciſmus, latinis veteribus familiaris. Sic Catul. in Phaſelo, v. 2. *Ait fuiſſe navium celerrimus, &c.*

379. *Aſpris.*) Pro *aſperis*: ut Æn. 1. 205. *Acceſtis*, pro *acceſſiſtis*.

 391. Co-

Monſtrat iter, quaque oſtendit ſe dextra, ſequamur.
Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?
Arma dabunt ipſi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeique inſigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat enſem.
Hoc Ripheus, hoc ipſe Dymas, omniſque juventus
Læta facit; ſpoliis ſe quiſque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine noſtro,
Multaque per cæcam congreſſi prælia noctem
Conſerimus, multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, & litora curſu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rurſus equum, & nota conduntur in alvo.
Heu, nihil invitis fas quemquam fidere Divis!
Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus a templo Caſſandra adytiſque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra:
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus,
Et ſeſe medium injecit moriturus in agmen.
Conſequimur cuncti, & denſis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Noſtrorum obruimur, oriturque miſerrima cædes,
Armorum facie, & Grajarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis ira,
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,

Et

*& qua ſe præbet propitiam. Mutemus clypeos, & accommodemus nobis arma Græcorum. Quis exigat in hoſte, utrum virtus, an dolus ſit? Ipſi* Græci occiſi *ſuppeditabunt* nobis *arma. Sic loquutus mox induit caſſidem criſtatam Androgei, & pulchrum ornamentum clypei, & alligat lateri gladium Græcum. Hoc facit Ripheus, hoc ipſe Dymas, & omnis juventus læta: unuſquiſque armat ſe ſpoliis novis. Imus permixti Græcis, Diis non propitiis: & congreſſi per obſcuram noctem committimus multas pugnas, mittimus plurimos Græcorum ad inferos. Alii fugiunt ad naves & quærunt currendo tutum litus: aliqui fœdo metu iterum conſcendunt magnum equum, & occultantur in utero* ejus ſibi *cognito. Heu, nihil oportet quemquam ſperare invitis Diis! Ecce filia Priami Caſſandra, capillis expaſſis, rapiebatur a templo, & penetralibus Palladis, fruſtra tollens ad cœlum ardentes oculos, oculos* inquam, *nam catenæ ligabant teneras manus. Chorœbus irato animo non paſſus eſt hoc ſpectaculum, & moriturus immiſit ſe in mediam turbam. Omnes ſequimur, & ingruimus ſpiſſis telis. Tum ſtatim e ſummo faſtigio templi obruimur jaculis noſtrorum* Trojanorum, *& fit ſtrages deploranda ob armorum formam, & errorem criſtarum* Græcarum. *Tunc Græci* commoti *dolore & ira* ob *ereptam* ſibi *Caſſandram, undique congregati* nos *oppugnant: ardentiſſimus* erat *Ajax,*

*& ge-*

N O T Æ.

391. *Comantem galeam.*) Criſtatam, caudis animalium ornatam, Æn. 3. 468.

393. *Argivum.*) Græcum, ab Argis urbe Peloponneſi, Æn. 1. 288.

396. *Haud numine noſtro.*) Non propitiis Diis. Sic Æn. 12. v. 539. *Nec Dii texere Cupeatum, Ænea veniente, ſui.* De *Orco*, qui pro inferis ſumitur, Georg. 1. 277.

404. *Caſſandra, &c.*) Supra v. 246. In templo Minervæ viriata ab Ajace Oilei filio, Æn. 1. 44. De *Ajace* Oilei, de quo hic mentio, Æn. 1. 45. De *Atridis*, Atrei filiis, Agamemnone, Æn. 3. 54. & Menelao, ſupra v. 264. De *Dolopibus*, ſupra v. 7.

416. *Quondam*) Aliquando, ſupra v. 367.

417. *Zephyrus, &c.*) Ventus occidentalis, Ecl. 5. 5. *Notus.*) Qui & *Auſter*, meridionalis, a νοτὶς *humidus*: Ecl. 2. 58.

418. *Eurus.*) Orientalis, unde equis invectus dicitur *Eois*, ab ἠὼς, *Aurora*. Et vero Horatius equos etiam Euro tribuit, Od. 4. 4. 44. *Per Siculas equitavit undas.*

419. *Nereus.*) Juxta aliquos pro *Neptuno* ſumitur, ob tridentem: juxta Orpheum pro Deorum antiquiſſimo: juxta Heſiodum, pro Ponti filio: juxta omnes, pro Nereidum Nympharum patre, & uno e maris præſidibus.

423. *Ora ſono diſcordia.*) Alii enim Phrygia, alii Græca lingua utebantur: quidam expli-



Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adverſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyruſque, Notuſque, & lætus Eois
Eurus equis: ſtridunt ſilvæ: ſævitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, ſi quos obſcura nocte per umbram
Fudimus inſidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clypeos mentitaque tela
Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero, primuſque Chorœbus
Penelei dextra Divæ armipotentis ad aram
Procumbit: cadit & Ripheus, juſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, & ſervantiſſimus æqui.
Dis aliter viſum. Pereunt Hypaniſque, Dymaſque
Confixi a ſociis: nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro, nec tela, nec ullas
Vitaviſſe vices Danaum; &, ſi fata fuiſſent
Ut caderem, meruiſſe manu. Divellimur inde,
Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulyſſei.
Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nuſquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum Danaoſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.

Hæ-

*& gemini filii Atrei, & omnis exercitus Dolopum. Quemadmodum venti oppoſiti ſciſſo turbine aliquando certant, & Zephyrus, & Notus, & Eurus exſultans equis orientalibus: ſibilant ſilvæ, ac Nereus ſpumoſus tridente furit, & commovet mare* ab *imo fundo. Illi etiam, ſi aliquos per tenebras obſcuræ noctis fugavimus dolis, & diſperſimus tota urbe, occurrunt; primique agnoſcunt ſcuta & arma ſimulata, & notant voces ſono diſcrepantes* a ſuis. *Statim opprimimur numero, & primus Chorœbus occiditur manu Penelei ad aram Deæ Palladis. Occiditur etiam Ripheus, qui inter Trojanos unus omnium juſtiſſimus fuit, & obſervantiſſimus æquitatis. Aliter viſum eſt Diis. Moriuntur Hypanis & Dymas, confoſſi a civibus; nec multa religio tua, nec vittæ Phœbi protexerunt te morientem, o Panthu. Trojani cineres, & ſupremi ignis meorum, teſtor* vos *me in exitio veſtro nec effugiſſe arma, nec ulla pericula* illata *a Græcis: & ſi fatum voluiſſet ut morerer, me dignum fuiſſe* propter *facta. Abſtrahimur inde, Iphitus & Pelias mecum, e quibus Iphitus jam erat annis tardior, Pelias etiam tardatus ob plagam ab Ulyſſe acceptam. Statim vocamur clamoribus ad regiam Priami. Illic autem* videmus *magnum certamen, quaſi nulla eſſent alibi prælia, & nulli morerentur reliqui in urbe; ſic videmus Martem effrænem, & Græcos ad faſtigia aſcendentes, & portas obſeſſas admota teſtudine.*

*Scalæ*

N O T Æ.

explicant de vario militum ſymbolo, Ital. *il nome.*

425. *Penelei.*) Unius e quinque Bœotorum ducibus, qui ad expeditionem Trojanam venerant, Iliad. 2. 494. *Armipotentis.*) Palladis, quæ quaſſans arma e cerebro Jovis nata eſt, unde nomen a πάλλω *quaſſo.*

428. *Dis aliter viſum.*) Licet juſtiſſimus eſſet, viſus eſt tamen Diis reus ac morte dignus eſſe. De *infula*, ſeu vittis Apollinis, v. 133. De *Apolline*, Ecl. 3. 104.

434. *Meruiſſe manu.*) Me dignum fuiſſe morte propterea, quæ *manu* feceram: nempe ob cædes Græcorum plurimas.

440. *Martem.*) Pro bello, cujus Deus eſt, Ecl. 9. 12.

441. *Teſtudine.*) Machina, quæ inventa dicitur bello Trojano. Sic deſcribitur a Livio l. 44. 9. *Scutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſubmiſſioribus, tertiis magis & quartis, poſtremis etiam genu nixis, faſtigatam, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant.* Ait Xiphilinus in Auguſto, tam firmam fuiſſe, ut homines ſupra illam ire poſſent; ſed & equi agi & vehicula. Nomen a corio *teſtudinis, tartaruga*: Græcis χελώνη a clypeis ſimul nexis. De *poſtibus*, Æn. 1. 452.

434. *Tectorum inter ſe, &c.*) Videntur concinna

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Hærent parietibus ſcalæ, poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus: clypeoſque ad tela ſiniſtris
Protecti objiciunt, prenſant faſtigia dextris.
Dardanidæ contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt; his ſe, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis;
Aurataſque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt: alii ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores, has ſervant agmine denſo.
Inſtaurati animi, regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus
Tectorum inter ſe Priami, poſteſque relicti
A tergo: infelix qua ſe, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata ſolebat
Ad ſoceros, & avo puerum Aſtyanacta trahebat.
Evado ad ſummi faſtigia culminis, unde
Tela manu miſeri jactabant irrita Teucri.
Turrim in præcipiti ſtantem, ſummiſque ſub aſtra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaum ſolitæ naves, & Achaica caſtra,
Aggreſſi ferro circum, qua ſumma labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimuſque. Ea lapſa repente ruinam
Cum ſonitu trahit, & Danaum ſuper agmina late
Incidit: aſt alii ſubeunt; nec ſaxa, nec ullum
Telorum interea ceſſat genus.
Veſtibulum ante ipſum primoque in limine Pyrrhus
Exſultat, telis & luce coruſcus ahena.

Qua-

*Scalæ affiguntur muris, & innituntur gradibus ad ipſas portas: & Græci tecti opponunt ſiniſtris* manibus *clypeos ad jacula, dextris apprehendunt tecta. Contra Trojani diruunt turres & culmina tegentia domos, ſiquidem vident extremas* res: *conantur defendere ſe his armis in ruina jam ſuprema: & dejiciunt auratas trabes, magna ornamenta antiquorum patrum: alii ſtrictis gladiis occupaverunt portas,* & *has defendunt ſpiſſa multitudine. Renovatus* eſt mibi *ardor ſuccurrendi domui regis, & adjuvandi viros auxilio, & addendi vires victis. Erat limen, & janua occulta, & pervia conjunctio domorum Priami inter ſe, & porta relicta a tergo: qua miſera Andromache, dum ſtabant regna, ſæpe ſolebat abſque comitatu ſe conferre ad ſoceros, & ducebat avo puerum Aſtyanacta.* Hac *aſcendo ad faſtigia ſummi tecti: unde miſeri Trojani vibrabant manibus ſpicula inania. Evertimus ab altiſſima parte, & disjecimus turrim ſitam in loco declivi, & ſummis tectis elatam ad ſidera, unde ſolebat tota Troja ſpectari, & naves Græcorum, & Achaja caſtra:* poſtquam eam *circum accidimus ferro, qua parte ſupremum tabulatum reddebat juncturas* parietis *infirmiores. Illa* turris *extemplo concidens ruinam fecit cum tumultu, & late incubuit ſuper turmas Græcorum: ſed alii ſuccedunt, nec lapides, nec ullum genus armorum interim ceſſat. Ante ipſum introitum, & ad primam portam, Pyrrhus gaudet fulgens armis, & luce* armorum *æreorum.*

Qua-

NOTÆ.

tinua duo fuiſſe palatia Priami & Hectoris, cujus Andromache uxor fuit. *Relicti.* Ab hoſtibus, qui poſticam illam januam non animadverterant.

456. *Andromache.*) Filia Eetionis regis Thebes in Cilicia, minoris Aſiæ provincia. Occiſo marito Hectore, Priami & Hecubæ filio, captaque Troja, Pyrrho ceſſit in prædam: a quo ducta in Epirum ex eo Moloſſum ſuſcepit; ac deinde Heleno, Priami item filio, cum regni Epirotici parte in uxorem conceſſa eſt. *Soceri* igitur Andromaches fuere Priamus & Hecuba.

457. *Aſtyanacta.*) Filium unicum Andromaches ex Hectore: hic poſt Trojam captam cum quæreretur a Græcis ad mortem, occultatus a matre in ipſo Hectoris tumulo, indeque dolo Ulyſſis erutus, e turri præceps actus eſt.

462. *Achaica caſtra.*) De Achaia, Græciæ regione, Æn. 1. 492. De *Danais*. Ib. 34.

463. *Qua ſumma, &c.*) Qua trabium, quæ ſummum tabulatum ſuſtinebant, capita parie-

rie-



Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.
Una ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon: una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant.
Ipſe inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, poſteſque a cardine vellit
Æratos: jamque exciſa trabe firma cavavit
Robora, & ingentem lato dedit ore feneſtram.
Apparet domus intus & atria longa pateſcunt:
Apparent Priami & veterum penetralia regum:
Armatoſque vident ſtantes in limine primo.
At domus interior gemitu miſeroque tumultu
Miſcetur, penituſque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea ſidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.
Inſtat vi patria Pyrrhus; nec clauſtra, neque ipſi
Cuſtodes ſufferre valent: labat ariete crebro
Janua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primoſque trucidant
Immiſſi Danai, & late loca milite complent.
Non ſic, aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitaſque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit. Vidi ipſe furentem
Cæde Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas:

Vidi

*Qualis* eſt *coluber, quem hyems frigida occultabat effœtum ſub terra, quando refectus venenatis herbis, & jam reparatus depoſita pelle, ac juventute conſpicuus, elato pectore protrahit in lucem lubricum dorſum, erectus ad ſolem, & vibrat linguam tricuſpidem. Simul magnus Periphas, & armiger Automedon ductor equorum Achillis: ſimul tota juventus Scyri* inſulæ, *aſcendunt ad tectum, & conjiciunt ignes ad faſtigia.* Pyrrhus *ipſe inter primos correpta ſecuri durum limen perrumpit, & e cardinibus eruit portas æreas: & jam abſciſſa trabe perforavit duriſſima ligna, fecitque magnum hiatum lato ſpatio. Apparet interior domus, & longa atria patent; apparent receſſus Priami & antiquorum regum: & cernunt milites reſiſtentes in ipſo aditu. At domus interior turbatur luctu & miſero tumultu: cavæ ædes intime reſonant planctibus fœminarum; clamor ferit aſtra lucida. Tunc timidæ matres vagantur tota domo, & hærent amplexæ portas,* iiſque *dant oſcula. Urget Pyrrhus paterno impetu; nec obices, nec ipſi cuſtodes poſſunt eum ſuſtinere; janua quatitur multo ariete, & portæ concidunt ejectæ e cardinibus. Fit via per vim, & Græci immiſſi pandunt* ſibi *aditum, & occidunt in arietis formam primos, & undique replent palatia militibus.* Non *ſic ſpumans fluvius volvitur in agros furens auctu* aquarum, *& per omnes campos evertit armenta cum ſtabulis: quando fractis obicibus exundavit, & ſuperavit* aquarum *copia moles oppoſitas. Ipſe vidi furioſum cædibus Pyrrhum & duos Atrei filios in limine;*

Vi-

NOTÆ.

rieti immiſſa, infirmiorem illum reddebant, & ſcindi facilem. De *Pyrrho*, ſupra v. 263.

471. *Qualis ubi, &c.*) De illa ſerpentis renovatione, herbarum paſtu, lingua tricuſpide, jam diximus, Georg. 3. 437.

477. *Scyria pubes.*) E Scyro inſula, una e Cycladibus, in qua regnavit Lycomedes: apud quem depoſitus a Thetide Achilles puellari habitu, ne ad bellum raperetur, interim ex Deidamia Lycomedis filia Pyrrhum ſuſcepit. De *bipenni*, ſecuri utrinque acuta, Georg. 4. 331. De *limine, poſtibus, cardine*, Æn. 1. 452.

491. *Vi patria.*) Hauſta e patris Achillis exemplo, qui ex *Horat.* de A. P. 292. *Iracundus, inexorabilis, acer.*

492. *Ariete.*) Machina fuit longior, cujus caput in arietis caput ex ære conformatum, in urbium portas magna vi librabatur. De *Pyrrho Neoptolemo*, ſupra v. 263.

501. H-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipſe ſacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum,
Barbarico poſtes auro ſpoliiſque ſuperbi,
Procubuere: tenent Danai, qua deficit ignis.
Forſitan & Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis ubi captæ caſum, convulſaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hoſtem;
Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.
Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus,
Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ,
Condenſæ, & Divum amplexæ ſimulacra tenebant.
Ipſum autem ſumptis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: Quæ mens tam dira, miſerrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget: non, ſi ipſe meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes,
Aut moriere ſimul. Sic ore effata, recepit

Ad

*Vidi Hecubam, & centum fœminas, & Priamum inter aras inficientem ſanguine ignes, quos dicaverat* Diis. *Quinquaginta cubicula,* in quibus erat ei *magna ſpes poſteritatis: portæ ornatæ auro peregrino, & ſpoliis, ceciderunt: ubi deeſt ignis, occupant* locum Græci. *Forte etiam petes, quæ fuerit ſors Priami. Poſtquam vidit ruinam captæ urbis, & perruptas portas domus, & hoſtem in medio ejus receſſu: ſenex fruſtra induit humeris ſenio trementibus arma diu deſueta, & accingitur gladio inutili, & ruit moriturus in confertos hoſtes. In media domo & ſub apertis auris cœli fuit ara magna, & prope laurus antiquiſſima, imminens aræ, & tegens umbra* Deos *domeſticos. Hic Hecuba, & ejus filiæ fruſtra circa aras confertæ, ſicut fugientes columbæ per nigram tempeſtatem, & amplectentes Deorum ſtatuas,* eis *adhærebant. Cum vero vidit Priamum ipſum ſumptis armis juvenilibus: Quæ tam funeſta mens, ait, o miſer marite, impulit* te *ad induenda hæc arma? aut quo curris? Tempus* præſens *non indiget tali ſubſidio, nec talibus propugnatoribus; ne ſi meus* quidem *Hector nunc ipſe adeſſet. Huc denique* te *recipe: hæc ara proteget cunctos, aut morieris nobiſcum. Sic ore loquuta, accepit ſenem*

juxta

NOTÆ.

501. *Hecubam.*) Uxorem Priami, filiam Ciſſei Thraciæ regis: quæ in ſervitutem a Græcis abducta, fingitur mutata in canem, quia Græcos inanibus conviciis laceſſebat. *Centumque nurus. Nurus*, proprie uxor filii eſt, *nuora*. Cum tamen conſtet Priamum filios centum, atque adeo centum nurus, non habuiſſe, conſtat hic juniores intelligi fœminas, quæ in comitatu Hecubæ erant, aut ad ea confugerant: ut apud Ovid. Met. 2. 364. de populis arboribus loquentem: *Inde fluunt lacrymæ, ſtillataque Sole rigeſcunt de ramis electra novis, quæ lucidus amnis excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.* De *aris* Priami, infra v. 513.

503. *Quinquaginta illi thalami.*) Separata cubicula. Priamus enim ex Homero Iliad. 6. 244. totidem habuit thalamos, ubi filii totidem apud uxores habitabant: & e regione thalamos præterea duodecim, ubi totide habitabant filiæ apud generos: ergo liberos habuit ex utroque ſexu duos ac ſexaginta, e variis uxoribus, præſertimque ex Hecuba novemdecim, ut ait ipſe Priamus, Iliad. ultimo, 496.

504. *Barbarico.*) Cardanus probat exemplis compluribus, *Barbaricum* & *Phrygium* idem eſſe, & Phryges divitiis fuiſſe inſignes: & certum quidem eſt barbaros a Græcis vocatos eſſe Aſiaticos omnes, quales erant Trojani, Phryges, & Perſæ. Nec tamen puto patriam Æneæ barbaram ab Ænea ipſo hic appellari: igitur melius explica de auro Aſiaticis aliis gentibus per bellum direpto, præcipue quia cum *ſpoliis* hic jungitur.

512. *Sub ætheris axe.*) *Sub Dio*, vel *ſub Jove*; id eſt, ſub ipſo aere & aperto cœlo, quem locum in mediis domibus *impluvium* vocant. *Axe.*) Cœlo. Vel quia pars cœli nobis imminens ſignum habet maxime con-

ſpi-



Ad ſeſe, & ſacra longævum in ſede locavit.
Ecce autem elapſus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hoſtes
Porticibus longis fugit, & vacua atria luſtrat
Saucius: illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus
Inſequitur, jam jamque manu tenet, & premit haſta.
Ut tandem ante oculos evaſit & ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci, iræque pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis
Di (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.
At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo; ſed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpuſque exſangue ſepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remiſit.
Sic fatus ſenior, telumque imbelle ſine ictu
Conjecit: rauco quod protinus ære repulſum,
Et ſummo clypei nequicquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipſa trementem

Tra-

*juxta ſe, & poſuit* eum *in ſacro ſedili. Ecce autem Polites, unus filiorum Priami, evitata morte illata a Pyrrho, inter arma, inter hoſtes, fugit per longas porticus, & pererrat ampla atria, vulneratus: Pyrrhus furens perſequitur illum inimico telo, & prope manu attingit, urgetque haſta. Poſtquam autem* Polites *pervenit ante oculos, & ora parentum, cecidit, & emiſit animam cum multo ſanguine. Tum Priamus etſi jam in media morte poſitus, tamen non* ſibi *temperavit, nec iram & vocem continuit. Tibi vero, exclamat, Dii referant meritam gratiam, & reddant debitam mercedem pro hoc crimine, & talibus factis; ſi eſt* in *cœlo aliqua pietas, quæ provideat talia:* tibi, inquam, *qui feciſti me coram videre mortem filii, & funeſtaſti faciem patris* hac *cæde. At ille Achilles, ex quo fingis te procreatum eſſe, talis non fuit erga hoſtem Priamum: ſed rationem habuit juris* gentium & *fidei* debitæ *ſupplicantibus; & reſtituit tumulo exanime corpus Hectoris, & me remiſit in urbem meam. Sic dixit ſenex, & projecit telum debile abſque impetu: quod ſtatim reſiliit* ex *ære rauco, & fruſtra pependit e ſummo umbone clypei. Cui Pyrrhus* reſpondit: *Feres ergo iſta, & ibis nuntius ad Achillem patrem* meum: *memento narrare illi mea indigna facta, & Pyrrhum degenerem. Nunc morere. Hæc dicens trahit* eum *ad ipſas aras trepidum, & vacillantem in medio ſanguine filii, &*

invol-

NOTÆ.

ſpicuum, *urſam*, ſive *ſeptentriones*; quod & *plauſtrum* dicitur, & *axis* ideo dici poteſt, juxta Servium. Vel quia, ſicut *poli*, ita & *axis*, pro toto cœlo ſumitur: ſunt enim *poli*, puncta duo axem terminantia; *axis* autem linea ipſa ſive obelus, circa quem cœlum volvi concipitur.

513. *Ingens ara fuit.*) Ara illa, in loco ſubdiali & aperto, medus in ædibus poſita fuit, & *Jovi Herceo* dicata ex Athenæo, l. 5. Ad hanc occiſus fuit Priamus ex Euripide, Pauſania, Ovidio, Seneca. Dicebatur Herceus [illegible], ab [illegible] *ſeptum*, qui intra domorum ſepta ſtatuebatur ejus ara. Præter oculos naturales duos, tertium habebat in fronte ex Pauſania in Corinth. Non aſſentior Turnebo l. 4. 16. in hac ara ſacratum fuiſſe ignem perpetuum, ſed ignem recens a Priamo excitatum ad placandos Deos, de quo v. 502. *Laurus.* Hanc aliqui dicent arte factã fuiſſe: cujus truncus cubitorũ duodecim ex auro puriſſimo, rami & folia ex auro & argento, flores & fructus e gemmis. Sed ſativam & naturale puto.

514. *Penates.*) Vel domum intelligit, vel ſtatuas domeſticorum Deorum cum Herceo Jove in eadem ara poſitas. De *Penatibus*, infra v. 717.

529. *Vulnere.*) Ictu, vel telo, quo vulnus infligitur.

541. *Supplicis, &c.*) De hac Priami ſupplicatione apud Achillem, pro repetendo Hectoris cadavere, Æn. 1. 103.

546. *Umbone.*) *Umbo*, [illegible] eſt quidquid in plano eminet, rotunda figura: talis erat media pars clypei. *Pelides*: Achilles, filius Pelei, de quo Æn. 1. 34.



553. Hæc

Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam læva, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incenſam & prolapſa videntem
Pergama, tot quondam populis terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ: jacet ingens litore truncus,
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.
At me tum primum ſævus circumſtetit horror:
Obſtupui; ſubiit chari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: ſubiit deſerta Creuſa,
Et direpta domus, & parvi caſus Iuli.
Reſpicio, &, quæ ſit me circum copia, luſtro.
Deſeruere omnes defeſſi, & corpora ſaltu
Ad terram miſere, aut ignibus ægra dedere.
Jamque adeo ſuper unus eram, cum limina Veſtæ
Servantem, & tacitam ſecreta in ſede latentem
Tyndarida aſpicio: dant clara incendia lucem
Erranti, paſſimque oculos per cuncta ferenti.
Illa ſibi infeſtos everſa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaum, & deſerti conjugis iras
Permetuens, Trojæ & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat ſeſe, atque aris inviſa ſedebat.
Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem
Ulciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriaſque Mycenas
Aſpiciet? partoque ibit regina triumpho?

Con-

*involvit ſiniſtra capillos, ac dextera ſuſtulit enſem micantem, condiditque in* ejus *latus uſque ad manubrium. Hic fuit terminus caſuum Priami: hic exitus fato abſtulit eum, videntem Pergama everſa, & Trojam combuſtam,* eum inquam *regem Aſiæ, clarum propter tot gentes, & tot regiones: jacet in litore magnus truncus, & caput abſciſſum* ex *humeris, & cadaver ſine nomine. Tunc vero primum dirus horror invaſit me. Attonitus fui: venit* in mentem *imago dilecti patris* mei, *quando vidi regem* ipſi *coævum efflantem crudeli plaga animam: venit* in mentem *Creuſa derelicta, & ſpoliata domus, & periculum parvi Aſcanii. Circumſpicio, & quæro quænam eſſet circa me multitudo. Omnes* me *reliquerant fatigati, & corpora ſaltando præcipitaverant in terram, aut afflicta conjecerant in flammas. Et jam fere reſtabam ſolus, cum video filiam Tyndarei occupantem templum Veſtæ, & clam occultam in arcano loco: claræ flammæ præbent lumen vaganti* mihi, *& circumquaque intendenti oculos in omnia. Illa communis furia Trojæ, & Græciæ, timens Trojanos ſibi infenſos ob ruinam Trojæ, & ſupplicia a Græcis* inferenda, *& furorem derelicti mariti, occultaverat ſeſe, & hærebat aris non viſa. Accenſus eſt furor* in *animo: ſubortus eſt ardor vindicandi patriam everſam,* & *repetendi pœnas ſceleris. Nempe,* ajebam, *hæc videbit illæſa Spartam & Mycenas patrias? & abibit regina poſt partam victoriam?*

*& cer-*

NOTÆ.

554. *Hæc finis.*) Vulgo maſculini generis eſt: hic etiam fœminini, ut & Æn. 5. 384. *Quæ finis ſtandi?*

557. *Regnatorem Aſiæ.*) Priamus enim imperaſſe dicitur Phrygiæ minori ac majori, quæ maximā Aſiæ minoris partem complectuntur.

*Litore truncus.*) Dicitur enim a quibuſdam Priamus a Pyrrho tractus ab ara domeſtica ad Achillis tumulum, qui erat in litore Sigei promontorii, ibique occiſus: Virgilius occiſum quidem vult ad aram, ſed cadaver deinde protractum fuiſſe ad litus innuit.

562. *Creuſa.*) De ea infra, v. 772.

567. *Jamque adeo, &c.*) Verſus duos & viginti ſequentes ſuſtuliſſe dicuntur Varius & Tucca; eo quod ea, quam continent, Helenæ fuga contraria videatur iis, quæ leguntur Æn. 6. v. 511. ubi dicitur Helena, non apud Priamum, ſed apud filium Priami Deiphobum, ſuum poſt necem Paridis maritum, habitaſſe; & in ejus domum Græcos ad ipſum jugulandum induxiſſe: *intra tecta vocat Menelaum & limina pandit; ſcilicet id magnum ſperans fore munus amanti, & famam extingui veterum ſic poſſe malorum.* At reſpondeo cum Naſcimbæno, dici poſſe, ſpem Helenæ de placado Menelao vanā fuiſſe, quod innuit vox illa *ſcilicet*; proditoque Deiphobo, Helenam, cum ſe nihilominus velut

hoſtem



Conjugiumque, domumque, patres, natoſque videbit,
Iliadum turba & Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine litus?
Non ita: namque etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas; animumque explesse juvabit
Ultricis flammæ, & cineres ſatiaſſe meorum.
Talia jactabam, & furiata mente ferebar:
Cum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulſit
Alma parens, confeſſa Deam; qualiſque videri
Cœlicolis & quanta ſolet; dextraque prehenſum
Continuit, roſeoque hæc inſuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam noſtri tibi cura receſſit?
Non prius aſpicies, ubi feſſum ætate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet conjuxne Creuſa,
Aſcaniuſque puer? quos omnes undique Grajæ
Circumerrant acies: &, ni mea cura reſiſtat,
Jam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit enſis.
Non tibi Tyndaridis facies inviſa Lacænæ,
Culpatuſve Paris, verum inclementia Divum
Has evertit opes, ſternitque a culmine Trojam.
Aſpice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis

Juſſa

*& cernet maritum, & domum, & parentes, & filios, ſtipata multitudine Trojanarum & famulis Phrygiis? Priamus* interea *gladio perierit? Troja arſerit igne? Trojanum litus tam ſæpe maduerit ſanguine? Non ſic* erit: *nam licet nulla ſit memorabilis gloria in punitione fœminæ,* & *talis victoria non ſit digna laude: tamen laudabor* quod *occiderim ſceleratam, & pœnis affecerim ream; & dulce erit explevisse deſiderium ardentiſſimæ ultionis, & ſatisfeciſſe manibus* meorum *civium. Talia dicebam, & currebam furioſo animo: cum alma mater* mea *præbuit ſe mihi videndam, nuſquam antea tam manifeſta oculis: & in tenebris reſplenduit nitido lumine, faſſa* ſe *Deam* eſſe, *& qualis ac quanta ſolet apparere Divis, & repreſſit me dextra apprehenſum; prætereaque adjecit hæc verba ore roſeo: Fili, quis tantus dolor commovet* hanc *iram intractabilem? Cur furis? aut quem in* locum *tibi abiit cura noſtrarum* rerum? *Nonne prius quæres, ubi deſerueris patrem* tuum *Anchiſen, annis gravem & an ſuperſit uxor Creuſa, aut Aſcanius filius? quos omnes cingunt undique turmæ Græcorum; & ni mea ſollicitudo obſtitiſſet, jam ignis abſumpſiſſet, aut gladius hoſtilis interfeciſſet. Non vultus Helenæ Lacedæmoniæ tibi odioſus, aut* toties *incuſatus Paris, ſed Deorum ira delet hanc potentiam, & dejecit Trojam ex* alto *faſtigio. Vide: nam auferam omnem nubem, quæ offuſa tibi aſpicienti debilitat oculos mortales, & humida circum nigreſcit: tu ne ulla matris imperia metue, & ne abnuas obtemperare* ejus *mandatis.*

Illi

NOTÆ.

hoſte peti animadvertiſſet, evaſiſſe fuga in Veſtæ templum, ſecrarium domus regiæ, per illud ipſum poſticum oſtium, quo Æneas eumdem in locū penetraverat. Et vero Euripides in Troad. v. 35. 875. 1056. docet Helenam cum Trojanis mulieribus captivam a Menelao abductam eſſe, eo conſilio, ut Græcis, quorum liberi Trojano bello perierant, occidenda traderetur.

569. *Tyndaris* vocatur, ob *Tyndareum* patrem, Spartæ regem. Æn. 1. 654.

573. *Erinnys.*) Furiis commune nomen, ſupra v. 337. De *Veſta*, v. 296.

577. *Spartam.*) *Sparta* ſive *Lacedæmon* patria Helenæ, urbs Peloponneſi, ut & Mycenæ: quare autem dicatur etiam ejus patria *Mycenæ*, diximus Æn. 1. 654.

580. De *Phrygia*, Æn. 1. 385.

585. *Nefas.*) Pro perſona ſceleſta & nefaria: ſic frequenter apud Plautum uſurpatur *ſcelus*.

600. *Hauſerit.*) De hac voce, pro *vulneravit, occidit*, Æn. 10. 314.

601. *Tyndaridis Lacænæ, &c.*) Helenæ, Tyndarei filiæ, Lacedæmoniæ, Æn. 1. 654. *Lacæna*, fœmininū, non a maſculino *Lacænus*, ſed a *Lacon*, incola Laconiæ; ut a λέων *leo*, λέαινα, *leæna*.

602. De *Paride*, Æn. 1. 31.



610. N-

Juſſa time, neu præceptis parere recuſa.
Hic ubi disjectas moles, avulſaque ſaxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque a ſedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scæas ſæviſſima portas
Prima tenet, ſociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam ſummas arces Tritonia, reſpice, Pallas
Inſedit, nimbo effulgens & Gorgone ſæva.
Ipſe Pater Danais animos vireſque ſecundas
Sufficit: ipſe Deos in Dardana ſuſcitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nuſquam abero, & tutum patrio te limine ſiſtam.
Dixerat, & ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deum.
Tum vero omne mihi viſum conſidere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja.
Ac veluti ſummis antiquam in montibus ornum
Cum ferro acciſam crebriſque bipennibus inſtant
Eruere agricolæ certatim; illa uſque minatur,
Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat:
Vulneribus donec paullatim evicta ſupremum
Congemuit, traxitque jugis avulſa ruinam.
Deſcendo, ac ducente Deo flammam inter & hoſtes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.

Aſt

*Illic ubi cernis moles proſtratas, & lapides avulſos lapidibus, & fumum undatim* ſurgentem *mixto pulvere, illic Neptunus ſuccutit fundamenta impulſa magno tridente, & a radicibus totam urbem convellit. Illic ferociſſima Juno prima occupat Scæas portas, & armata ferro ac furioſa vocat e navibus exercitum ſociorum. Jam, aſpice, Tritonia Pallas ſtetit in ſummis arcibus, reſplendens nube & torvo* capite *Meduſæ. Ipſe Jupiter ſuggerit Græcis animos & robur opportunum: ipſe commovet Deos adverſus arma Trojana. Fili, accelera fugam, & pone finem laboribus. Nuſquam te deſeram, & ducam te ſecurum ad paternam domum.* Sic *locuta fuerat, & ſtatim abdidit ſe denſis tenebris noctis. Apparent horrendæ ſpecies, & numina magna Deorum adverſa Trojæ. Tunc vero omne Ilium viſum eſt mihi recumbere in flammas, & Troja Neptunia a fundamentis ſubrui. Et quemadmodum quando in altis montibus ruſtici conantur certatim evellere veterem ornum circumciſam ferro, multiſque ſecuribus; illa diu minatur, & ramis tremens vacillat emoto cacumine: donec paullatim victa ictibus, poſtremum inſonuit, & evulſa fecit ruinam in montibus. Deſcendo, ac ducente Venere elabor inter ignes & hoſtes:* eorum *arma permittunt* mihi *viam, & ignes retro abeunt.*

Sed

## N O T Æ.

610. *Neptunus muros, &c.*) Neptunum Virgilius Trojanæ urbi infeſtum facit, ob perjurium Laomedontis, qui Deum illum pacta mercede fraudavit, poſtquam is cum Apolline muros urbis condidiſſet: G. 1. 502. Neptunus tamen apud Euripid. in prologo Troad. ait ſe Trojanis benevolum ſemper fuiſſe, ex quo muros eorum condiderat: ſed in fabulis incerta omnia. Atque Servius Laomedontem Apollini & Neptuno pecuniam ad ſacra voviſſe, ac deinde ad murorum fabricam convertiſſe: unde fabula emanavit, Deos, & feciſſe muros, & regi offenſos fuiſſe. De *Neptuno*, Æn. 1. 129.

612. *Scæas portas.*) Trojæ portas ſex fuiſſe ait Dares, *Antenorida, Dardaniam, Iliam, Catumbriam, Trojanam, & Scæam.* Hæc nomen habuit, vel a σκαιὰ *ſiniſtra*, quod in ſiniſtra urbis parte eſſet; vel a σκήνη *tentorium, tabernaculum*, quod hic ſepulcrum eſſet Laomedontis: vel juxta Strabonem l. 13. vox eſt Thracica, cujus ſignificatum non affert.

615. *Tritonia.*) Supra v. 171. *Pallas* Æn. 1. 43.

616. *Nimbo.*) Servius explicat, *nube divina*: & puto circulum eſſe lucidum, huic ſimilem diademati, quo Divorum capita Chriſtiani præcingunt. Atque Iſidorus l. 19. 31. *Nimbum* quoque dici *faſciolam tranſverſam ex auro, aſſutam in linteo, quod eſt in fronte fœminarum*. Qua voce uſus eſt Arnobius l. 2. *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis*. Et Plautus in Pœnulo Act. 1. ſc. 2. v. 135. Meretricem vocat *nimbatam*.

*Gorgone.*) *Meduſa, Euryale, Sthenyo*, Phorci fi-



Aſt ubi jam patriæ perventum ad limina ſedis,
Antiquaſque domos: genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat exciſa vitam producere Troja,
Exiliumque pati. Vos o, quibus integer ævi
Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me ſi cœlicolæ voluiſſent ducere vitam,
Has mihi ſervaſſent ſedes: ſatis una ſuperque
Vidimus excidia, & captæ ſuperavimus urbi.
Sic o, ſic poſitum affati diſcedite corpus.
Ipſe manu mortem inveniam: miſerebitur hoſtis,
Exuviaſque petet: facilis jactura ſepulcri eſt.
Jampridem inviſus Divis & inutilis annos
Demoror: ex quo me Divum pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.
Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat.
Nos contra effuſi lacrymis, conjuxque Creuſa,
Aſcaniuſque, omniſque domus: ne vertere ſecum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque & ſedibus hæret in iiſdem.
Rurſus in arma feror, mortemque miſerrimus opto.
Nam quod conſilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te poſſe relicto
Speraſti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et ſedet hoc animo, perituræque addere Trojæ

Te-

*Sed poſtquam jam progreſſum ad januam paternæ domus, & veteres ædes; pater, quem cupiebam exportare primum in altos montes, & ad* quem *primum ibam, renuit protrahere vitam, & tolerare exilium, poſt everſam Trojam, & dicit: O vos, quibus ſanguis ætate viget, & ſanæ vires ſtant propria firmitate, vos tentate fugam. Si ſuperi voluiſſent me proferre vitam, ſervaſſent mihi hanc domum: ſatis & pluſquam* ſatis eſt, me *vidiſſe jam unum excidium, &* ſatis *ſuperfui captæ urbi. Abite o,* poſtquam ultimum *vale dixeritis meo cadaveri ſic depoſito. Ipſe reperiam mortem* propria *manu, aut hoſtis miſertus* mei me occidet, *& detrahet mihi ſpolia: leve eſt privari ſepulcro. Jamdudum odioſus Diis & inutilis traho vitam: ex quo pater Deorum & rex hominum afflavit me aura fulminis, & tetigit igne. Talia dicens perſtabat & manebat pertinax. Nos contra effuſi in fletus, & uxor Creuſa, & Aſcanius, & tota domus: ne pater vellet evertere omnia ſecum, & vim addere fato nos prementi. Abnuit* hoc, *& hæret in propoſito & loco eodem. Iterum curro ad pugnam, & infeliciſſimus mortem appeto. Quod enim* aliud *conſilium, vel quæ fors jam offerebatur? An ſperaſti, o pater, me poſſe* hinc *exportare pedem, te deſerto? an tantum crimen exiit* ex *ore patris? Si placet Diis nihil ſupereſſe ex urbe tanta, & ſi hoc fixum eſt* in eorum *mente, & delectat eos adjicere te ac tuos* Trojæ mox *perituræ; aperta eſt via*

ad

## N O T Æ.

ci filiæ, apud inſulas Dorcadas in Æthiopico Oceano regnaſſe dicuntur; *Gorgones* dictæ a γοργότης *velocitas*. Ex his, cum *Meduſa* vim a Neptuno paſſa eſſet in Minervæ templo, Minerva capillos ejus mutavit in ſerpentes, quorum aſpectu homines in ſaxa vertebantur. Hoc deinde caput Perſeus, Jovis & Danaes filius, abſcidit auxilio Minervæ: quæ ſuum ipſi clypeum eam in rem commodavit ex ære politiſſimo, quo velut in ſpeculo reflexam capitis ſpeciem tuto aſpiceret: abſciſſum caput Minerva deinceps eidem ſuo clypeo ad terrorem impoſuit.

625. *Neptunia.*) A Neptuno condita, ſupra v. 610.

625. *Ornum.*) *Ornus*, fraxinus eſt ſilveſtris & montana, Ital. *fraſſino ſelvaggio*.

632. *Deo.*) Dea Venere. Nam *Deus* communi genere aliquando ſumitur. Sic Lucanus l. 2. 80. *Terribileſque Deos ſcelerum* furias appellat. Sic Euripides in Troad. v. 648. τὴν θεὸν κόλαζε *Deam objurga*, Venerem intelligit. Sic Demoſthenes in exordio orationis de Corona Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις *Deos precor cunctos & cunctas*.

642. *Una excidia.*) Cum olim ab Hercule Troja expugnata eſt, Æn. 3. 476.

644. *Poſitum affati.*) Verba duo funebria. *Poſitum* jacens, mortuum. Ovid. Heroid. 10. 124. *Nec poſitos artus unget amica manus. Affari*: morem notat Romanorum, qui ſtatim atque cadaver combuſtum aut ſepultum fuerat, antequam diſcederent, *vale* ter inclamabant.

649. *Ful-*

Teque tuoſque juvat: patet iſti janua leto.
Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis? ut mediis hoſtem in penetralibus, utque
Aſcanium, patremque meum, juxtaque Creuſam,
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais, ſinite inſtaurata reviſam
Prælia: numquam omnes hodie moriemur inulti.
Hic ferro accingor rurſus, clypeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum.
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum: cui parvus Iulus,
Cui pater, & conjux quondam tua dicta relinquor.
Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
Cum ſubitum dictuque oritur mirabile monſtrum.
Namque manus inter mœſtorumque ora parentum,
Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
At pater Anchiſes oculos ad ſidera lætus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit. Ju-

*ad hanc mortem. Et mox veniet Pyrrhus ex effuſione multi ſanguinis Priami, qui novit jugulare filium ante oculos patris, & patrem ante altaria. Hæccine erat* cauſa, *o alma mater, cur me inter arma, inter flammas ſervaviſti? ut videam hoſtem in mediis receſſibus* domus, *& ut* videam *Aſcanium, & patrem meum, & Creuſam, occiſos alterum in alterius ſanguine. O famuli, arma, date arma: dies poſtremus invitat victos.* Permittite ut *redeam ad Græcos, permittite* ut *repetam pugnas renovatas: nullatenus moriemus hodie omnes abſque ultione. Tunc iterum induor armis, & accommodans inſerebam clypeum ſiniſtræ, & conferebam me extra domum. Ecce autem uxor amplectens pedes* meos *in* ipſo *aditu* domus *hærebat, & proferebat* mihi *patri parvum Iulum: Si exis moriturus, & nos trahe tecum in omnes* caſus: *ſi vero pro*pter *experientiam* militarem *collocas aliquam ſpem in pugna, defende primo hanc domum: cui parvus Iulus, cui pater tuus* relinquuntur, *cui relinquor ego olim vocata uxor tua. Talia inclamans implebat gemitu totam domum, cum repentinum & dictu admirabile prodigium apparuit. Nam inter complexus & oſcula triſtium parentum, ecce levis apex viſus eſt e ſummo capite Iuli emittere lucem, & flamma innocua molli attactu delibare capillos* ejus *& nutriri circa tempora. Nos timidi* cœpimus *currere* præ *metu, & agitare capillos accenſos, & extinguere aqua ſacrum ignem. Sed pater Anchiſes gaudens erexit oculos ad aſtra, & protulit manus ad cœlum cum his verbis:* Ju-

NOTÆ.

649. *Fulminis afflavit, &c.*) Fulmen fere numquam, niſi vento flante, impellitur: unde pingitur cum alis, & Æn. 8. 430. Cyclopes admiſcent fulmini radios *tres ignis & alitis Auſtri*. Anchiſes autem a quibuſdam dicitur oculis privatus, hic a Virgilio tactus fulmine, eo quod ſuos cum Venere amores evulgaviſſet, nec plane occiſus; ſed *afflatus tactuſque*, ac proprie *attonitus*, unde ſtuporem & debilitatem membrorum contraxit.

683. *Apex.*) Summa pars pilei. Nam ex Servio Danielis, qui Svetonium citat, tria erant pileorum genera, quibus ſacerdotes utebantur: *apex*, *tutulus*, *galerus*. *Galerus*, pileum erat ex pelle hoſtiæ cæſæ: *tutulus*, pileum lanatum, in metæ formam: *apex*, pileum ſutile, circa medium virga eminente, cui lana circumligata erat; nomen ab antiqua voce *apio* vel *apo*, ab ἅπτω *ligo*.

693. *Intonuit lævum.*) De ſiniſtro fulmine proſpero, & hujus vocis, *lævum*, ambigua ſignificatione fuſe Ecl. 1. 16.

694. De *ſtellis*, quæ cadere videntur, & accenſis in media aeris regione ſiccis exhalationibus, G. 1. 365.

696. *Idæa ſilva.*) infra v. 801.

698. *Sul-*



Jupiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Aſpice nos, hoc tantum: &, ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore
Intonuit lævum, & de cœlo lapſa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, ſumma ſuper labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram ſe condere ſilva,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & late circum loca ſulfure fumant.
Hic vero victus genitor ſe tollit ad auras,
Affaturque Deos, & ſanctum ſidus adorat.
Jam jam nulla mora eſt: ſequor, &, qua ducitis, adſum.
Di patrii, ſervate domum, ſervate nepotem.
Veſtrum hoc augurium, veſtroque in numine Troja eſt.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuſo.
Dixerat ille, & jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiuſque æſtus incendia volvunt.
Ergo age, chare pater, cervici imponere noſtræ:
Ipſe ſubibo humeris: nec me labor iſte gravabit.
Quo res cunque cadent, unum & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, & longe ſervet veſtigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite veſtris.
Eſt urbe egreſſis tumulus, templumque vetuſtum
Deſertæ Cereris: juxtaque antiqua cupreſſus,
Religione patrum multos ſervata per annos.
Hanc ex diverſo ſedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape ſacra manu, patrioſque Penates. Me

*Jupiter omnipotens, ſi placaris ullis precibus, intuere nos, hoc ſolum* petimus: *& ſi religione meremur* aliquid, *præterea fer opem, o pater, & confirma hæc auſpicia. Vix ſenex ea dixerat, & repentino ſonitu tonuit* ad *ſiniſtram* partem, *& ſtella protrahens facem, cadens e cœlo per tenebras cucurrit multo cum lumine. Videmus hanc* ſtellam *cadentem ſupra ſumma faſtigia domus, ſe manifeſtam abdere in ſilva Idæa, & deſignantem iter: tum trames longo tractu emittit fulgorem, & circum undique loca fumant ſulfure. Tunc vero pater expugnatus convertit ſe ad cœlum, & alloquitur Deos, & adorat ſanctam ſtellam,* atque: *Nunc, nunc nulla eſt mora: ſequor, & vado, qua ducitis. O Dii patrii, cuſtodite domum, cuſtodite nepotem. Omen hoc veſtrum, & Troja* eſt *in veſtra poteſtate. Equidem cedo, nec abnuo ire tibi ſocius, o fili. Ille locutus fuerat: & jam flamma clarius* crepitans *auditur per urbem; & incendium propius ſpargit calorem. Age igitur, o dilecte pater, imponaris noſtro collo, ipſe portabo te humeris: nec iſtud pondus me premet. Quocumque res abeant, unum & idem utrique periculum, una ſalus erit. Parvus Julus mihi ſit comes, & uxor eminus ſequatur veſtigia. Vos, o famuli, defigite mentibus veſtris ea quæ dicam. Occurrit exeuntibus ex urbe colliculus, & antiquum templum Cereris deſertum: & prope vetuſta cupreſſus, ob majorum reverentiam ſervata per multos annos. Veniemus in hunc eundem locum per varias* vias. *Tu, pater, accipe manu res ſacras, & patrios Deos.* Non

NOTÆ.

698. *Sulfure.*) Fulmina enim ſulfuris odorem habere dicuntur.

703. *Augurium.*) Proprie eſt conſultatio avium ad futura prænoſcenda, tamen ad alia omnia futuri omina transfertur. Nomen ab *avium* vel *geſtu*, vel *garritu*, vel *guſtu*: quia hujus artis miniſtri ſpectabant, quomodo aves ſe gererent in volatu; quomodo garrirent; quomodo eſcam oblatam guſtarent. De *Numine* Æn. 1. 137.

714. *Cereris.*) *Ceres* fuit Saturni & Opis filia, frugum repertrix, G. 1. 39.

717. *Penates.*) Deos domeſticos: qui cum in interiore domo colerentur, ita dicti ſunt a nomine *penus*; quæ ſunt res neceſſariæ, in intima domus parte ſervatæ: ut ab *optimus*, *magnus*; *optimas*, *magnas*; *optimates*, *magnates*; ita a *penus*, *penas*, *penates*. Quinam illi eſſent, ambigitur. Alii *Jovem*, *Junonem*, ac *Minervam*, fuiſſe ajunt: alii *Neptunum* & *Apollinem*: alii *Cœlum* ac *Terram*. Arnobius Deos *conſentes* ſeu *complices*, quorum numerum ac nomina ignota fuiſſe docet. Dionyſius Halicarn. l. 1. refert ex Timæo caduceа

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Me bello e tanto digreſſum & cæde recenti,
Attrectare nefas: donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros ſubjectaque colla
Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis,
Succedoque oneri: dextræ ſe parvus Iulus
Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus æquis.
Pone ſubit conjux. Ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverſo glomerati ex agmine Graji,
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evaſiſſe viam; ſubito cum creber ad aures
Viſus adeſſe pedum ſonitus: genitorque per umbram
Proſpiciens: Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant:
Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.
Hic mihi neſcio quod trepido male numen amicum
Confuſam eripuit mentem. Namque avia curſu
Dum ſequor, & nota excedo regione viarum:
Heu! miſero conjux fatone erepta Creuſa
Subſtitit, erravitne via, ſeu laſſa reſedit,
Incertum: nec poſt oculis eſt reddita noſtris.
Nec prius amiſſam reſpexi, animumque reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris, ſedemque ſacratam
Venimus. Hic demum collectis omnibus una
Defuit, & comites, natumque, virumque fefellit.

Quem

Non licet me, redeuntem e tanta pugna & recenti ſtrage, tangere eos: donec me lavero pura aqua. Hæc locutus tegor veſte & pelle rufi leonis circa latos humeros collumque ſubmiſſum; & ſubeo onus: parvus Aſcanius adhæſit meæ dexteræ, & ſequitur me patrem paſſibus non æqualibus. Uxor juxta ſequitur. Vadimus per obſcura loca: & me, quem nulla ſpicula immiſſa, neque conferti Græci ex hoſtili exercitu antea turbabant, nunc omnes flatus terrent, omne murmur ſollicitat ancipitem, & æqualiter metuentem comiti & oneri. Et jam accedebam ad portas, & videbar exceſſiſſe ex omnibus viis: cum repente frequens ſtrepitus pedum viſus eſt allabi ad aures, & pater per noctem intuens vociferatur: Fili, fuge, fili: appropinquant: video fulgentes clypeos, & arma ærea ſplendentia. Tunc neſcio quis Deus inimicus abſtulit mihi timenti turbatam mentem. Nam dum currendo quæro loca a viis remota, & recedo e ſpatiis cognitis itinerum: heu! Creuſa uxor ſubſtitit: dubium eſt, an fato ablata mihi miſero, an aberraverit a via, an feſſa ſederit: nec deinde reſtituta eſt oculis meis. Neque vidi eam eſſe amiſſam, aut adverti mentem, prius quam perveniſſemus ad collem vetuſtæ Cereris, & templum ſacrum. Hic denique congregatis cæteris ſola defuit, & fruſtrata eſt comites & filium & maritum.

Quem

N O T Æ.

fuiſſe ærea, & ferrea, Trojanamque terram fictilem. Hos tamen ait ſe Romæ in templo vidiſſe forma duorum juvenum haſtatorum habitu ſedentium. Hi tamen *Caſtor & Pollux* eſſe non poſſunt, cum fratres eſſent Helenæ; Penates vero multo antiquiores. Hos Dardanus e *Samothracia*, inſula contra Thraciam, advexiſſe cum Palladio dicitur, & Trojæ collocaſſe; unde Æneas eos in Italiam detulerit. Porro unde Penates acceperit Æneas, dubium videri poteſt. An vere Hectoris umbra e locis, ubi ſervabantur, ipſi detulerit, ut dictum eſt v. 297. An ſimiles domi habuerit eorum ſtatuas, quas Anchiſæ patri commiſerit. An cum Palladio a Diomede acceperit, ut vidimus v. 166. An Æneas, per incendii tumultum ingreſſus arcem, eos inde extulerit: ut ait Halicarnaſſeus, negare tamen videtur Virgilius. *Lares* vero, Dii etiam fuerunt domeſtici; ut Ovidio placet, Mercurii & Laræ, ſive Larundæ, filii; juxta Plautum, canina ſpecie efformabantur: juxta Plutarchum, canina pelle tantum induebantur, propter fidam cuſtodiam domus. Exiſtimo cum Apulejo *Lares* eſſe ipſas animas parentum; qui, quod olim in ipſa domo ſepulturæ mandarentur, curare ſemper familiam putabantur ſuam: unde erat *Lar familiaris*: & *Lars* vox eſt Etruica, quæ *populi principem* ſignificat. In eoq; diſtinguo *Penates* a *Laribus*: quod *Penates* divina eſſent origine,

Lares



Quem non incuſavi amens hominumque Deorumque?
Aut quid in everſa vidi crudelius urbe?
Aſcanium, Anchiſenque patrem, Teucroſque Penates
Commendo ſociis, & curva valle recondo.
Ipſe urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
Stat caſus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, & rurſus caput objectare periclis.
Principio muros, obſcuraque limina portæ,
Qua greſſum extuleram, repeto: & veſtigia retro
Obſervata ſequor per noctem, & lumine luſtro.
Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.
Inde domum, ſi forte pedem, ſi forte tuliſſet,
Me refero. Irruerant Danai, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Volvitur, exſuperant flammæ, furit æſtus ad auras.
Procedo ad Priami ſedes, arcemque reviſo.
Et jam porticibus vacuis, Junonis aſylo,
Cuſtodes lecti Phœnix & dirus Ulyſſes
Prædam aſſervabant: huc undique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque Deorum,
Crateresque auro ſolidi, captivaque veſtis
Congeritur: pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Auſus quin etiam voces jactare per umbram
Implevi clamore vias, mœſtuſque Creuſam
Nequicquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, & tectis urbis ſine fine furenti,

In-

Quem non accuſavi Deorum & hominum inſanus? aut quid vidi durius in ruina urbis? Commendo ſociis Aſcanium, & Anchiſen, & Trojanos Deos, eoſque occulto in humili valle. Ego redeo in urbem, & tegor armis nitentibus. Conſtitui renovare omnes caſus, & redire per omnem Trojam, & iterum objicere caput periculis. Primum reviſo muros, & limina obſcura portæ urbis, qua exportaveram pedem: & retro relego veſtigia notata in tenebris, & quæro oculis. Ubique horror, & ſimul ipſum ſilentium terret mentem. Inde redeo domum, ut viderem an fortaſſe retuliſſet gradum illuc. Græci invaſerant, & occupabant totam domum. Continuo ignis vorax fertur vi ventorum ad ſupremum cacumen: flammæ ſupra aſſurgunt, ardor ſævit in aerem. Progredior ad regiam Priami, & repeto arcem. Et jam in porticibus deſertis, & templo Junonis, cuſtodes electi Phœnix & crudelis Ulyſſes ſervabant ſpolia: in hunc locum undique cumulantur divitiæ Trojanæ, ſublatæ e receſſibus combuſtis, & menſæ Deorum, & pocula ſolida ex auro, & veſtimenta capta: pueri & timidæ matres longa ſerie ſtant circum. Imo etiam auſus emittere voces inter tenebras, replevi vicos clamoribus, & triſtis fruſtra repetens Creuſam rurſus & rurſus appellavi.

Mi-

N O T Æ.

*Lares* humana. De *Larium* cultu, Æn. 3. 177.

719. *Flumine vivo.*) Mos fuit veterum, ut numquam aut attrectarent ſacra, aut ad ſacrificium offerendum accederent, niſi lotis manibus, aliquando capite, quandoque etiam toto corpore: præſertim ſi cæde aliqua, aut funere, aut impuro uſu fœdi eſſent. Lotio fiebat, non ſtagnanti, aut pluviali, torrentique aqua: ſed viva ac perenni, qualis eſt fontium ac fluminum: ſive in ipſo flumine per immerſionem, ſive aqua inde hauſta, per ſolam effuſionem.

725. *Opaca locorum.*) Opaca loca: ſupra v. 332.

754. *Lumine luſtro.*) Vel luce ex flammis ardentis patriæ, ut vult Donatus: & vero dixerat v. 312. *Sigea igni freta lata relucent.* Vel oculis: *lumen* enim hoc ſenſu, etiam ſingulari numero dicitur: Æn. 12. 220. *Aram ſupplicter venerans demiſſo lumine Turnus.*

760. *Priami ſedes, arcemque.*) Duo ſunt loca diverſa, ut diximus v. 322.

762. *Vacuis.*) Non a Græcis, qui multi ibi erant, ſed a civibus ac defenſoribus.

*Junonis aſylo.*) *Aſylum*, ἄσυλον ab α privativo & συλᾶν *trahere*, σύλη *ſpolium*, quia qui ad illud confugiſſet, inde trahi aut ſpoliari non poterat. Idque jus ſilvis quibuſdam, ſed præcipue templis tributum eſt. De *Phœnice*, Achillis rectore, ſupra v. 7. De *Ulyſſe* lb. De *gaza*, Æ. 1. 123. De *crateribus*, poculis, Ecl. 5. 68.

Kk 772.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota major imago.
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum inſano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc ſine numine Divum
Eveniunt: nec te comitem aſportare Creuſam
Fas, aut ille ſinit ſuperi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, & vaſtum maris æquor arandum.
Ad terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, regnumque, & regia conjux
Parta tibi: lacrymas dilectæ pelle Creuſæ.
Non ego Myrmidonum ſedes Dolopumve ſuperbas
Aſpiciam, aut Grajis ſervitum matribus ibo:
Dardanis, & Divæ Veneris nurus.
Sed me magna Deum genitrix his detinet oris.
Jamque vale, & nati ſerva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem & multa volentem
Dicere deſeruit, tenueſque receſſit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,

Par

*Miſera ſpecies & umbra ipſius Creuſæ, & figura grandior, quam ea quæ erat cognita, apparuit præ oculis mihi veſtiganti, & ſine fine dolenti per domos urbis. Obſtupui, & capilli obriguerunt* mihi, *& vox hæſit* in *gutture. Tunc ſic* cœpit *me alloqui, & auferre ſollicitudinem his verbis. Quid tantum prodeſt vacare immodico dolori, o care marite? iſta non contingunt abſque voluntate Deorum: nec fatum, aut ille rex ſummi cœli, permittunt te auferre* hinc *ſociam Creuſam. Tu percurſurus es longa exilia, & immenſum ſpatium maris. Pervenies ad terram Italicam, ubi Tybris Lydius volvitur pacato curſu inter pingues agros populorum. Illic parata eſt tibi fortuna proſpera, & regnum, & uxor, regis* filia: *depone dolorem de cara Creuſa* conceptum. *Ego non videbo ſuperbas regiones Myrmidonum aut Dolopum, nec ibo miniſtratum matribus Græcis:* cum ſim e *Dardani* ſanguine, *& nurus Deæ Veneris. Sed magna mater Deorum retinet me in his regionibus. Nunc igitur vale, & retine amorem filii noſtri. Poſtquam protulit hæc verba, reliquit* me *plorantem & volentem loqui plurima, & evanuit in aerem levem. Tunc ter conatus* ſum *injicere brachia collo* ejus; *ter ſpecies fruſtra apprehenſa abiit e manibus,*

*ſimi-*

N O T Æ.

772. *Creuſæ.*) Æneæ uxor fuit, mater Aſcanii, filia Priami & Hecubæ. Scriptores Æneæ infeſti hanc ab Ænea occiſam volunt, ex pactione cum Græcis: ne quid ex Priami ſanguine ſupereſſet. Virgilius fingit a Cybele fuiſſe retentam: ne quid eſſet impedimenti, quominus Æneas aut a Didone adoptaretur, aut a Lavinia aſſumeretur in virum.

777. *De numine*, Voluntate Deorum, Æ.1.137.

779. *De Olympo*, Theſſaliæ monte, qui pro cœlo ſumi ſolet, Ecl. 5. 56.

780. *Maris æquor arandum.*) Æquor eſt quælibet æqua planities, ſive terræ, ſive maris, ſive etiam ſpeculi: unde Æ. 7. 781. *Æquore campi exercebat equos.* Hic *maris æquor.* Lucretius l. 4. 105. *Reddunt ſpeculorum ex æquore viſum. Arandum.*) ducta metaphora ab agris: ſicut Æn. 5. 158. *Sulcant vada ſalſa carinæ.* Eſt enim *ſulcus* longus ille tractus, quem vomer inter arandum excavat.

781. *Heſperiam.*) Duplex eſt, *Hiſpania*, & *Italia*; hic *Italia*, Æn. 1. 534. *Tybris*, Italiæ fluvius, de quo Æn. 8. 330. *Lydius* dicitur, quia Tuſcos, ſive Etruſcos, a Latio dividit. Tuſci autem etiam *Tyrrheni* dicti ſunt a Tyrrheno, filio Atyos, qui Atys, Herculis & Omphales filius, Lydiæ rex in Aſia minore, cum regio fame laboraret, forte inter filios jacta, *Lydum* regni ſucceſſorem habuit, & *Tyrrhenum* e regno emiſit ad condendam coloniam: quam poſt varios tandem errores in Italia ad ſuperiorem Tybris ripam collocavit: quare Etruſci & Tyrrheni e *Lydia* oriundi ſunt.

782. *De agmine*, pro impetu, G. 3. 423.

785. *De Myrmidonibus* ac *Dolopibus*, ſupra v. 7.

787. *Dardanis*, *&c.*) Quia Priami filia, e Dardano oriunda. Vide ſtemma G. 3. 35.

788. *Magna Deum genitrix.*) *Cybele*, de qua, ejuſque ſacris, Æn. 3. Quomodo autem Creuſam detinet? Senſus eſt: Creuſam

in



Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Sic demum ſocios conſumpta nocte reviſo.
Atque hic ingentem comitum affluxiſſe novorum
Invenio admirans numerum, matreſque, viroſque,
Collectam exilio pubem, miſerabile vulgus.
Undique convenere, animis opibuſque parati,
In quaſcunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum, nec ſpes opis ulla dabatur.
Ceſſi, & ſublato montem genitore petivi.

*ſimilis levi vento, & ſimilis vago ſomno. Denique tranſacta nocte ſic redeo ad ſocios. Et illic reperio admirans magnam multitudinem novorum ſociorum adveniſſe, & matres, & viros, juventutem congregatam ad fugam, & plebem miſerandam. Undecumque concurrerunt, parati & voluntate & facultatibus, in quaſcumque terras velim eos ducere mari. Et jam Lucifer oriebatur e cacuminibus ſummæ Idæ, & inchoabat diem: & Græci occupabant clauſos aditus portarum; nec offerebatur ulla ſpes auxilii. Ceſſi, & patrem ferens conſcendi montem.*

N O T Æ.

in Idæos famularum ejus choros adſcitam eſſe, & immortalitate donatam, quali Nymphæ fruebantur.

801. *Lucifer Idæ.*) Significat *Idam* montem ad orientem fuiſſe Trojæ, unde *Lucifer*, ſtella Veneris, ante Solis ortum primo appareret. *Ida* quippe per Troadem univerſam ſparſa eſt in varios montes: quorum pars ſeptentrionalis, ad Propontidis litus: pars occidentalis, ad Helleſpontum; pars meridionalis, ad ſinum Adramyttenum maris Ægæi pertinet. Imminebat Trojæ ad orientem, ibidemque Paris de tribus Deabus judicium tulit. Fœminini generis eſt *Ida* contra regulam communem. De *Lucifero*, Ecl. 6. 86. Ait Varro ſtellam illam Veneris ab Ænea ſemper viſam eſſe, donec ad agrum Laurentem venerit: quo tempore videri tandem ab eo deſiit.

# P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER III.

## ARGUMENTUM.

*PERGIT Æneas enarrare Didoni caſus ſuos, quorum altera pars hoc libro continetur, nempe navigatio. Æneas incenſa Troja, claſſe viginti navium ad urbem Antandrum clam fabricata, defertur in Thraciam; ubi cum urbem conderet, territus prodigio cæſi a Polymneſtore rege Polydori, navigat in inſulam Delum, conſulturus oraculum Apollinis: a quo monitus ut* antiquam *matrem exquireret, Anchiſæ interpretatione Cretam eſſe inſulam ratus Trojanæ gentis originem, eo contendit, urbemque novam ædificat. At inde peſte depulſus, monitus in ſomnis a Diis Penatibus, Italiam vera eſſe Trojanorum cunabula, Italiam petit. In itinere actus tempeſtate in inſulas Strophades, infeſtas habet Harpyias: quarum ex una audit ſe non prius in Italia fixurum ſedes, quam fame coactus fuerit menſas abſumere. Hinc delatus ad Actium promontorium, ibi ludos celebrat. Tum in Epirum appulſus, Andromachen reperit, jam Heleni uxorem,*



*& mor-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota major imago.
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum inſano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc ſine numine Divum
Eveniunt: nec te comitem aſportare Creuſam
Fas, aut ille ſinit ſuperi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, & vaſtum maris æquor arandum.
Ad terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, regnumque, & regia conjux
Parta tibi: lacrymas dilectæ pelle Creuſæ.
Non ego Myrmidonum ſedes Dolopumve ſuperbas
Aſpiciam, aut Grajis ſervitum matribus ibo:
Dardanis, & Divæ Veneris nurus.
Sed me magna Deum genitrix his detinet oris.
Jamque vale, & nati ſerva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem & multa volentem
Dicere deſeruit, tenueſque receſſit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,

Par

*Miſera ſpecies & umbra ipſius Creuſæ, & figura grandior,* quam ea quæ erat *cognita, apparuit præ oculis mihi veſtiganti, & ſine fine dolenti per domos urbis. Obſtupui, & capilli obriguerunt* mihi, *& vox hæſit* in *gutture. Tunc ſic* cœpit *me alloqui, & auferre ſollicitudinem his verbis. Quid tantum prodeſt vacare immodico dolori, o care marite? iſta non contingunt abſque voluntate Deorum: nec fatum, aut ille rex ſummi cœli, permittunt te auferre* hinc *ſociam Creuſam. Tu percurſurus es longa exilia, & immenſum ſpatium maris. Pervenies ad terram Italicam, ubi Tybris Lydius volvitur pacato curſu inter pingues agros populorum. Illic parata eſt tibi fortuna proſpera, & regnum, & uxor, regis* filia: *depone dolorem de cara Creuſa* conceptum. *Ego non videbo ſuperbas regiones Myrmidonum aut Dolopum, nec ibo miniſtratum matribus Græcis:* cum ſim *e Dardani* ſanguine, *& nurus Deæ Veneris. Sed magna mater Deorum retinet me in his regionibus. Nunc igitur vale, & retine amorem filii noſtri. Poſtquam protulit hæc verba, reliquit* me *plorantem & volentem loqui plurima, & evanuit in aerem levem. Tunc ter conatus* ſum *injicere brachia collo* ejus; *ter ſpecies fruſtra apprehenſa abiit e manibus,*

*ſimi-*

N O T Æ.

772. *Creuſæ.*) Æneæ uxor fuit, mater Aſcanii, filia Priami & Hecubæ. Scriptores Æneæ infeſti hanc ab Ænea occiſam volunt, ex pactione cum Græcis: ne quid ex Priami ſanguine ſupereſſet. Virgilius fingit a Cybele fuiſſe retentam: ne quid eſſet impedimenti, quominus Æneas aut a Didone adoptaretur, aut a Lavinia aſſumeretur in virum.

777. *De numine*, Voluntate Deorum, Æ. 1. 137.

779. *De Olympo*, Theſſaliæ monte, qui pro cœlo ſumi ſolet, Ecl. 5. 56.

780. *Maris æquor arandum.*) *Æquor* eſt quælibet æqua planities, ſive terræ, ſive maris, ſive etiam ſpeculi: unde Æ. 7. 781. *Æquore campi exercebat equos.* Hic *maris æquor.* Lucretius l. 4. 105. *Reddunt ſpeculorum ex æquore viſum. Arandum.*) ducta metaphora ab agris: ſicut Æn. 5. 158. *Sulcant vada ſalſa carinæ.* Eſt enim *ſulcus* longus ille tractus, quem vomer inter arandum excavat.

781. *Heſperiam.*) Duplex eſt, *Hiſpania, & Italia;* hic *Italia*, Æn. 1. 534. *Tybris*, Italiæ fluvius, de quo Æn. 8. 330. *Lydius* dicitur, quia Tuſcos, ſive Etruſcos, a Latio dividit. Tuſci autem etiam *Tyrrheni* dicti ſunt a Tyrrheno, filio Atyos, qui Atys, Herculis & Omphales filius, Lydiæ rex in Aſia minore, cum regio fame laboraret, forte inter filios jacta, *Lydum* regni ſucceſſorem habuit, & *Tyrrhenum* e regno emiſit ad condendam coloniam: quam poſt varios tandem errores in Italia ad ſuperiorem Tybris ripam collocavit: quare Etruſci & Tyrrheni e *Lydia* oriundi ſunt.

782. *De agmine*, pro impetu, G. 3. 423.

785. *De Myrmidonibus* ac *Dolopibus*, ſupra v. 7.

787. *Dardanis, &c.*) Quia Priami filia, e Dardano oriunda. Vide ſtemma G. 3. 35.

788. *Magna Deum genitrix.*) *Cybele*, de qua, ejuſque ſacris, Æn. 3. Quomodo autem Creuſam detinet? Senſus eſt: Creuſam

in



Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Sic demum ſocios conſumpta nocte reviſo.
Atque hic ingentem comitum affluxiſſe novorum
Invenio admirans numerum, matreſque, viroſque,
Collectam exilio pubem, miſerabile vulgus.
Undique convenere, animis opibuſque parati,
In quaſcunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum, nec ſpes opis ulla dabatur.
Ceſſi, & ſublato montem genitore petivi.

*ſimilis levi vento, & ſimilis vago ſomno. Denique tranſacta nocte ſic redeo ad ſocios. Et illic reperio admirans magnam multitudinem novorum ſociorum adveniſſe, & matres, & viros, juventutem congregatam ad fugam, & plebem miſerandam. Undecumque concurrerunt, parati & voluntate & facultatibus, in quaſcumque terras velim eos ducere mari. Et jam Lucifer oriebatur e cacuminibus ſummæ Idæ, & inchoabat diem: & Græci occupabant clauſos aditus portarum; nec offerebatur ulla ſpes auxilii. Ceſſi, & patrem ferens conſcendi montem.*

N O T Æ.

in Idæos famularum ejus choros adſcitam eſſe, & immortalitate donatam, quali Nymphæ fruebantur.

801. *Lucifer Idæ.*) Significat *Idam* montem ad orientem fuiſſe Trojæ, unde *Lucifer*, ſtella Veneris, ante Solis ortum primo appareret. *Ida* quippe per Troadem univerſam ſparſa eſt in varios montes: quorum pars ſeptentrionalis, ad Propontidis litus: pars occidentalis, ad Helleſpontum; pars meridionalis, ad ſinum Adramyttenum maris Ægæi pertinet. Imminebat Trojæ ad orientem, ibidemque Paris de tribus Deabus judicium tulit. Fœminini generis eſt *Ida* contra regulam communem. De *Lucifero*, Ecl. 6. 86. Ait Varro ſtellam illam Veneris ab Ænea ſemper viſam eſſe, donec ad agrum Laurentem venerit: quo tempore videri tandem ab eo deſiit.

---

# P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER III.

---

## ARGUMENTUM.

PERGIT *Æneas enarrare Didoni caſus ſuos, quorum altera pars hoc libro continetur, nempe navigatio. Æneas incenſa Troja, claſſe viginti navium ad urbem Antandrum clam fabricata, defertur in Thraciam; ubi cum urbem conderet, territus prodigio cæſi a Polymneſtore rege Polydori, navigat in inſulam Delum, conſulturus oraculum Apollinis: a quo monitus ut* antiquam *matrem exquireret, Anchiſæ interpretatione Cretam eſſe inſulam ratus Trojanæ gentis originem, eo contendit, urbemque novam ædificat. At inde peſte depulſus, monitus in ſomnis a Diis Penatibus, Italiam vera eſſe Trojanorum cunabula, Italiam petit. In itinere actus tempeſtate in inſulas Strophades, infeſtas habet Harpyias: quarum ex una audit ſe non prius in Italia fixurum ſedes, quam fame coactus fuerit menſas abſumere. Hinc delatus ad Actium promontorium, ibi ludos celebrat. Tum in Epirum appulſus, Andromachen reperit, jam Heleni uxorem,*



*& mor-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*& mortuo Pyrrho in Chaonia Epiri parte regnantem. Audit ab Heleno, rege eodem ac vate, ſedem ſibi a Diis in Italia paratam eo loco, ubi ſuem albam inveniret triginta fœtus enixam. Admonetur ab eodem, ne in proxima Italiæ parte conſidat, Græcorum metu, qui ventis eo disjecti fuerant: tum ne Siculum trajiciat fretum, metu Scyllæ & Charybdis: ſed deflexo ad occaſum curſu Siciliam circumeat. Igitur relicta Epiro, Tarentum, quæ in vicina Italiæ ora eſt, & Siciliæ partem Ætnæ monti proximam prætervectus, hinc ſupplicem recipit Achæmenidem, ſocium Ulyſſis, ab eoque de feritate Cyclopum edoctus, obſervatis omnibus Heleni præceptis, tandem Drepanum, occidentalem Siciliæ portum, obtinet: ubi moritur Anchiſes. Atque hinc media æſtate ſolvens Æneas in Italiam, tempeſtate in Africam ejicitur. Et hic finis eſt narrationis.*

POſtquam res Aſiæ Priamique evertere gentem
Immeritam viſum ſuperis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja;
Diverſa exilia, & deſertas quærere terras,
Auguriis agimur Divum: claſſemque ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quo fata ferant, ubi ſiſtere detur:
Contrahimuſque viros. Vix prima inceperat æſtas,
Et pater Anchiſes dare fatis vela jubebat.
Litora tum patriæ lacrymans, portuſque relinquo,

Et

INTERPRETATIO.

*Poſtquam placuit Diis deſtruere potentiam Aſiæ, & populum Priami nihil tale meritum: & poſtquam nobile Ilium cecidit, & tota Troja a Neptuno munita fumat a fundamentis, impellimur ominibus Deorum petere exilia remota, & regiones vacuas: & fabricamus naves prope ipſam Antandrum & montes Idæ Phrygiæ: dubii, quem in locum fata nos mittant, ubi permittatur manere: & colligimus ſocios. Vix prima æſtas inceperat: & jam pater Anchiſes imperabat nos dirigere vela, quo fata vellent. Tunc lugens deſero litora patria, & portus,*

*& ar-*

NOTÆ.

1. *Res Aſiæ.*) Minoris, cujus magna pars eſt utraque Phrygia, major & minor, Priamo ſubdita. Æn. 1. 385.

2. *Immeritam.*) Nam perfidia Laomedontis in Neptunum & Apollinem, & crimen Paridis in Junonem ac Minervam, non debuere tanto populo creare perniciem. Æn. 1. 131. Æn. 2. 610.

3. *Ilium ... Neptunia Troja*) Per *Ilium*, arx; per *Trojam*, urbs ſignificatur. *Ilium* dicitur a Virgilio tantum neutro genere: ab Horatio, *Ilios* fœminino: ab Ovidio *Ilion* etiam fœminino, communi urbium genere.

5. *Auguriis.*) Hectoris admonitu, Æn. 2. 295. flamma, quæ verticem Aſcanii lambebat, v. 682. curſu ſtellæ cadentis & lævo fulmine, v. 694. ſermone ultimo Creuſæ, v. 781.

6. *Antandro.*) *Antandros*, urbs eſt Phrygiæ minoris, nunc *S. Demetrio*, ad ſinum Adramyttenum, & litus Ægæi maris, ſub radices Idæ, ubi copia erat arborum ad navalem ſtructuram, & latebroſi ſinus procul a conſpectu Græcorum. De *Ida* monte: Æn. 2. 801.

7. *Incerti quo fata ferant.*) Tamen Creuſa monuerat Æn. 2. 781. in Heſperia ad ripas Tybris ſedes eſſe futuras. Ergo vel non credidit inani Creuſæ ſimulacro, vel illud Creuſæ vaticinium ex iis eſt locis, quæ Virgilius emendare debuiſſet.

8. *Æſtas.*) Nam Troja ſub finem veris capta eſt, ut diximus Æn. 2. 340. Et in ædificanda viginti navium claſſe aliquantum ſane temporis abiit.

12. *Penatibus & magnis Diis.*) *Magni* ſunt Juno, Jupiter, Mars, &c. communes Dii: *Penates*, domeſtici, nec nominati, Æn. 2. 717.

13. *Procul.*) Thracia tamen a Troade non diſtinguitur, niſi anguſtiſſimis faucibus Helleſponti, *Seſto*, *e Abido*. Igitur *procul*, non eſt *longe diſſita*, ſed quæ *longe lateque colitur*, latiſſima enim eſt Thracia. *Mavortia* dicta, quia Mars in ea natus eſt. Ecl. 6. 30. & 9. 12.

14. *Thra-*



Et campos ubi Troja fuit. Feror exſul in altum,
Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis Diis.
Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo:
Hoſpitium antiquum Trojæ, ſociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, & litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis:
Æneadaſque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri, Diviſque ferebam
Auſpicibus cœptorum operum: ſuperoque nitentem
Cœlicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea ſummo
Virgulta & denſis haſtilibus horrida myrtus.
Acceſſi, viridemque ab humo convellere ſilvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras;
Horrendum & dictu video mirabile monſtrum.
Nam, quæ prima ſolo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.
Rurſus & alterius lentum convellere vimen
Inſequor, & cauſas penitus tentare latentes:

Ater

*& arva, ubi Troja* ſita *fuit. Abeo exul per mare, cum ſociis, & nato,* cum *Penatibus, & magnis Diis. Terra Martia ſpatioſis agris longe habitatur,* quam *Thraces colunt, ſubjecta olim bellicoſo Lycurgo: vetus hoſpitium Trojanorum, &* cujus *Dii* erant *conjuncti* noſtris, *dum felices fuimus. Illuc navigo, & in ſinuoſo litore ſtatuo primos muros, appulſus fatis adverſis: & nomen civibus facio Æneadas, de meo nomine. Offerebam ſacrificia matri Veneri, & Diis auctoribus operis inchoati, & immolabam in litore taurum pinguem ſummo regi cœleſtium. Forte tumulus prope erat, quo in ſummo erant frutices cornei, & myrtus aſpera multis haſtilibus? Acceſſi* ad tumulum, *& conatus abrumpere e terra ramos virides, ut tegerem altaria ramis* illis *folioſis, video prodigium tremendum, & mirabile dictu. Nam quæ arbor prima eruitur e terra fractis radicibus, ex hac deſluunt guttæ nigri ſanguinis, & tingunt terram ſanie. Frigidus tremor agitat meum corpus, & ſanguis metu gelidus congregatur* ad cor. *Iterum pergo extirpare virgam flexilem alterius* arboris, *& explorare cauſas occultas;*

*& ni-*

NOTÆ.

14. *Thraces arant.*) Relativum *quam* ſuppreſſit more ſuo: ſic Æn. 1. 16. *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni. Thracia*, ampla Europæ regio olim duas in partes diviſa, in Thraciam cis Rhodopen, & trans Rhodopen montem. *Romania* dicta deinde eſt, cum in eam Conſtantinus Romanum imperium tranſtulit. Ejus caput *Conſtantinopolis*: termini, a ſeptentrione & occidente Bulgaria; a meridie, mare Ægæum; ab oriente, Helleſpontus, Propontis, & Pontus Euxinus.

*Lycurgo.*) Thraciæ rex fuit, Dryantis filius, qui Baccho infeſtus ipſum fugere compulit in inſulam Naxum, & vites Thracia tota ſuccidi juſſit: quas cum ipſe ſucciderit, dicitur Dei ultione in furorem actus ſibi crura amputaſſe. *Regnata.*) Paſſive dixit: ut Æn. 6. 770. *Regnandam acceperit Albam*: & Horat. Od. l. 2. 6. 11. *Regnata Laconi rura Phalanto.*

15. *Sociique Penates.*) Nam Polymneſtor Thraciæ rex conjugem habuerat Ilionem, filiam Priami. De *Penatibus*, Æn. 2. 717.

18. *Æneadas.*) Urbem vocat Mela l. 2. 2. *Ænos*, inter oſtia Hebri & Cherſoneſum; confirmatque Plinius, cum ait ad eam urbem eſſe Polydori tumulum l. 4. 1. Nunc etiam dicitur *Eno*.

19. *Dionææ matri.*) Veneri, filiæ Jovis & Diones, Æn. 1. 260.

21. *Taurum.*) Dicunt interpretes, ex Atteio, non licuiſſe immolare Jovi *taurum*, *verrecem*, *arietem*: adduntque ideo non acceptum fuiſſe ſacrificium Jovi, ſecutumque ſtatim eſſe Polydori prodigium. Malim tamen dicere tunc temporis non ita diſtinctas fuiſſe religionum rationes: taurumque etiam Jovi placuiſſe, ut probat hic multis exemplis Cerdanus.

22. *Tumulus.*) Et editiorem locum, & ſepulcrum ſignificat. *Cornea*, ex arbore *corno*, Ital. *corniolo*: de qua G. 2. 34. De *Virgultis*, Ibid. 21. De *Myrto*, Ecl. 2. 54. De *ſilva* pro qualibet multitudine, G. 1. 152.

34. *Nym-*

Ater & alterius ſequitur de cortice ſanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agreſtes,
Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet arvis,
Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.
Tertia ſed poſtquam majore haſtilia nixu
Aggredior, genibuſque adverſæ obluctor arenæ:
Eloquar, an ſileam? gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures:
Quid miſerum, Ænea, laceras? jam parce ſepulto,
Parce pias ſcelerare manus: non me tibi Troja
Externum tulit: haud cruor hic de ſtipite manat.
Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego: hic confixum ferrea texit
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum

Threi-

*& niger ſanguis fluit ex alterius cortice.* Ego *volvens mente plurima, orabam Nymphas ſilveſtres, & patrem Martem, qui præeſt campis Thraciæ,* ut *bene proſpera redderent viſa, & averterent* malum *augurium. Sed poſtquam majore conatu acceſſi ad tertios ramos, & genibus obnixus ſum* contra *terram oppoſitam: dicam, an tacebo? flebilis gemitus auditur* ab *intimo tumulo, & vox emiſſa pervenit ad aures: Cur diſcerpis miſerum, o Ænea? abſtine a ſepulto, cave polluere religioſas manus* tuas: *Troja non me produxit alienum tibi; ſanguis hic non fluit e trunco. Heu! fuge regionem crudelem, fuge litus avarum.* Ego *enim* ſum *Polydorus; multitudo* telorum *ferreorum obruit hic* me *confixum, & crevit* in *acuta haſtilia. Tum autem obſtupui, oppreſſus dubia formidine* ſecundum *animum, & capilli obriguerunt, & vox hæſit in gutture. Olim miſer Priamus clam miſerat regi Thraciæ hunc Polydorum educandum cum ingenti copia auri;*

cum

## N O T Æ.

34. *Nymphas agreſtes.*) Hamadryadas, Ecl. 2. 46. Cum enim hæ una cum arboribus vivant & occidant, dubitabat num eſſet earum ſanguis.

35. *Gradivum. Geticis.*) *Gradivus* Mars nominatur, a κραδαίνω, *vibro*: *Getæ*, populi Daciæ, Thraciæ tamen annumerati ob viciniam, Georg. 2. 115. De *Marte*, Ecl. 9. 12.

36. *Secundarent viſus.*) *Viſus*, pro *viſa*. Notatque Cerdanus, *ſecundarent*, proprie dictum; nam poſt adverſum omen, cum repeteretur novum, ſi hoc proſperum erat, primum deſtruebat, vocabaturque *ſecundum*; ſi rurſus adverſum erat, vocabatur *alterum*.

42. *Scelerare manus.*) Violatione ſepulcri; quæ religio ſancta ſemper fuit.

45. *Hic confixum, &c.*) Euripides tamen in Hecuba v. 700. ait a Polymneſtore cæſum, & in mare projectum, ad illud litus ejectum eſſe, quo Græci e Troja domum repetentes appulſi erant, ibique ab Hecuba matre fuiſſe agnitum: & in ultionem ſceleris Polymneſtora obcæcatum a Trojanis mulieribus, eadem Hecuba duce, quæ remotum in locum eum adduxerat ſpe detegendi theſauri. Aliter etiam narrat Hyginus: nempe Polydorum admodum infantem in Thraciam miſſum: ab Ilione ſorore, Polymneſtoris uxore, ſuppoſitum eſſe pro Deiphilo, Polymneſtoris filio, ſed ex alia uxore, ut tutius Græcos lateret; atque ita Deiphilum ab inſcio patre occiſum deinde fuiſſe, non Polydorum.

54. *Agamemnonias.*) Agamemnon, Atrei Mycenarum regis filius, Menelai Spartani regis frater, rex ipſe Mycenarum, ad expeditionem Trojanam dux electus totius Græciæ, unde *rex regum* a poetis appellatur: capta Troja Caſſandram filiam Priami captivâ ſibi habuit, amavitque; ac reverſus in patriam, occiſus eſt cum eadem Caſſandra in convivio, inſidiis Clytemneſtræ uxoris, ab Ægyſtho adultero, Thyeſtis filio, qui Thyeſtes Atrei frater fuerat. At Oreſtes Agamemnonis filius in ejus ultionem, & Ægyſthum & matrem Clytemneſtram interfecit.

57. *Sacra.*) *Execranda*: vox frequens apud veteres: ab iis ducta, qui *devovebantur*, *ſacrabantur*, *& addicebantur* morti pro publicis delictis: ita ut impune occidi poſſent. Sic devovebatur apud Maſſilienſes pauper aliquis, peſtilentia ſæviente: ſic aliquando Codrus apud Athenienſes, Curtius & Decius apud Romanos ſe devoverunt: ſic etiam omnis victima immolatur, quaſi onuſta populi totius delictis. Rhodiginus tamen ait *ſacrum*

dici



Threicio regi: cum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obſidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrum, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma ſecutus,
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames? Poſtquam pavor oſſa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monſtra Deum refero; &, quæ ſit ſententia, poſco.
Omnibus idem animus, ſcelerata excedere terra,
Linquere pollutum hoſpitium, & dare claſſibus Auſtros.
Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus aræ,
Cæruleis mœſtæ vittis atraque cupreſſo:
Et circum Iliades crinem de more ſolutæ.
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras: animamque ſepulcro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti

Dant

*cum jam male ſperaret de armis Trojæ, & videret urbem premi obſidione. Ille* Polymneſtor, *poſtquam potentia Trojanorum imminuta* eſt, *& fortuna abiit* ab eis, *converſus ad partes Agamemnonis & exercitum victorem, violat jura omnia, jugulat Polydorum, & per vim rapit aurum* ejus. *Quid non cogis corda hominum* facere, *o execranda cupiditas divitiarum? Poſtquam timor abiit e membris* meis, *renarro prodigia Deorum electis principibus populi, & primum patri* meo; *& peto, quis ſit eorum ſenſus* ea de re. *Idem* eſt *omnibus conſilium, abire ex impia regione, deſerere funeſtatum hoſpitium, & præbere vela ventis. Itaque apparamus exequias Polydoro, & multum terræ accumulamus in ſepulcrum: eriguntur altaria animæ* ejus, *triſtia cæruleis tæniis & nigra cupreſſo: & Trojanæ circum* eunt *paſſis capillis, juxta conſuetudinem. Infundimus pocula ſpumantia tepido lacte, & pateras ſanguinis hoſtiarum, & claudimus animam* in *ſepulcro, & magna voce ultimo conclamamus. Deinde ſtatim ut prima ſecuritas maris* apparuit, *& venti*

præ-

## N O T Æ.

dici quicquid *magnum* eſt, & ſic Homero Il. 16. 407. ἱερὸν ἰχθὺν, eſſe *piſcem magnum*. Addo ſic etiam apud Hebræos magna omnia dici *Dei* eſſe, ſic Pſ. 35. 7. *Montes Dei*, ſunt *magni montes*: & 79. 11. *Cedri Dei*, ſunt *magnæ cedri*. Hic igitur fortaſſe *ſacra fames*, eſt *magna fames*.

61. *Dare claſſibus Auſtros.*) Commutatio: id eſt, *committere claſſem ventis*. Poſuit *Auſtros*, ventum meridionalem, de quo Ecl. 2. 58. pro vento generatim. Euntibus enim e Thracia in inſulam Delum, Auſter contrarius, Boreas commodus eſt.

62. *Inſtauramus Polydoro funus, &c.*) Perſtringit hic ceremonias funebres, quæ fuſius l. 6. 215. deſcribentur. I. Inſtaurat funus, quia male tumulatus primo fuerat, projectus nimirum ac telis obrutus: unde videri potuit inhumatus. II. *Funus* alii *ſepulcrum* explicant, alii *pompam* funebrem. III. *Manes* ſunt animæ mortuorum, hic anima Polydori: de iis Georg. 4. 469. IV. *Aræ*, numero plurali, quia heroum animis geminæ ſacrabantur: infra v. 305. Hectori Andromache *geminas cauſam lacrymis ſacraverat aras*. Ecl. 5. 66. paſtores Daphnidi, *en quatuor aras, ecce duas tibi, Daphni*. V. *Cæruleis vittis*, & tæniis ornabantur aræ: & *cæruleus color*, tum in ſacris uſui fuit; unde Valer. Argon. 1. 776. *Multa pallens ferrugine taurus ſtabat adhuc, cui cæruleæ per cornua vittæ*: tum in luctu aſſumi ſolebat a mulieribus, depoſita veſte purpurea, ut eſt apud Danielis Servium, qui citat Catonem; ſed addit cæruleum a veteribus nigrum dici: unde fortaſſe hic cæruleæ vittæ, nigræ ſunt. VI. Cupreſſus addebatur aris & buſtis ad latera: vel quia gravis eſt odoris, ad fœtorem cadaverum leniendum, vel quia ſemel exciſa non renaſcitur, ad mortem exprimendam; vel quia cariem non ſentit, ad gloriæ immortalitatem ſignificandam. VII. *Iliacæ* mulieres crines ſolverunt: alluditque poeta ad morem Romanum; qui forte fuit etiam apud Phryges: nam Græci crines in luctu non ſolvebant, ſed ſecabant, ut ait Plutarch. in Roman. quæſt. VIII. *Cymbia*: vaſa oblonga & anguſta, in modum cymbæ & naviculæ. IV. Sanguine, & lac, etiam aliquando vinum, & mel, & aquam affundebant: quia his paſci & delectari animas credebant, præcipue ſanguine: hinc Odyſſ. 11. 36. Ulyſſes Tireſiæ manib. ſacra faciẽs, non eũ educit, niſi effuſo in ſcrobẽ multo victimarũ ſanguine. X.

Ant-

Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum,
Deducunt ſocii naves, & litora complent.
Provehimur portu, terræque urbeſque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri & Neptuno Ægæo:
Quam pius Arcitenens oras & litora circum
Errantem, Mycone celſa Gyaroque revinxit;
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror: hæc feſſos tuto placidiſſima portu
Accipit: egreſſi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos,
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro
Occurrit, veterem Anchiſem agnoſcit amicum.
Jungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.
Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto:

85 Da

*præbuerunt quietum mare, & Auſter blande ſtrepens invitavit ad navigationem, ſocii detrahunt naves & tegunt litora. Recedimus e portu, terræque & urbes relinquuntur. Medio in mari jucundiſſima inſula incolitur, dicata matri Nereidum & Neptuno Ægæo, quam pius Apollo religavit Mycone alta & Gyaro, vagam* antea *circa litora &* circa *extrema* terrarum; *& voluit coli ſtabilem, & aſpernari ventos. Illuc navigo: illa tranquilliſſima excipit ſecuro portu nos laſſos: egreſſi* e navibus *veneramur urbem Apollinis. Rex Anius, idem Rex populi & ſacerdos Apollinis, coronatus* circa *caput tæniis & lauro dicata* Apollini, *venit obviam, & agnoſcit Anchiſen antiquum amicum. Jungimus manus* in ſignum *hoſpitii. Reverebar templum Apollinis conditum vetere ſaxo:*

*O Thym-*

## N O T Æ.

*Animam condebant ſepulcro*; quia qui fuerant inhumati, hos errare centum annos exiſtimabant. VI. *Voce ciebant*, & appellabant ter proprio nomine, ut facilius errantem animum ad ſepulcrum urnamque revocarent: tum ter *vale* dicto diſcedebant.

74. *Nereidum, &c.*) *Delum* inſulam ſignificat, in qua nati Apollo & Diana, Ecl. 3. 67. Una eſt e Cycladibus inſulis, in mari Ægæo, quod hic dicitur *Neptunus Ægæus*: vel ab *Ægis* Eubϖæ oppido; vel ab Æga Æolidis promontorio, juxta Strabonem; vel a crebris inſulis, quæ procul aſpicientibus videntur habere ſpeciem [Greek] *caprarum*, juxta Feſtum; vel ab Olenia capra, cœleſti ſidere, quæ exoriens graves ibi tempeſtates excitat. Ibi magna inſularum multitudo: quarum meridionales dicuntur *Sporades*, a [Greek] *ſpargo*, quia diſperſæ ſunt ſine ordine; ſeptetrionales vero *Cyclades*, a [Greek] *circulus*, quia quaſi in circulum diſpoſitæ ſunt circa *Delum*: quam, antea vagam, poſt Latonæ vere partum uni affixam loco, circumcingunt, & quaſi *revinciunt*. *Mycone & Gyaros*, duæ ex iis, pro cæteris hic appellantur, quamvis aliquæ ſint Delo propiores. *Mycone* quidem ad ortum, una e Cycladibus, nunc *Micoli*: *celſa* dicitur propter montem ejus *Dimaſtum*. *Gyaros*, ad occidentem inter Sporades, ſteriliſſima, & a Romanis olim deſtinata facinoroſorum exilio: nunc *Caloir* a quibuſdam vocatur; quanquam incerti admodum eſt, & ſitus, & nominis.

75. *Arcitenens.*) Apollo, qui ſtatim ut natus eſt, Pythona ſerpentem *arcu*, & ſagittis occidit, in Latonam matrem ſuam, tum gravidam, immiſſum a Junone: unde *pius* dicitur. De *Neptuno*, Æn. 1. 129. De *Doride*, quæ *Nereides* ex Nereo fratre ſuſcepit, Ecl. 10. 5.

77. *Immotamque, &c.*) Olim dicitur erraſſe mari, atque adeo aliquando ventorum agitatu mari ſubmerſa eſſe. Deinceps vero [Greek] *manifeſta* vocata eſt: vel quia Latonæ locum ad pariendum quærenti, tutum a ſerpentis Pythonis inſidiis, ſubito e mari emerſit: vel quod poſt diluvium Ogygium, quod Deucalioneum longe præceſſit, prima ex aquis apparuit: vel quod Phœbi oracula, alibi obſcura, hic manifeſta ſunt. Fabulam aliqui referunt ad terræ motus, quibus agitabatur antea, & deinceps agitari deſiit; alii ad ſecuritatem portus. Urbs ejus primaria dicta eſt etiam *Delos*.

80. *Rex Anius, &c.*) Veterum more, rex idem & ſacerdos: Apollinis filius ex Rhæa, vel Rhea. Filiæ ejus ex Dorippe fuere tres, *Oeno, Spermo, & Elais*, dictæ, *Cænotropæ*, a [Greek] *novus*, & [Greek] *verto*: quod Bacchi beneficio, quicquid tangerent, novas in formas verterent: Oeno quidem in [Greek] *vinum*: Spermo in [Greek] *ſemen triticeum*; Elais in [Greek] *oleum*. Fabula inde eſt, quod pater magnam eorum vim colligeret ex donis Apollini Delio oblatis. Conſtat enim ex antiquis monumentis, quæ citat Cerdanus,

aram



Da propriam, Thymbræe, domum, da mœnia feſſis,
Et genus, & manſuram urbem: ſerva altera Trojæ
Pergama, relliquias Danaum atque immitis Achillei.
Quem ſequimur? quove ire jubes? ubi ponere ſedes?
Da, pater, augurium, atque animis illabere noſtris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia viſa repente,
Liminaque, lauruſque Dei: totuſque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.
Submiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu

100 Læ-

*O Thymbræe, concede* nobis *propriam ſedem, da muros fatigatis, & familias, & urbem ſtabilem: protege ſecunda Pergama Trojæ, reliquias Græcorum & crudelis Achillis. Quem ſequimur? aut quo imperas* nos *ire, & ubi ſtatuere ſedes? O pater, præbe* nobis *omen, & deſcende in mentes noſtras. Vix dixeram iſta: ſtatim omnia viſa ſunt trepidare, & portæ, & laurus Dei: & totus mons circum concuti, & tentorium ſonare apertis receſſibus. Humiles cadimus in terram, & vox pervenit ad aures: Trojani fortes, quæ terra vos produxit a prima origine majorum, eadem fertili ſinu excipiet vos redeuntes: quærite veterem genitricem. Illic familia Æneæ regnabit in regiones omnes, & filii filiorum, & qui orientur ab illis. Apollo hæc* dixit: *& gaudium magnum ortum* eſt *mixto tumultu,*

*& omnes*

## N O T Æ.

aram Apollinis Delii nullo victimarum ſanguine cultam fuiſſe, ſed precibus, floribus, &c. unde ait ſolum Æneas *venerabar*; & preces ſuas, non etiam victimas commemorat.

85. *Thymbræe.*) Strabo l. 13. ait campum eſſe Thymbram, in agro Trojano, quem Thymbrius fluvius interfluit, in Scamandrũ influens, ubi templum eſt Apollinis Thymbræi: quibus locis ex Servio nomen eſt a copia thymbræ, herbæ condimentariæ, *timbra*. Hic Æneas Apollinem, non Delium vocat, ſed Thymbræum: ut oſtendat unum eumdemque Deum eſſe, eumque ſibi placabilem reddat commemoratione Trojani cultus & patrii templi.

91. *Liminaque lauruſque, &c.*) Vel laurus qua caput ſimulacri coronabatur. Vel potius laurea ſilva, cõſita in templi limine ſeu veſtibulo: more veterũ, qui lucos templis addebant. Notetur hic ſyllaba *que*, contra naturã producta.

92. *Mons &c.*) *Cynthus*, mons Deli inſulæ, unde Apollo *Cynthius*, & Diana *Cynthia*.

*Cortina.*) Proprie fuit vas tingendis lanis, dictum a *corte*, Ital. *vaſo baſſo*; vel quia hujus vaſis forma rotunda fuit, ut *cortis*, quam rotundam fuiſſe habemus ex Catone; vel quia vaſis hujus magnus erat uſus in *corte*. Hinc a formæ ſimilitudine cortinæ appellatio tranſlata eſt ab Ennio ad ſignificandum *hemiſphærium cœli*. *Quæque freto cava cæruleo cortina recepta.* Hinc ad exprimendum tentorium circa tripoda Delphicum, ubi ſedens Pythia puella vaticinabatur. Hinc ad vela illa, quibus in theatro hiſtriones latent; & in ſacris libris quælibet pellicea tentoria, Ital. *cortinaggio*. Alii aliunde deducunt: vel a *corio* Pythonis ſerpentis, ex quo tentorium Delphici tripodis factum dicunt; vel a *corde* puellæ, quod illic a Phœbo tenebatur: ſed primum probabilius Voſſio videtur, Scaligero, &c. Hic autem ambiguum eſt, an *velum* ſimpliciter, an etiam *tripodis* tentorium ſignificet: cum dubium ſit, an ex tripode, an per puellam, an per Anium regem, an ſola Dei voce redditum ſit ex adytis hoc Æneæ oraculum.

95. *Ubere.*) De *ubere* terræ, pro ubertate, Æn. 1. 535. & Georg. 2. 185.

97. *Domus Æneæ, &c.*) Verſus ii duo vaticinium continent de magnitudine Romani imperii. Traducti ſunt ex Homero Iliad. 20. 307. Ubi Neptunus Æneam ab Achille occidendum periculo eripuit. Sed apud Homerum illic, & in Hymno Veneris v. 197. omnia exemplaria habent, non [Greek] *cunctis*, ſed [Greek] *Trojanis*: unde plerique putant Æneam non veniſſe in Italiam, ſed poſt Priameæ familiæ excidium Trojæ regnaſſe: cujus rei ſane multa veſtigia & argumenta profert Bochartus in diſſertatione, quam Segraiſius præfixit Gallico ſuo Virgilio: prævaluit tamen Italorum opinio, quam ſequutus eſt Virgilius.

 102. *Vol-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Lætitia, & cuncti, quæ ſint ea mœnia, quærunt,
Quo Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras.
Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto:
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, ſi rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas primum eſt advectus in oras,
Optavitque locum regno: nondum Ilium & arces
Pergameæ ſteterant, habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris,
Et

*& omnes inquirunt quæ ſit ea urbs, quo Phœbus revocet vagos, & imperet eos redire. Tunc pater meus recogitans hiſtorias antiquorum hominum, dixit: O primates, audite & intelligite ſpes veſtras. Creta, inſula Jovis magni, ſita eſt in medio mari: ubi eſt mons Ida, & origo nationis noſtræ.* Incolæ *illius occupant centum urbes magnas, regna fertiliſſima: unde, ſi bene memini auditarum* rerum, *maximus pater Teucer primo advenit ad promontorium Rhœteum, & elegit ſedem regni: nondum Ilium & arx Pergamus condita erat, degebant in profundis vallibus. Hinc* venit *mater Cybele protectrix* loci, *& cymbala Corybantia, & ſilva Idæa: hinc fidele arcanum cæremoniarum, & jun-*

## N O T Æ.

102. *Volvens monumenta, &c.*) Erravit in ea explicatione oraculi & pater & filius; pater quidé, quod in re dubia, qualis erat origo Trojanæ gentis, quæ per Dardanum ex Italia, per Teucrū e Creta oriebatur, minime dubitarit: filius autem, quod patrem non monuerit, ſe a Creuſa abeunte audiviſſe, ibi ſedes a Diis in Italia ad Tybrim fluvium eſſe paratas: quod in alteram interpretationis partem deflectere patris animum potuiſſet: vide Æn. 2. 781.

104. *Creta, &c.*) *Candia*, ingens inſula mediterranei maris, inter Ægæum & Libycum mare: olim urbibus clara centum, unde ab Homero in Iliade [illegible] dicitur; in Odyſſ. habet tantum urbes [illegible], *nonaginta*: præcipuæ fuerunt *Gnoſſus*, *Gortyna*, *Cydon*, *Dictyna*. De Jovis in ea inſula cunabulis, deque *Cybele* & *Corybantibus*, Georg. 4. 151. & mox v. 111.

108. *Teucrus Rhœteas.*) Teucer, Scamandri Cretenſis filius, cum inſula frugum inopia laboraret, dicitur, ad ſedes novas quærendas, cum tertia populi parte ſolviſſe; acceptoque oraculo, ibi ſe poſiturum ſedes, ubi eſſet a terrigenis noctu oppugnatus, in Phrygia circa Amaxitum & Rhœteum Troadis in Helleſponto promontorium maxima murium multitudine vexatus, ibi ſedem fixit, templum conſtituit Apollini Smintheo, cujus ſimulacrum pede premebat murem, qui Phrygia, aut Cretica lingua [illegible] appellatur. Præterea veterum colonorum more, patria nomina intulit in Troadem, & montem vocavit Idam ab Ida Cretenſi monte, Æn. 2. 801. a patre ſuo Scamandrum fluvium, qui antea Xanthus vocabatur: unde Homerus ait Xanthum a Diis vocari, Scamandrum ab hominibus; id eſt, nomen hoc eſſe illo recentius. Denique cultum Cybeles matris Deorum in Phrygiam intulit e Creta, ubi illa Jovem pepererat & aluerat.

109. *Optavitque locum regno.*) *Elegit*: ſic Æn. 1. 429. *Pars optare locum tecto.* Et vero primus ibi regnavit: paulloque poſt venit ex Italia Dardanus, qui ab ipſo in generum ac ſucceſſorem adſcitus eſt Æn. 1. 239.

111. *Mater cultrix Cybele.*) Quæ & *Rhea*, & *Ops*, Saturni uxor, mater Deorum ac terra ipſa. Nomen vel a *Cybelo* monte Phrygiæ; vel a [illegible] *in caput ſaltare*, *in caput rotare*, quod in ſacris ejus miniſtri crebro caput rotarent. Et vero Græcis ipſa dicitur & [illegible], & [illegible]. Vocabantur miniſtri illi *Corybantes*, *Curetes*, & *Dactyli Idæi*, Jovis altores, qui frequenti cymbalorum æreorum pulſu in ſacris utebantur. Vehebatur curru, quia ex Lucret. l. 2. 600. terra eſt; terra autem in medio pendet. Trahebatur a leonibus, quia mater eſt omnium & parentum officiis proles etiam ferociſſima molliri debet. Cætera ejus myſteria ibi fuſe ab eodem Lucretio explicantur. Premebantur autem ejus ſacra gravi ſilentio, ut & Cereris ceremoniæ: fortaſſe ut inſcrutabile terræ profunditatem exprimerent. Reliqua vide Georg. 4. 151. & Æn. 6. 784. Legunt hic multi *cultrix Cybeli*, in quo Phrygia monte culta eſſe dicitur: atque adeo hunc incoluiſſe dici poteſt, & protexiſſe, quomodo Juno Carthaginem, Æn. 1. 20. *Quam Juno fertur terris magis omnibus unam poſthabita coluiſſe Samo.* Alioqui *cultrix Cybele* dicetur, pro cultrice montiū, in quibus coli amavit, quo nomine eā appellat Catul. de nu-



Et juncti currum dominæ ſubiere leones.
Ergo agite, &, Divum ducunt qua juſſa, ſequamur.
Placemus ventos, & Gnoſſia regna petamus.
Nec longo diſtant curſu: modo Jupiter adſit,
Tertia lux claſſem Cretæis ſiſtet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores:
Taurum Neptuno; taurum tibi, pulcher Apollo:
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat, pulſum regnis ceſſiſſe paternis
Idomenea ducem, deſertaque litora Cretæ,
Hoſte vacare domos, ſedeſque aſtare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus:
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donyſam,
Olearon, niveamque Paron, ſparſaſque per æquor
Cycla-

*& juncti leones traxerunt currum Deæ. Itaque agite, & eamus qua mandata Deorum nos ducunt. Propitiemus ventos, & proficiſcamur in regnum Creticum. Neque abeſt longo ſpatio: dum Jupiter faveat, tertia dies appellet naves ad litus Creticum. Sic locutus immolavit in altaribus dignas victimas: Neptuno taurum; tibi taurum, o Phœbe formoſe: Tempeſtati ovem nigram, Zephyris propitiis candidam. Rumor ſpargitur, ducem Idomeneum ejectum abiiſſe e paternis regnis, & litora Cretæ* eſſe *vacua, domos carere hoſtibus, & regionem relictam patere. Linquimus portus Deli, & mari currimus, & radimus Naxum* in *montibus* ſonantem tumultu *Baccharum, & viridem Donyſam,* & *Olearon, & Paron candidam, & Cycladas ſparſas per mare, & fre-*

## N O T Æ.

nuptiis Pelei 301. *Unigenamque ſimul cultricem montibus Idæ.*

115. *Gnoſſia regna.*) Cretam, cujus urbs præcipua *Gnoſſus*, ſupra v. 104.

116. *Jupiter.*) Sumitur hic vel pro Deorum rege, qui natus in Creta eidem præfuerat, vel pro aere ventis impulſo, ut a Catullo ſumitur in Phaſelo: *ſive utrumque Jupiter ſimul ſecundus incidiſſet in pedem.*

118. *Honores.*) Pro ſacrificiis ſæpe ſumuntur; infra v. 547. *Junoni Argivæ juſſos adolemus honores.* De *Neptuno*, Æn. 1. 129. De *Apolline*, Ecl. 3. 104.

120. *Nigram Hyemi, &c.*) Per *Hyemem* intelligit *Tempeſtates*, quæ ex Cicer. de Nat. Deorum 3. 51. *Populi Romani ritu conſecratæ ſunt: noſtri duces, mare ingredientes, immolare hoſtiam fluctibus conſueverunt.* Ad hunc morem alluſit Virgilius hic, & l. 5. 772. *Tempeſtatibus agnam cædere deinde jubet.* Et notat hic Taubmannus ex Plauto, *pecudem* maxime de ovino genere dici. *Venti* quoque Deorum loco habiti ſunt, tam apud Græcos ex Herodoto, qui l. 7. Athenienſes inducit Boreæ ſacrificantes; quam apud Romanos ex Seneca, Natur. quæſt. l. 5. 17. qui ait, Auguſtum in Gallia commorantem Circio, Galliæ Narbonenſis peculiari vento, templum voviſſe ac feciſſe. De *Zephyro*, Ecl. 5. 5. At notat Macrobius hæc ſacrificia non in templo Deliaco facta eſſe, ubi ſanguinem fundi nefas erat. Et vero non ſacrificaſſet hyemi & ventis ad aram Apollinis. Ubi igitur? fortaſſe in litore.

122. *Idomenea.*) Ionice, [illegible], ut longa ſit penultima, ut Æn. 1. 615. *Ilionea petit dextra.* Idomeneus filius Deucalionis, nepos fuit Minois Cretenſis regis, duxitque Cretenſes ad Trojanum bellum; unde rediens cum in tempeſtate voviſſet ſe ſacrificaturum Diis, quod ſibi appulſo primum occurreret, occurriſſetque filius, eum pater immolavit; orta deinde peſte pulſus eſt rex a civibus, quaſi impius in prolem, atque ita Diis inviſus. Inde abiiſſe dicitur in Calabriam Italiæ, & ad Salentinū promontorium urbem condidiſſe. Ait tamen interpres Lycophronis, eum a Nauplio pulſum, Eubœæ rege: qui ut necem Palamedis filii Ulyſſis dolo a Græcis ad Trojā occiſi vindicaret, Cretam occupaverat. Diodorus non pulſum Idomenea, ſed in patria diem obiiſſe cenſet.

124. *Ortygiæ.*) Antiquum nomen Deli inſulæ; vel ab [illegible] *coturnix*, Ital. *quaglia*: quod genus illic, aut primum, aut magna multitudine viſum volunt gramatici: vel juxta alios, ab Ortygia Ætoliæ; cujus & hanc, & alias complures Ortygias, colonias fuiſſe volunt.

125. *Bacchatamque jugis Naxon.*) *Naxus*, una Cycladum inſula nobiliſſima, ad meridiem Deli, vino fertilis, unde Baccho dicata; quia Ariadnen, a Theſeo raptam, ibique relictam, fertur excepiſſe. *Bacchata* dicitur, id eſt, frequentata a Bacchis, furioſis Bacchi comitibus fœminis. 5. 29. 69. Hodie *Nicſia*.

*Viridemque Donyſam.*) Jacet inter Icariam & Gyarum, marmore viridi celebris: hodie *Donuſſa*.

126. *Olearon, &c.*) *Olearus* vel *Oliarus* juxta Nigrum nunc dicta *Quinmio*. Paros



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Cycladas, & crebris legimus freta conſita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur ſocii, Cretam proavoſque petamus.
Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntes:
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco: & lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere ſicco ſubductæ litore puppes:
Connubiis arviſque novis operata juventus:
Jura domoſque dabam: ſubito cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miſerandaque venit
Arboribuſque ſatiſque lues, & letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora. Tum ſteriles exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.
Rurſus ad oraculum Ortygiæ Phœbumque remenſo
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quem feſſis finem rebus ferat, unde laborum
Tentare auxilium jubeat, quo vertere curſus.
Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat.
Effigies ſacræ Divum, Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja mediiſque ex ignibus urbis 150 Ex-

*& freta diſtincta multis inſulis. Tollitur clamor nautarum diverſo conatu. Socii impellunt ſeſe, ut adeamus Cretam & majores. Ventus ſuboriens a puppi propellit navigantes: ac demum appellimur ad vetera litora Curetum. Ergo cupidus exſtruo muros deſideratæ urbis, & eam appello Pergameam, & hortor populum gaudentem* hac *appellatione*, ut *curet domos, & erigat arcem* alto *faſtigio. Et jam ferme naves deductæ* e mari ſtabant *in litore ſicco: juventus vacabat conjugiis & agris novis; diſtribuebam leges ac domos: cum repente peſtis funeſta*, & *putrida, & annus mortifer venit in corpora, &* in *arbores, &* in *ſegetes, vitiatis ſpatiis aeris.* Socii *amittebant dulces animas, aut trahebant languentia corpora. Præterea Sirius* cœpit *urere campos infœcundos: herbæ ſiccabantur, & meſſes aridæ non dabant cibum.* Pater meus *hortatur* me, ut *remenſo mari eam iterum ad oraculum Deli, &* ad *Phœbum; &* ut *orem veniam:* & petam *quem terminum ponat rebus afflictis, unde imperet* nos *quærere ſubſidium* in tot *difficultatibus, & quo convertere curſum. Nox erat, & ſomnus tenebat animalia per terras. Statuæ ſacræ Deorum, & Penates Phrygii, quos exportaveram mecum a Troja, & e medio incendio urbis,*
*viſi*

N O T Æ.

*Paros*, hodie *Pario*, niveo marmore nobilis. De *Cycladibus*, ſupra v. 74.

127. *Conſita terris.*) Ubi variæ terræ, ſeu inſulæ, quaſi *ſatæ & ſeminatæ* ſunt, & poſt mentionem *Cycladum*, hic ſignificat *Sporadas*; quæ nomen habent a *σπορά*, *ſemine*, quia ſine ordine ſparſæ ſunt.

131. *Curetum oris.*) Cretam ſignificat: ubi *Curetes* populi, vel familia fuit miniſtrorum Cybeles: ſic dicti juxta Strabonem l. 10. a *κουρᾶ tonſura*, quia anteriorem capitis partem detonſam geſtabant. Saltationis armatæ inventionem iis Plinius tribuit; cæteri etiam tympana, quorum ſtrepitu Jovem recens natum Saturni patris voracitati ſubduxere. Iidem dicti *Corybantes* & *Idæi Dactyli*.

134. *Amare focos.*) Servius ait commendari ſtudium ſacrificiorum, quæ ſemper igne perficiebantur: ego curam privatarum domorum & rei familiaris. Id enim focus ſæpe ſignificat: ut cum dicimus, *pugnare pro aris & focis*, id eſt, pro re ſacra ac profana, publica ac domeſtica.

136. *Operata, &c.*) Vel *operam dabat* connubiis & agris colendis, ut explicat Donatus. Vel *ſacrificabat* pro felici ſucceſſu conjugiorum & agrorum; nam & ante hæc omnia præibat apud veteres ſacrificium, & *operari* ſimpliciter, *ſacrificare* interdum ſignificat, ut Georg. 1. 339. *Lætis operatus in herbis*.

141. *Sirius*) Stella in ore majoris canis, quæ *canicula* dicitur: de ea Georg. 2. 353. De *Ortygia*, ſive Delo inſula, ſupra v. 124. De *Phœbo*, Ecl. 3. 62. De *Phrygiis Penatibus*, Æn. 2. 717.

152. *Inſertas.*) Servius explicat, *inſeratas*, id eſt *non ſeratas, non clauſas ſera*; per ſyncopen, ut Æn. 2. 379. *Aſpris ſentibus*, pro *aſperis*: paullo durius. Turnebus, *ædibus inſertas & interpoſitas* ad lucem admittendam. Germanus, *trajectas & penetratas lumine*. Alii, *biantes, quibus lumen inſertum erat*; quo fere modo dixit, Æn. 2. 135. *Per noctem obſcurus in ulva delitui*: id eſt, *per noctem obſcuram*.

163. *Eſt*



Extuleram, viſi ante oculos aſtare jacentis
In ſomnis, multo manifeſti lumine, qua ſe
Plena per inſertas fundebat Luna feneſtras.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo eſt,
Hic canit, & tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incenſa, tuaque arma ſecuti,
Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus æquor;
Iidem venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ ſedes: non hæc tibi litora ſuaſit
Delius, aut Cretæ juſſit conſidere Apollo.
Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt;
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ.
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ ſedes: hinc Dardanus ortus,
Iaſiuſque pater, genus a quo principe noſtrum.
Surge, age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Coritum, terraſque require
Auſonias. Dictæa negat tibi Jupiter arva.
Talibus attonitus viſis ac voce Deorum, ( Nec

viſi ſunt *in ſomnis ſtare ante oculos decumbentis, multa luce conſpicui, qua* parte *Luna plena mittebat ſuum lumen per feneſtras biantes. Tunc ſic viſi* ſunt *me alloqui, & auferre ſollicitudinem his verbis: Quod Apollo dicturus* eſſet *tibi appulſo* ad *Delum*, hoc ipſum *tibi prædicit hoc loco, & ecce nos ipſe ſponte mittit in tuam domum. Nos* poſt *Trojam combuſtam ſecuti* ſumus *te & tua arma; nos te duce percurrimus navibus procelloſum mare; nos ipſi extollemus ad ſidera futuros poſteros* tuos, *& dabimus imperium* orbis *urbi* tuæ. *Tu deſtina magnos muros* nobis *magnis, & ne abjice laborem longi itineris. Mutanda* eſt *regio: Delius Apollo non ſuaſit tibi* adire *hæc litora, nec juſſit* te *manere in Creta. Eſt regio* quam *Græci cognomine appellant Heſperiam: terra vetus, potens bello & fertilitate agrorum. Populi Oenotrii* hanc *tenuerunt: nunc rumor* eſt *poſteros vocaviſſe nationem, Italiam, e nomine ducis. Hæ ſedes addictæ* ſunt *nobis: hinc natus* eſt *Dardanus, & pater Jaſius, a quo* Dardano *principe genus noſtrum* ductum eſt. *Age, ſurge, & lætus renarra ſeniori patri hæc verba non revocanda* in *dubium. Quære Coritum, & terras Auſonias. Jupiter negat tibi Cretenſes agros.* ( Ne-
Ego *ſtupefactus talibus juſſis & ſermone Deorum*,

N O T Æ.

163. *Eſt locus, &c.*) Hi verſus & ſequentes omnino tranſlati ſunt ex Æn. 1. v. 534. ubi fuſe explicantur.

167. *Dardanus, Iaſiuſque pater, &c.*) *Pater* ad poſteros refertur, non ad Dardanum, qui ejus frater fuit: ambo Electram habuere matrem, filiam Atlantis Mauritaniæ regis, uxorem Coriti Tuſciæ regis in Italia; ſed Jaſius hunc Coritum habuit patrem, Dardanus Jovem. Mortuo Corito, ortoque de ſuccedendi jure diſſidio, Jaſium Dardanus occidit: ideoque pulſus a Tuſcis, & a Siculo Hiſpaniæ rege, Electræ fratre, qui ad componenda diſſidia venerat; primo in Samothraciam inſulam fugit, ac deinde in Phrygiam, ubi Teucri filiam accepit in conjugem, & cum eo gentis hujus parens fuit, quæ deinde Trojana dicta eſt. Igitur *a quo* non ad Jaſium, ſed ad Dardanum referri debet, Æn. 1. 239.

170. *Coritum.*) *Coritus:* mons & urbs Tuſciæ, nunc *Cortona:* vel a Corito Dardani, ut putabatur, patre ſic dicta; vel a *κόρυς galea*, quam Dardanus illic in pugna amiſit. De *Tuſcia* ſive *Etruria*, Italiæ regione, Æn. 8. 479.

171. *Auſonias. Dictæa, &c.*) Italiam volunt dictam eſſe Auſoniam ab *Auſone* Ulyſſis & Calypſus filio: at male; non enim hic Penates Æneæ nomen hoc Italiæ tribuerunt, cum vix dum natus eſſet Auſon, tantum abeſt, ut illic regnaret. Niſi uſurpatum id putemus per anticipationem temporis. Alii volunt *Auſones* dictos eſſe Græcis veteres eos Latii populos, qui Latinis *Aurunci* dicebantur, commutatione vulgari literæ *r* in *ſ*. Et bene; nam *Aurunci* antiquiores fuerunt Ulyſſis & Æneæ temporibus, ſiquidem ait Latinus Latii rex, Æ. 7. 206. *Atque equidem memini... Auruncos ita ferre ſenes*. *Dictæa arva*, Cretenſia ſunt, a monte *Dicte*, ubi educatus eſt Jupiter, nunc *Lyſbi*, in parte orientali Cretæ: ab aliquibus
Idæ

( Nec ſopor illud erat; ſed coram agnoſcere vultus,
Velataſque comas, præſentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore ſudor )
Corripio e ſtratis corpus, tendoque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis: perfecto lætus honore
Anchiſem facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminoſque parentes:
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita noſtro,
Et ſæpe Heſperiam, ſæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Heſperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Caſſandra moveret?
Cedamus Phœbo, & moniti meliora ſequamur.
Sic ait, & cuncti dictis paremus ovantes.
Hanc quoque deſerimus ſedem, paucisque relictis
Vela damus, vaſtumque cava trabe currimus æquor.
Poſtquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undique & undique pontus:

Tum

*( Neque enim hoc erat ſomnus; ſed videbar coram diſtinguere vultus, & capillos velatos, & facies præſentes: & tum ſudor frigidus fluebat toto corpore ) effero corpus e lecto, & extollo ad cœlum manus inverſas cum prece, & injicio flammis pura dona: confecto ſacrificio lætus facio Anchiſen certum* de iis rebus, *& explico ordine prodigium.* Anchiſes *animadvertit familiam ancipitem, & binos* ejus *auctores: & ſe deluſum* eſſe *novo errore antiquarum regionum. Deinde ait: Fili, agitate fatis Trojanis, ſola Caſſandra mihi prædicebat tales caſus. Nunc reminiſcor* illam *prædixiſſe hæc deſtinata* eſſe *noſtræ genti, & ſæpe appellaſſe Heſperiam, ſæpe regna Italica. Sed quis putaviſſet Trojanos venturos ad litus Italiæ? aut quem tum Caſſandra vaticinans moviſſet? Obediamus Apollini, & admoniti ſequamur meliora* conſilia. *Sic dixit, & omnes obtemperamus læti verbis* ejus. *Relinquimus hanc etiam terram, & paucis* ibi *relictis, præbemus vela* ventis, *& decurrimus magnum mare cavis navibus. Poſtquam naves provectæ* ſunt *in altum* mare, *nec jam ullæ terræ amplius videbantur*, ſed *undequaque aer, & undequaque aqua:*

tunc

NOTÆ.

Idæ pars eſſe dicitur, & diſtinguitur ab aliis.

174. *Velataſque comas.*) Ornatas vittis, quæ etiam ſacrarum ſtatuarum capitibus alligabantur, Æn. 2. 133.

176. *Supinas.*) Ita ſublatas, ut palmæ cœlo obvertantur.

177. *Munera libo, &c.*) Penatibus & Laribus ſacra fiebant; alia quotidiana & privata; alia publica in compitis, unde apud Romanos dicebantur *Compitalia*. Privata vulgo *ad focum*, aliquando etiam ad aram, quæ in ſacrario domus erecta erat: eaque fiebant thure, vino, coronis & laneis & floreis, cibo aliquo lautiore e menſa in ignem injecto. Patet id præſertim ex Plauto in Aululariæ prologo. Publica ſacrificia fiebant porca cæſa. Igitur hic *munera intemerata* erunt, purum vinum, ac thus: quare *libari* dicuntur, id eſt, *ſtillari & injici*, Æn. 1. 740.

180. *Geminoſque parentes, &c.*) *Teucrum*, qui ex Creta; *Dardanum*, qui ex Italia venerat. At vero errorem agnoſcere ante debuerat, præſertim ex ultimis Creuſæ verbis ad Æneam, Æn. 2. 781.

183. *Caſſandra.*) De illa Priami filia, & vate, cujus vaticiniis nulla fides a Trojanis habebatur, Æn. 2. 246. De *Heſperia*, Italia, Æn. 1. 534. De *Teucris*, Trojanis ibid. 239.

189. *Ovantes.*) Proprie *ovatio* erat minor triumphus, pedeſtris; ad ſummum ex equo, non e curru. Nomen eſt, vel ab acclamatione militum, geminata ſæpius litera O, juxta Feſtum; vel ab *ove*, quæ in minori triumpho immolabatur, non taurus, juxta Plutarchum. Hinc ad lætitiam omnem ſignificandam vox illa traducta; etiam ad corvos, qui dicuntur Georg. 1. 418. *Ovantes gutture corvi.*

202. *Palinurus.*) Gubernator navis Æneæ, qui Morphei dolis oppreſſus in mare decidet Æ. 5. 883. & in Italiam, ad litus Velinum enatans, ab incolis occidetur, nomenque dabit promontorio Lucaniæ Palinuro, Æn. 6. 337.

210. *Strophades Grajo, &c.*) Inſulæ duæ parvæ, hodie *Strivali*, ad latus Peloponneſi, in



Tum mihi cæruleus ſupra caput aſtitit imber,
Noctem hyememque ferens: & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Æquora: diſperſi jactamur gurgite vaſto:
Involvere diem nimbi, & nox humida cœlum
Abſtulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, & cæcis erramus in undis.
Ipſe diem noctemque negat diſcernere cœlo,
Nec meminiſſe viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.
Quarto terra die primum ſe attollere tandem
Viſa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis inſurgimus: haud mora nautæ
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt. Strophades Grajo ſtant nomine dictæ
Inſulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineïa poſtquam
Clauſa domus, menſaſque metu liquere priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis & ira Deum Stygiis ſeſe extulit undis.

Vir-

*tunc cærulea pluvia decidit mihi ſupra caput, inducens noctem & tempeſtatem, & mare terribile* factum eſt *ob tenebras. Statim venti impellunt mare, & magni fluctus intumeſcunt; agitamur ſparſi immenſo mari; nubes obtexerunt diem, & nox imbrifera eripuit lucem: crebro micant fulgura e ſciſſis nubibus. Dejicimur a* recto *curſu, & vagamur per undas ignotas. Ipſe Palinurus ait ſe non diſtinguere diem a nocte* in *cœlo, nec cognoſcere iter in mediis fluctibus. Itaque vagamur mari* per *tres dies ambiguos* propter *tenebras obſcuras, & per tres noctes ſine aſtro. Quarto demum die terra primum viſa eſt ſe erigere*, & *procul oſtendere montes; atque emittere fumum. Vela detumeſcunt, incumbimus remis*, non eſt *mora, nautæ connitentes convolvunt ſpumoſos* fluctus, *& ſecant* ſpatia *cærulea. Litora Strophadum primo excipiunt me ereptum ex undis. Strophades inſulæ Græco nomine appellatæ jacent in magno* mari *Jonio: quas ſæva Celæno & aliæ Harpyiæ habitant, ex quo* tempore *domus Phinei clauſa* eſt ipſis, *& præ timore deſeruerunt menſas priores.* Non eſt *monſtrum perniicoſius illis: nec ulla peſtis aut furor Deorum crudelior extulit ſe ex undis inferorum.*

*Vul-*

NOTÆ.

in mari Jonio. *Jonium* vero mare dicitur: non quod Joniam alluit, Aſiæ minoris regionem inter Æolidem & Cariam; ſed quicquid aquarum interjacet Siciliam inter & Græciam ad uſque promontorium Epiri Acroceraunium, ubi mare Hadriaticum incipit, quod vocatur a quibuſdam *ſinus Jonius*. Inſulæ porro illæ prius dicebantur *Plotæ*: deinde *Strophades* a *στροφὴ converſio*: quia Calais & Zetes, alati Boreæ filii ex Orithyia, cum Harpyias e Phinei regno ad has uſque inſulas expuliſſent; a Jove admoniti ne Harpyias ultra perſequerentur, inde repreſſo curſu reverſi ſunt. Notetur longa diphthongus æ ante Vocalem correpta, nec eliſa, Græco more: *Inſulæ Ionio*.

211. *Celæno, Harpyiæque, &c.*) Ponti & Terræ dicuntur filiæ, unde in inſulis habitant: nomen ab ἅρπω, ἁρπάζω, *rapio*. Vulgo tres numerantur ab Heſiodo, *Iris, Aello, Ocypete*. Alii mutant nomina. Virgilius unam appellat *Celæno*, nec definit aliarum nomina aut numerum. Aliqui quartam addunt *Thyellam*.

Vocavit eas Apollonius, Διὸς κύνας *Jovis canes*; Valerius Flaccus, *Jovis famulas*; Virgilius hic *furias*, v. 252., *diras* v. 262. unde probat Servius, & poſt eum Cerdanus, eaſdem eſſe quæ apud inferos dicuntur *furiæ*, apud ſuperos *diræ*, in medio *harpyiæ*: quemadmodum eadem eſt Diana in terris, Luna in cœlo, Proſerpina in inferis.

212. *Phineïa.*) Phineus Arcadiæ, vel Thraciæ rex, cum filios ex prima conjuge ſuſceptos fraude novercæ excæcaſſet, ipſe a Jove excæcatus & immiſſis Harpyiis vexatus eſt. Argonautas deinde, in Colchidem ad expeditionem velleris aurei profectos, cum iter docuiſſet, Calais & Zetes ut gratiam referrent, Harpyias ad Plotas uſque inſulas perſecuti ſunt, ut mox diximus.

215. *Stygiis.*) *Styx*, inferorum fluvius, de quo Æn. 6. 323.

223. *In prædam partemque Jovem.*) Id eſt, *in prædæ partem.* Et mos erat veterum, ut partem ſpoliorum in bello, aut prædæ in venatione

Diis

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus, ecce
Læta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo cuſtode, per herbas.
Irruimus ferro, & Divos ipſumque vocamus
In prædam partemque Jovem. Tum litore curvo
Exſtruimuſque toros, dapibuſque epulamur opimis.
At ſubitæ horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.
Rurſum in receſſu longo, ſub rupe cavata,
Arboribus clauſi circum atque horrentibus umbris,
Inſtruimus menſas, ariſque reponimus ignem.
Rurſum ex diverſo cœli cæciſque latebris
Turba ſonans prædam pedibus circumvolat uncis,
Polluit ore dapes. Sociis tunc arma capeſſant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, tectoſque per herbam
Diſponunt enſes, & ſcuta latentia condunt.
Ergo ubi delapſæ ſonitum per curva dedere
Litora, dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta
Ære cavo: invadunt ſocii, & nova prælia tentant,
Obſcœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo

Ac-

*Vultus earum volucrum ſunt fœminei, ſordidiſſima effuſio alvi, & manus aduncæ, & facies ſemper pallidæ præ fame. Poſtquam huc appulſi ingreſſi ſumus portum, ecce cernimus paſſim in campis pingues boum greges, & greges caprarum in pratis, ſine cuſtode. Irruimus in eos gladiis, & vocamus in prædam & in partem Deos & Jovem ipſum. Deinde in ſinuoſo litore ſtruimus lectulos, & comedimus pingues carnes. Sed improviſæ Harpyiæ advolant tremendo volatu e montibus, & ſuccutiunt alas magno ſtridore, & rapiunt cibos, & turpant omnia immundo tactu. Præterea vox earum horribilis eſt inter fœtidum odorem. Iterum in receſſu remoto ſub rupe cavata circumtecti arboribus & denſa umbra, ſternimus menſas, & collocamus ignem in aris. Iterum ex alia parte cœli & latebris incognitis turba Harpyiarum ſtridens advolat circa prædam aduncis pedibus, & fœdat cibos ore. Præcipio tunc ſociis ut ſumant arma, & bellum faciendum eſſe cum fœda turba. Non aliter ac juſſi erant faciunt, & præparant gladios occultos ſub herba, & abſcondunt clypeos latentes. Igitur, cum Harpyiæ advolantes ediderunt ſtrepitum per ſinuoſa litora, Miſenus ab alto colle dat ſignum pugnæ cava buccina: aggrediuntur ſocii, & tentant novam pugnam, nempe vulnerare gladio turpes volucres maris. At neque excipiunt plumis ictum ullum, aut plagas tergo,*

& ce-

N O T Æ.

Diis voverent: eamque vel addicerent ſacrificiis, vel e tholo & fornice & arboribus ad memoriam ſuſpenderent. Sic Æn. 9. 407. Niſus ad Dianam: *Si qua ipſe meis venatibus auxi, Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.*

224. *Toros.*) *Lectos*: juxta grammaticos veteres, a *torta* herba, ex qua ſtruebantur: juxta recentiores, a τόνος *funis*, quia extenſis funibus fiebant.

231. *Ariſque, &c.*) Vel quia nuſquam epulabantur veteres abſque aliqua ſpecie ſacrificii, & ſaltem libationis, de qua Æn. 1. 740. Vel quia forte aras Jovi erexerant, ut prædæ partem ei ſacrificarent.

239. *Specula Miſenus, &c.*) *Specula* locus editior, unde late proſpectus patet: ab antiquo *ſpecio*, id eſt, *video*: hinc eſt *ſpeculor*. *Miſenus*, Æoli filius, Hectoris olim tubicen, nunc Æneæ, de quo multa Æn. 6. 164.

241. *Pelagi volucres.*) Quia Harpyiæ Ponti aut Neptuni, & Terræ dicuntur filiæ, ſupra v. 212.

248. *Laomedontiadæ.*) Trojani, a Laomedonte rege, Priami patre. Georg. 3. 35.

249. *Patrio regno.*) Neptuni patris, cui parent mare & inſulæ. De *Phœbo* Ecl. 3. 62. De *Apolline*, ibid. 104. Nomen utrumque conjunxit, Homerico more. Innuit autem, fatorum

om-



Accipiunt: celerique fuga ſub ſidera lapſæ
Semeſam prædam & veſtigia fœda relinquunt.
Una in præcelſa conſedit rupe Celæno
Infelix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum ſtratiſque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio inſontes Harpyias pellere regno?
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis furiarum ego maxima pando.
Italiam curſu petitis, ventiſque vocatis
Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, noſtræque injuria cædis,
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.
Dixit, & in ſilvam pennis ablata refugit.
At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis precibuſque jubent expoſcere pacem,
Sive Deæ, ſeu ſint diræ obſcœnæque volucres.
At pater Anchiſes paſſis de litore palmis
Numina magna vocat, meritoſque indicit honores:
Di, prohibete minas, Di, talem avertite caſum,
Et placidi ſervate pios. Tum litore funem
Diripere, excuſſoſque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: fugimus ſpumantibus undis,
Qua curſum ventuſque gubernatorque vocabant.

Jam

*& celeri fuga elapſæ ad aſtra deferunt prædam ſemimanducatam & notas fœdas. Una ex iis Celæno conſtitit in altiſſima rupe funeſta vates, & emiſit hæc verba e pectore: An etiam bellum, bellum, inquam, vultis nobis inferre, poſt ſtragem boum & occiſos juvencos noſtros, o Trojani? & ejicere Harpyias inſontes e paterna ditione? Ergo animis excipite & imprimite hæc mea verba: quæ Jupiter omnipotens dixit Apollini, Phœbus Apollo mihi, ego maxima furiarum expono vobis. Petitis navigatione Italiam: & ventis invocatis pervenietis in Italiam, & permittetur vobis ingredi portus ejus. Sed non claudetis muris urbem conceſſam, priuſquam crudelis fames & injuria cædis nobis illatæ cogat vos devorare dentibus menſas corroſas. Sic locuta eſt, & fugit in ſilvam alis ablata. At ſociis ſanguis frigidus conſtipatur repentino timore: animi defecerunt: nec jam ulterius volunt armis pugnare, ſed votis & precibus petere pacem ab Harpyiis, ſeu ſint Deæ, ſeu funeſtæ & fœdæ volucres. At pater Anchiſes extenſis e litore manibus invocat magnos Deos, & deſtinat ipſis digna ſacrificia: O Dii, inquit, impedite effectum harum minarum, Dii, avertite tale infortunium, & placati protegite pios. Deinde imperat ſocios evellere funem e litore, & ſolvere allatos rudentes. Auſtri inflant vela, fugimus per ſpumoſas aquas, qua ventus & gubernator dirigebant navigationem.*

Jam

N O T Æ.

omnem cognitionem & oracula a ſolo Jove prodire; ut diximus Æn. 1. 243.

257. *Ambeſas ſubigat, &c.*) Horrendum vaticinium! quanta enim fames, quæ menſas ligneas abſumere ſubigat? Tamen ludicrum eſſe probabit eventus Æn. 7. v. 116. Cum non fames dira, ſed edendi aviditas, Trojanis ſuadebit, ut panis fruſta, quæ cibis aliis ſubſtraverint, etiam comedant. *Ambeſas*, id eſt *circumeſas*: *ambi* enim vel *amb*, Latinis eſt *circum*; a Græco ἀμφί.

262. *Deæ, diræ, obſcœnæque, &c.*) Per *Deas*, intelligit *furias*, quæ ſic paſſim a Græcis Latiniſque poetis appellantur. Per *obſcœnas volucres*, non tantum *fœdas*, ſed potius *funeſtas* & mali ominis. *Obſcœnum* enim vox eſt auguralis, cujus etyma ſeptem affert Voſſius. Tria hæc probatiſſima: alterum ab *ob* & *ſcævum*, quod eſt a σκαιὸς *ſiniſtrum* & *bonum*; itaque *obſcœnum*, quod *obſtat ſcævo* & bono omini; alterum ab *ob* & *cano*, id eſt, *contra cano*: quod quando pulli in auguriis captandis faciebant, funeſtiſſimum erat: tertium ab *ob* & *cœnum*, *lutum*, quod *ſordidum* notat. Ex prima origine ſcribi debet per *æ*, ex ſecunda per *e* ſimpliciter, ex tertia per *œ*.

264. *Numina magna.*) Erant enim *majores* & *minores* Dii. Majores duodecim; mares ſex, Jupiter, Neptunus, Mars, Mercurius, Vulcanus, Apollo, ſex fœminæ, Juno, Ve-



ſta,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Jam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua ſaxis.
Effugimus ſcopulos Ithacæ, Laertia regna,
Et terram altricem ſævi execramur Ulyſſis.
Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus feſſi, & parvæ ſuccedimus urbi.
Anchora de prora jacitur, ſtant litore puppes.
Ergo inſperata tandem tellure potiti, Lu-

*Jam Zacynthos ſilvoſa apparet in medio mari, & Dulichium, & Same, & Neritos alta rupibus. Evitamus ſcopulos Ithacæ, regna Laertæ, & deteſtamur regionem nutricem crudelis Ulyſſis. Deinde etiam oſtenditur procelloſus vertex Leucatæ montis, & Apollo terribilis navigantibus. Hunc montem laſſi petimus, & imus ad parvam urbem. Anchora demittitur e prora, puppes ſiſtunt in litore. Igitur potiti demum terra inſperata,* *& ſa-*

## NOTÆ.

ſta, Ceres, Pallas, Diana, Venus. Minores erant, heroes, ſemidei, &c. inter quos *furias* illas, quaſi familiares Deos, reponebat Æneas. De *rudentibus*, funibus nauticis, Æn. 1. 91.

268. *Noti.*) Auſtri, venti meridionales: & proprie quidem, hoc enim vento opus eſt a Strophadibus ad Zacynthum naviganti. De *Noto*, Ecl. 2. 58.

270. *Zacynthos.*) Perſequitur iter, in eodem Jonio mari, a meridie in ſeptentrionem: quo ordine, poſt *Strophadas* occurrit...

I. *Zacynthus*, *Zante*, ad latus occidentale Peloponneſi, contra promontorium Chelonaten, hodie ſub Veneta ditione.

II. *Same, Dulichium, & Ithaca.* Hæ tres ſub eadem fere linea occurrunt, ante fauces ſinus Corinthiaci,

*Dulichium* ab eo ſinu minus diſtat, eſtque una ex *Echinadibus* inſulis, quæ jam communi nomine vocantur *Curzolari*, incerto numero, ut monet Strabo l. 10. quia cum parvæ ſint, & ad oſtia Acheloi fluvii Acarnaniæ modo arenarum appulſu ſeparantur, modo aquæ impetu ſeparantur.

*Same*, vel *Samos*, quæ & *Cephalenia*, nunc *Cefalonia*, ex Strabone l. 10. major, & a Corinthiaco ſinu magis ad occidentem recedens: paret Reipublicæ Venetæ.

*Ithaca*, nunc *Val del compare*, inter Cephaleniam & Dulichium media: Ulyſſis patria; quæ hodieque paruit Turcis. In Ithaca eſt *Neritos*, non inſula, ut Lexica geographica vulgo ferunt, ex Strabone. Strabo enim contra probat multis Homeri verſibus, montem eſſe Ithacæ *Neritum*, Νήριτον. Quod autem hic legitur feminini generis, *Neritos ardua ſaxis*, explicat Suidas; apud quem *Neritum* mons eſt, *Neritos* ſilva ibidem denſiſſima: quod confirmat Heſychius, cum ait; Neritum, Ithacæ montem eſſe ſemper virentem ac frondentem: & Homerus, qui vocat Νήριτον εἰνοσίφυλλον *Neritum frondoſum*. Et bene congruit, quod ſtatim mentio ſequitur Ithacæ: quaſi dicat Æneas: *Apparet Ithacæ ſilva Neritos, ſaxis altiſſimis impoſita; ſed ſtatim illos Ithacæ ſcopulos effugimus.*

III. Sequitur ad ſeptentrionem trium illarum, inſula *Leucos*, *Leucadis*, vel *Leucate*, *cates*; nunc *Santa Maura*; ſub ditione Veneta, ad litus Acarnaniæ, quæ pars eſt Epiri: cui aliquando conjuncta fuit anguſto iſthmo; ac deinde ponte, poſtquam iſthmum illum Corinthii perfodiſſent. In hac inſula, Cephaleniam verſus, mons eſt ſive rupes, *Leucata*, *catæ*. Hæc rupes, quia alba eſt, inde ſibi & inſulæ nomen facit: λευκὸς enim eſt *albus*. Ex hac rupe qui amantes exiliiſſent in mare, ſanari ab amore putabantur, quod feciſſe perhibetur Sappho poetria, Phaonis amore inſaniens. Eidem rupi fanum Apollinis impoſitum fuiſſe teſtatur Strabo, cui quotannis in ſacrificium ſolebat reus aliquis e rupe in mare dejici, quamobrem, ſive ob ſcopulorum aſperitatem, dicitur hic, *formidatus nautis Apollo*. In ea inſula urbs eſt eodem nomine *Leucas*, quam Plinius ait olim dictam fuiſſe *Neritum*: ſed emendandus eſt ex Strabone, legendumque *Neritos*, non *Neritum*. De hac urbe Æneas loquitur, cum dicit: *Parvæ ſuccedimus urbi.* Tum deinde relictis illic navibus, ad Actiacum uſque litus proceſſit, a quo nondum Leucas diviſa fuerat, ut colligi poteſt ex Homeri verſibus apud Strabonem lib. 10.

IV. Igitur, ſequitur ad ſeptentrionem *Actium* promontorium, nunc *capo Figalo*, in ipſis faucibus Ambracii ſinus, ubi Actium erat oppidulum, & fanum alterum Apollinis: totus enim ille tractus Epiri ſacer erat Apollini, dicebaturque *Actius*, id eſt, litoralis, ab ἀκτὴ *litus*.

272. *Laertia regna.*) Laertes Acriſii filius, Jovis nepos, vulgo Ulyſſis pater creditus eſt: quidam tamen dixere Ulyſſem Anticlea quidem Laertæ uxore prognatum eſſe, ſed patre Siſypho vel Autolyco. Regni autem Laertæ præcipua quidem ſedes *Ithaca* fuit: paruit tamen ipſi etiam *Cephalenia*, & *Zacynthus*, & *Epiri* magna pars, præcipue ubi *Leucas*: ut ex Strabone colligitur & Homero Iliad. 2. 621. *Dulichium* vero & *Echinades*, etſi fortaſſe aliquando Laertæ paruerant, ſiquidem Ulyſſes ſæpe *Dulichius* appellatur: tamen earum inco-



Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras:
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæſtras
Nudati ſocii: juvat evaſiſſe tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuiſſe per hoſtes.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus aſperat undas.
Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno: Æneas

*& ſacrificamus Jovi, & cumulamus aras victimis; & nobilitamus Actium promontorium Trojanis ludis. Socii nudati committunt patrias luctas oleo fluente: delectat eos evitaſſe tot urbes Græcas, & iter habuiſſe inter medios hoſtes. Interea Sol circum agit annum integrum, & gelida hyems infeſtat mare Aquilonibus. Appendo liminibus anterioribus ſcutum æris cavi,* quod *geſtaverat magnus Abas, & noto factum* hoc *verſu:* *Æneas*

## NOTÆ.

incolas ad expeditionem Trojanam duxit Meges quadraginta navibus. Iliad. 2. 625.

279. *Luſtramurque Jovi, &c.*) Solvimus vota & ſacrificia Jovi. *Luſtro* enim, ut jam notavimus Æn. 1. 287. & 612. dicitur a *luo*, id eſt, *ſolvo*: unde cum vota Deo fecimus, voti *rei* ſumus, ut diximus Ecl. 5. 80. Igitur *luſtramur*, cum *ſolvimur* voto: & multo etiam magis, cum ad placandos Deos pro delicto aliquo ſacra expiatoria facimus. Ita cæremoniæ omnes, quæ ad ſacra pertinent, *luſtrales* dicuntur. Sic l. 6. 231. in funere Miſeni, ſacerdos *ter ſocios pura circumtulit unda .... luſtravitque viros.* Sic l. 8. 183. poſt oblatas Herculi victimas Trojana juventus veſcitur *perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis.* Quare autem nunc *luſtrantur Jovi?* Ut exſolvant vota, quæ nuncupaverat Anchiſes magnis numinibus, in Strophadum litore, ſupra v. 264. Quare Jovi præcipue ſacrificia, Apollini ludos inſtituit.

280. *Actiaque Iliacis, &c.* Alludit certe poeta ad ludos eos, quos Octavianus maxima celebritate inſtituit, poſt victoriam de M. Antonio & Cleopatra relatam, ad Actium Epiri promontorium, Anno U. C. 723. IV. Nonas Septembris. Cujus ad memoriam, naves plurimas Apollini Actiaco conſecravit; Actiacum templum majus exſtruxit; urbem Nicopolim condidit in ipſis faucibus ſinus Ambracii, contra Actium in eo loco ubi caſtra poſuerat: locum ubi tentorium ipſe habuerat magnis lapidibus conſtravit, ibique trophæum e roſtris captarum navium, & ſacrarium Apollini ſub dio excitavit; ludos imprimis inſtituit quinquennales, qui præcipue equeſtri decurſu, ac certamine nobilium puerorum patriciorumque virorum, tum gymnica pugna conſtabant. Sed ludos illos non exhibuit, niſi Anno U. C. 726. quo anno ipſe Octavianus VI. & M. Agrippa II. conſules fuerunt, perfeceruntque ſimul cenſum ac luſtrum populi, anno proxime præcedente inceptum: quæ omnia leguntur apud Dionem l. 51. & 53.

Atque hæc paulo fuſius; quia ex his conjicio Virgilium ad hanc, quam explicamus, operis ſui partem perveniſſe hoc ipſo anno 626. paullo poſt exhibitos ludos. Quia I. *Iliaci ludi*, eſt ipſa equeſtris puerorum decurſio, quam vocatam eſſe *Trojam*, & a Trojanis ad Romanos tranſiiſſe, teſtatur Æn. 5. 602. Facile autem Æneæ ſuppetebant equi in Epiro, feraciſſima equorum regione, Georg. 1. 59. II. *Palæſtræ & nudati ſocii*, ſunt ludi gymnici, γυμνὸς enim *nudus* eſt; qui autem eo pugnæ genere exercebantur, nudi erant: atque ut manus adverſariorum in lubricam cutem impactæ, facilius ictum mitterent, ideo ſibi cutem oleo, luto, & cera ungebant: hinc aliqui nomen *palæſtræ* deducunt a πηλὸς *lutum*; quamquam aliis melius a πάλλω, *vibro*, *agito*; ob variam agitationem & vibrationem corporis ad vitandos ictus. III. *Luſtramur Jovi:* alludit ad ſolemnem populi luſtrationem, quæ ſingulis quinquenniis poſt conditum Populi Romani cenſum fiebat *ſuovetaurilibus*, id eſt, ſacrificio *ſuis*, *ovis*, & *tauri*, aliiſque cæremoniis, quæ cenſum terminabant & condebant. Quod hoc anno U. C. 726. ab Octaviano perfectum eſt.

283. *Argolicas.*) Græcas: *Argi*, urbs Peloponneſi, Æn. 1. 288.

286. *Abantis ... poſtibus.*) Audax ac ſuperbum Æneæ factum; qui in mediis Græcorum urbibus, atque inſulis, trophæa de Græcis ipſis victoribus erigit. *Abas* quis fuerit ambigitur: unus fortaſſe ex iis, quos nocte ſuprema e comitibus Androgei occiderat, Æn. 2. 371. *Poſtibus* autem figit Apollinei templi, vel Leucatæ, vel Actii.

289. *Tranſtris.*) Scamnis, in quibus remiges ſedent, quæ dicuntur etiam *juga*.

291. *Phæacum abſcondimus arces.*) Ab Actio promontorio, ſive Leucade, ad occidentem deflexo curſu, occurrit deinde inſula *Phæa-*

 *cum*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Jam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua ſaxis.
Effugimus ſcopulos Ithacæ, Laertia regna,
Et terram altricem ſævi execramur Ulyſſis.
Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus feſſi, & parvæ ſuccedimus urbi.
Anchora de prora jacitur, ſtant litore puppes.
Ergo inſperata tandem tellure potiti,



*Jam Zacynthos ſilvoſa apparet in medio mari, & Dulichium, & Same, & Neritos alta rupibus. Evitamus ſcopulos Ithacæ, regna Laertæ, & deteſtamur regionem nutricem crudelis Ulyſſis. Deinde etiam oſtenditur proceloſus vertex Leucatæ montis, & Apollo terribilis navigantibus. Hunc montem laſſi petimus, & imus ad parvam urbem. Anchora demittitur e prora, puppes ſiſtunt in litore. Igitur potiti demum terra inſperata,*



## NOTÆ.

ſta, Ceres, Pallas, Diana, Venus. Minores erant, heroes, ſemidei, &c. inter quos *furias* illas, quaſi familiares Deos, reponebat Æneas. De *rudentibus*, funibus nauticis, Æn. 1. 91.

268. *Noti.*) Auſtri, venti meridionales: & proprie quidem, hoc enim vento opus eſt a Strophadibus ad Zacynthum naviganti. De *Noto*, Ecl. 2. 58.

270. *Zacynthos.*) Perſequitur iter, in eodem Jonio mari, a meridie in ſeptentrionem: quo ordine, poſt *Strophadas* occurrit...

I. *Zacynthus*, *Zante*, ad latus occidentale Peloponneſi, contra promontorium Chelonaten, hodie ſub Veneta ditione.

II. *Same*, *Dulichium*, & *Ithaca*. Hæ tres ſub eadem fere linea occurrunt, ante fauces ſinus Corinthiaci.

*Dulichium* ab eo ſinu minus diſtat, eſtque una ex *Echinadibus* inſulis, quæ jam communi nomine vocantur *Curzolari*, incerto numero, ut monet Strabo l. 10. quia cum parvæ ſint, & ad oſtia Acheloi fluvii Acarnaniæ modo arenarum appulſu ſeparantur, modo aquæ impetu ſeparantur.

*Same*, vel *Samos*, quæ & *Cephalenia*, nunc *Cefalonia*, ex Strabone l. 10. major, & a Corinthiaco ſinu magis ad occidentem recedens: paret Reipublicæ Venetæ.

*Ithaca*, nunc *Val del compare*, inter Cephaleniam & Dulichium media: Ulyſſis patria; quandoque paruit Turcis. In Ithaca eſt *Neritos*, non inſula, ut Lexica geographica vulgo ferunt, ex Strabone. Strabo enim contra probat multis Homeri verſibus, montem eſſe Ithacæ *Neritum*, *Νήριτον*. Quod autem hic legitur fœminini generis, *Neritos ardua ſaxis*, explicat Suidas; apud quem *Neritum* mons eſt, *Neritos* ſilva ibidem denſiſſima: quod confirmat Heſychius, cum ait; Neritum, Ithacæ montem eſſe ſemper virentem ac frondentem: & Homerus, qui vocat *Νήριτον εἰνοσίφυλλον*, *Neritum frondoſum*. Et bene congruit, quod ſtatim mentio ſequitur Ithacæ: quaſi dicat Æneas: *Apparet Ithacæ ſilva Neritos, ſaxis altiſſimis impoſita; ſed ſtatim illos Ithacæ ſcopulos effugimus.*

III. Sequitur ad ſeptentrionem trium illarum, inſula *Leucas*, *Leucadis*, vel *Leucate*, *cates*; nunc *Santa Maura*; ſub ditione Veneta, ad litus Acarnaniæ, quæ pars eſt Epiri: cui aliquando conjuncta fuit anguſto iſthmo; ac deinde ponte, poſtquam iſthmum illum Corinthii perfodiſſent. In hac inſula, Cephaleniam verſus, mons eſt ſive rupes, *Leucata*, *catæ*. Hæc rupes, quia alba eſt, inde ſibi & inſulæ nomen facit: λευκὸς enim eſt *albus*. Ex hac rupe qui amantes exiliiſſent in mare, ſanari ab amore putabantur, quod feciſſe perhibetur Sappho poetria, Phaonis amore inſaniens. Eidem rupi fanum Apollinis impoſitum fuiſſe teſtatur Strabo, cui quotannis in ſacrificium ſolebat reus aliquis e rupe in mare dejici, quam ob rem, ſive ob ſcopulorum aſperitatem, dicitur hic, *formidatus nautis Apollo*. In ea inſula urbs eſt eodem nomine *Leucas*, quam Plinius ait olim dictam fuiſſe *Neritum*: ſed emendandus eſt ex Strabone, legendumque *Nericos*, non *Neritum*. De hac urbe Æneas loquitur, cum dicit: *Parvæ ſuccedimus urbi*. Tum deinde relictis illic navibus, ad Actiacum uſque litus proceſſit, a quo nondum Leucas diviſa fuerat, ut colligi poteſt ex Homeri verſibus apud Strabonem lib. 10.

IV. Igitur, ſequitur ad ſeptentrionem *Actium* promontorium, nunc *capo Figalo*, in ipſis faucibus Ambracii ſinus, ubi Actium erat oppidulum, & fanum alterum Apollinis: totus enim ille tractus Epiri ſacer erat Apollini, dicebaturque *Ἄκτιος*, id eſt, litoralis, ab *ἀκτὴ litus*.

272. *Laertia regna.*) Laertes Acriſii filius, Jovis nepos, vulgo Ulyſſis pater creditus eſt: quidam tamen dixere Ulyſſem Anticlea quidem Laertæ uxore prognatum eſſe, ſed patre Siſypho vel Autolyco. Regni autem Laertæ præcipua quidem ſedes *Ithaca* fuit: paruit tamen ipſi etiam *Cephalenia*, & *Zacynthus*, & *Epiri* magna pars, præcipue ubi *Leucas*: ut ex Strabone colligitur & Homero Iliad. 2. 621. *Dulichium* vero & *Echinades*, etſi fortaſſe aliquando Laertæ paruerant, ſiquidem Ulyſſes ſæpe *Dulichius* appellatur: tamen earum





Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras:
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæſtras
Nudati ſocii: juvat evaſiſſe tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuiſſe per hoſtes.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus aſperat undas.
Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno:



*& ſacrificamus Jovi, & cumulamus aras victimis; & nobilitamus Actium promontorium Trojanis ludis. Socii nudati committunt patrias luctas oleo fluente: delectat eos evitaſſe tot urbes Græcas, & iter habuiſſe inter medios hoſtes. Interea Sol circum agit annum integrum, & gelida hyems infeſtat mare Aquilonibus. Appendo liminibus anterioribus ſcutum æris cavi*, quod *geſtaverat magnus Abas, & noto factum* hoc *verſu:*



## NOTÆ.

incolas ad expeditionem Trojanam duxit Meges quadraginta navibus. Iliad. 2. 625.

279. *Luſtramurque Jovi, &c.*) Solvimus vota & ſacrificia Jovi. *Luſtro* enim, ut jam notavimus Æn. 1. 287. & 612. dicitur a *luo*, id eſt, *ſolvo*: unde cum vota Deo fecimus, voti *rei* ſumus, ut diximus Ecl. 5. 80. Igitur *luſtramur*, cum *ſolvimur* voto: & multo etiam magis, cum ad placandos Deos pro delicto aliquo ſacra expiatoria facimus. Ita cæremoniæ omnes, quæ ad ſacra pertinent, *luſtrales* dicuntur. Sic l. 6. 231. in funere Miſeni, ſacerdos *ter ſocios pura circumtulit unda .... luſtravitque viros*. Sic l. 8. 183. poſt oblatas Herculi victimas Trojana juventus veſcitur *perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis*. Quare autem nunc *luſtrantur Jovi?* Ut exſolvant vota, quæ nuncupaverat Anchiſes magnis numinibus, in Strophadum litore, ſupra v. 264. Quare Jovi præcipue ſacrificia. Apollini ludos inſtituit.

280. *Actiaque Iliacis, &c.* Alludit certe poeta ad ludos eos, quos Octavianus maxima celebritate inſtituit, poſt victoriam de M. Antonio & Cleopatra relatam, ad Actium Epiri promontorium, Anno U. C. 723. IV. Nonas Septembris. Cujus ad memoriam, naves plurimas Apollini Actiaco conſecravit; Actiacum templum majus exſtruxit; urbem Nicopolim condidit in ipſis faucibus ſinus Ambracii, contra Actium in eo loco ubi caſtra poſuerat: locum ubi tentorium ipſe habuerat magnis lapidibus conſtravit, ibique trophæum e roſtris captarum navium, & ſacrarium Apollini ſub dio excitavit; ludos imprimis inſtituit quinquennales, qui præcipue equeſtri decurſu, ac certamine nobilium puerorum patriciorumque virorum, tum gymnica pugna conſtabant. Sed ludos illos non exhibuit, niſi Anno U. C. 726. quo anno ipſe Octavianus VI. & M. Agrippa II. conſules fuerunt, perfeceruntque ſimul cenſum ac luſtrum populi, anno proxime præcedente inceptum: quæ omnia leguntur apud Dionem l. 51. & 53.

Atque hæc paulo fuſius; quia ex his conjicio Virgilium ad hanc, quam explicamus, operis ſui partem perveniſſe hoc ipſo anno 626. paullo poſt exhibitos ludos. Quia I. *Iliaci ludi*, eſt ipſa equeſtris puerorum decurſio, quam vocatam eſſe *Trojam*, & a Trojanis ad Romanos tranſiiſſe, teſtatur Æn. 5. 602. Facile autem Æneæ ſuppetebant equi in Epiro, feraciſſima equorum regione, Georg. 1. 59. II. *Palæſtræ* & *nudati ſocii*, ſunt ludi gymnici, γυμνὸς enim *nudus* eſt; qui autem eo pugnæ genere exercebantur, nudi erant: atque ut manus adverſariorum in lubricam cutem impactæ, facilius ictum mitterent, ideo ſibi cutem oleo, luto, & cera ungebant: hinc aliqui nomen *palæſtræ* deducunt a [illegible] *latum*; quamquam aliis melius a πάλλω, *vibro*, *agito*; ob variam agitationem & vibrationem corporis ad vitandos ictus. III. *Luſtramur Jovi*: alludit ad ſolemnem populi luſtrationem, quæ ſingulis quinquenniis poſt conditum Populi Romani cenſum fiebat *ſuovetaurilibus*, id eſt, ſacrificio *ſuis*, *ovis*, & *tauri*, aliiſque cæremoniis, quæ cenſum terminabant & condebant. Quod hoc anno U. C. 726. ab Octaviano perfectum eſt.

283. *Argolicas.*) Græcas: *Argi*, urbs Peloponneſi, Æn. 1. 288.

286. *Abantis... poſtibus.*) Audax ac ſuperbum Æneæ factum: qui in mediis Græcorum urbibus, atque inſulis, trophæa de Græcis ipſis victoribus erigit. *Abas* quis fuerit ambigitur: unus fortaſſe ex iis, quos nocte ſuprema e comitibus Androgei occiderat, Æn. 2. 371. *Poſtibus* autem figit Apollinei templi, vel Leucatæ, vel Actii.

289. *Tranſtris.*) Scamnis, in quibus remiges ſedent, quæ dicuntur etiam *juga*.

291. *Phæacum abſcondimus arces.*) Ab Actio promontorio, ſive Leucade, ad occidentem deflexo curſu, occurrit deinde inſula *Phæa-*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Æneas hæc de Danais victoribus arma.*
Linquere tum portus jubeo, & conſidere tranſtris.
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aerias Phæacum abſcondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque ſubimus
Chaonio, & celſam Buthroti aſcendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures:
Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi ſceptriſque potitum;
Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
Obſtupui: miroque incenſum pectus amore
Compellare virum, & caſus cognoſcere tantos.
Progredior portu, claſſes & litora linquens.
Solemnes tum forte dapes & triſtia dona,
Ante urbem, in luco, falſi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum; viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.
Ut me conſpexit venientem, & Troia circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monſtris,
Diriguit viſu in medio: calor oſſa reliquit;

La-

*Æneas* poſuit *hæc ſpolia de Græcis* Trojæ *victoribus* relata. *Poſtea impero* ſocios *relinquere portum & ſedere in ſcamnis. Socii certatim verberant mare* remis *& radunt fluctus. Continuo præterimus altas arces Phæacum, & radimus litora Epiri,* & *intramus portum Chaonium, & accedimus ad excelſam urbem Buthrotum. Hic incredibilis rumor rerum implet aures* noſtras: *Helenum filium Priami imperare per urbes Græcas, potitum uxore & regno Pyrrhi* neporis *Æaci, & Andromachen rurſus veniſſe* in poteſtatem *mariti Trojani. Obſtupui: & pectus exarſit mirabili deſiderio alloquendi hominem & ſciendi tantos caſus. Progredior* ultra *portum, relinquens naves & litus. Tunc forte Andromache ante urbem,* in ſacra *ſilva,* ad *aquas ficti Simoentis, offerebat cineri ſolemnes epulas & funebria munera, & appellabat manes prope ſepulcrum Hectoris, quod e viridi ceſpite vacuum dedicaverat, & binas aras, cauſam lacrymarum. Ut aſpexit me accedentem, & ſtupefacta vidit circa* me *Trojana arma,* attonita hoc *magno prodigio, exanimata eſt in ipſo aſpectu: calor abiit ex oſſibus:*

*cadit,*

N O T Æ.

*cum*, ſive *Corcyra*, hodie *Corfù*, ad latus Epiri, olim hortis Alcinoi regis nobilitata, nunc ſub ditione Veneta. *Abſcondimus* arces id eſt, *abſconduntur nobis*, dum celeri navis decurſu prætermittuntur: qua voce uſus eſt deinde Seneca Ep. 70. *In hoc curſu rapidiſſimi temporis primum pueritiam abſcondimus*. Et bene dixit *abſcondimus arces*, id eſt, urbes aliquas ad orientem inſulæ ſitas; non vero *abſcondimus inſulam*; quia *Buthrotum*, quam petebat, eſt in ipſo conſpectu, & ex adverſo inſulæ, qua ad occidentem vergit.

292. *Epiri.*) Regni olim in Europa nobilis, cujus ad meridiem & occidentem eſt mare Jonium, ad orientem Achaja & Theſſalia, ad ſeptentrionem Macedonia: nunc Albania inferior a quibuſdam dicitur. Ejus olim præcipuæ partes fuerunt *Acarnania*, *Caſſiopæa*, *Amphilochia*, *Theſprotia* & *Chaonia*, quæ maxime occidentalis eſt, dicta etiam *Moloſſia*. Hanc tamen ab illa Strabo diſtinguit: Chaonia quidem a *Chaone* Trojano, Heleni fratre; *Moloſſia* deinde a Moloſſo Andromaches & Pyrrhi filio, qui regnavit ibi poſt Helenum, quem veluti tutorem, occiſo Pyrrho habuerat. In Chaonia urbs eſt *Buthrotum*, vel *Buthrotus*, hodie *Butrintò*; in ingreſſu portus *Pelodis*, hoc eſt *cœnoſi*, inquit Strabo l. 7. de quo portu hic eſt mentio. In eadem regione eſt *Dodona* Silva, ubi Jovis oraculum: quam tamen ibidem Strabo primo Theſprotiæ, deinde Moloſſiæ, attributam fuiſſe teſtatur.

295. *Priamidem Helenum.*) De eo Priami filio, deque *Pyrrho*, Achillis filio, Æaci pronepote, Æn. 2. 263. De *Andromache*, antea Hectoris uxore, Æn. 2. 456.

301. *Solemnes dapes, &c.*) Annua ſacrificia, quæ vulgo cum epulis conjuncta erant, ex ipſis victimarum extis. De *Simoente* Trojano fluvio, cujus nomen alicui rivulo Andromache in Epiro tribuerat, Æn. 1. 104. De *Hectore*, ibid. 103.

303.



Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate Dea? vivisne? aut, ſi lux alma receſſit,
Hector ubi eſt? Dixit, lacrymaſque effudit, & omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subjicio, & raris turbatus vocibus hiſco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita, nam vera vides.
Heu! quis te caſus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna ſatis fortuna reviſit?
Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia ſervas?
Dejecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt:
O felix una ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori: quæ ſortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos patria incenſa diverſa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ faſtus, juvenemque ſuperbum
Servitio enixæ tulimus: qui deinde ſecutus
Ledæam Hermionen, Lacedæmonioſque Hymenæos,
Me famulam famuloque Heleno tranſmiſit habendam.

Aſt

*cadit, & longo* poſt *tempore vix demum* ita *loquitur: An vera ſpecies, & verus nuntius te mihi ſiſtis, o fili Veneris? an vivis? aut ſi lux alma abiit* a te, *ubi eſt Hector?* Sic *locuta eſt & emiſit lacrymas, & implevit clamore omnem locum. Vix reſpondeo pauca mœrenti, & turbatus os aperio interruptis verbis: Certe vivo, & traho vitam per omnes miſerias. Ne dubita, nam vera aſpicis. Heu! quis caſus ſucceſſit tibi orbatæ tanto marito, aut quæ fortuna ſatis* tibi *congrua redit* ad te? *O Andromache, teneſne conjugium Hectoris, an Pyrrhi? Demiſit vultum, & humili voce dixit: O fortunata præ aliis virgo Priami* filia, *coacta mori ad ſepulcrum hoſtis, prope muros altos Trojæ: quæ non paſſa eſt ullam ſortitionem, nec tetigit captiva lectum victoris domini. Nos poſt patriam combuſtam vectæ per longinqua maria, parientes* in *captivitate, toleravimus ſuperbiam familiæ Achillis, & juvenem ferocem: qui poſtea quærens Hermionem* neptem *Ledæ, & conjugium Spartanum, me ſervam tradidit poſſidendam Heleno* ipſi *quoque ſervo.*

*At*

N O T Æ.

303. *Libabat cineri.*) Vel vero cineri, cujus partem aliquam in urna deferre ſecum Andromache potuerat, ex iis qui collecti ſunt ex ejus funere, Iliad. ultimo 790. Vel ejus manibus atque umbræ. *Dona triſtia*. Lac, ſanguinem, &c. ut ſupra v. 66. Unde proprie *libabat* erit *effundebat*: quamquam generatim etiam ſumi poteſt pro *ſacrificabat*. De hac voce, Æn. 1. 740.

304. *Inanem.*) Tumulum *honorarium* vocat Suetonius in Claudio cap. 1. Xenophon in exped. Cyri l. 6. *κενοτάφιον*, id eſt, *vacuum tumulum*.

305. *Geminas, cauſam lacrymis, &c.*) Alteram Hectori, alteram Aſtyanacti filio, quem Græci e Trojæ turribus præcipitem miſerant. Vel potius utramque Hectori: quia geminas heroibus dicari mos erat, ſupra v. 63. *Cauſam lacrymis.*) Id eſt, quæ viri memoriam, ac dolorem ſuum alerent.

319. *Connubia ſervas?*) Maneſne in viduitate, ac fide data Hectori, an vero tranſiiſti ad Phyrrhi nuptias?

321. *Priameia virgo.*) Polyxena, Priami & Hecubæ filia, amata ab Achille: qui cum ad ejus nuptias in templum Apollinis Thymbræi conveniſſet, a Paride, poſt Apollinis ſimulacrum latente, ſagittæ ictu occiſus eſt. Capto deinde Ilio, ejus umbra Polyxenam immolari ſibi petiit. Illa ad Achillis tumulum ab ipſo Pyrrho Achillis filio jugulata eſt.

327. *Servitio enixæ.*) Andromache captiva a Pyrrho in uxorem admiſſa ſuſcepit ex eo Moloſſum: qui parti Epiri nomen fecit, v. 292.

328. *Ledæam Hermionem, &c.*) Menelai filiam, Spartani ſeu Lacedæmonii regis, ex Helena filia Jovis & Ledæ. Hermione, Menelao ad Trojanum bellum profecto, a Tyndareo Ledæ marito deſponſata eſt Oreſti cognato ſuo, Agamemnonis filio. Eadem interim a patre Menelao ad Trojam deſponſata eſt Pyrrho, Achillis filio: eidemque poſt confectum bellum tradita. Quod cum ægre ferret Oreſtes, Delphos venit, & nactus ibi Pyrrhum de futura ſibi ex eo conjugio prole oraculum conſulentem, cum ad ipſas aras Apollinis interfecit.

331. *Scelerum Furiis agitatus Oreſtes.*) Agame-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Aſt illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, & ſcelerum Furiis agitatus Oreſtes
Excipit incautum, patriaſque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui curſum venti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum noſtris Deus appulit oris?
Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur aura?
Quem tibi jam Troja . . .
Ecquæ jam puero eſt amiſſæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animoſque viriles
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrymans, longoſque ciebat
Incaſſum fletus: quum ſeſe a mœnibus heros

Pria-

*At Oreſtes ardens magno deſiderio raptæ uxoris, & impulſus Furiis criminis ſui, intercipit illum improvidum, & jugulat ad altaria patria. Per mortem Pyrrhi pars regni data ceſſit Heleno: qui a Trojano Chaone nominavit cognomine campos Chaonios & totam Chaoniam, & condidit in monte Pergama, & hanc arcem Iliacam. Sed quinam venti & quænam fata direxerunt tibi curſum? aut quis Deus adduxit te inſcium ad noſtra litora? Quid? puer Aſcanius ſupereſtne & fruitur vita? is quem tibi jam Troja ... Quinam eſt jam puero dolor de amiſſa matre? quomodo & pater Æneas, & avunculus Hector incitant* ipſum *ad veterem fortitudinem & animos viriles? Talia dictabat plorans, & fruſtra movebat longos fletus: cum heros*

*Hele-*

## N O T Æ.

memnonis & Clytæmneſtræ filius: patre ad Trojam profecto, & Ægiſtho Clytæmneſtræ adultero Mycenas tenente, ſubductus ejus inſidiis a ſorore Electra, & ad Strophium Phocidis principem miſſus eſt: ubi ſingularem cum ejus filio Pylade amicitiam contraxit. Poſt Trojam expugnatam, & patrem Agamemnonem Ægiſthi inſidiis jugulatum, matrem cum adultero interfecit. Ideo Furiis agitatus, ac poſt labores plurimos expiatus ac ſolutus crimine ab Areopagitis, aut, ut ait Cicero, ipſius Minervæ judicio, in regnum rediit: Hermionem uxorem accepit, occiſo prius apud Delphos Pyrrho: cum ea regnum quoque Spartanum addidit ſuo. Corpus ejus poſt mortem repertum ſeptem cubitorum fuiſſe refert Plinius lib. 7. 16.

332. *Patrias ad aras.*) Certum eſt Pyrrhum ab Oreſte occiſum eſſe *Delphis*, in Phocide, apud ipſas Delphici Apollinis aras: Achillem vero *Pyrrhi* patrem interfectum a Paride ad Trojam, in Apollinis Thymbræi templo, atque ita fatale fuiſſe patri & filio, ut apud Apollinem caderent. At varie ſe torquent interpretes, ut explicent, cur *patrias aras* poeta dixerit: multa comminiſcuntur: hæc duo mihi videntur optima. I. Si ad ſenſum Naſcimbæni per *patrias*, intelligamus eaſdem, ad quas *pater* Achilles occiſus fuerat, nempe *Apollineas*, quamquam loco diſſitas. II. Tamen tutius puto *patrias* explicare ad ſenſum Turnebi, *Græcas*: ara enim Delphica, fere in medio totius Græciæ ſita, publicum erat Græciæ totius oraculum. Addo, quod rem firmet: Epirum, ubi tum regnabat Pyrrhus, inter Græciæ provincias non eſſe habitam, ut patet ex Strabone l. 7. Pyrrhum vero & Oreſtem patria Græcos fuiſſe: Oreſtem quidem Argivum e Peloponneſo: Pyrrhum, patre natum Achille, Theſſalo e Phthia, matre Deidamia, e Scyro Ægæi maris inſula.

335. *Trojano Chaone.*) *Chaon*, unus e Priami filiis: quem Helenus frater cum in venatu ignarus occidiſſet, ad ſolatium doloris, regnum ejus nomine appellavit; regnavitque quaſi tutor Moloſſi, ut jam diximus, v. 292.

336. *Pergamaque, Iliacamque, &c.*) Diviſio eſt unius rei in duas: *Pergamus* enim fuit arx *Iliaca*, ſive Trojana.

340. *Quem tibi jam Troja ...*) Verſus, aut a Virgilio relictus imperfectus, aut a Tucca & Vario mutilatus. Suppleverunt ſic aliqui: *Quem tibi jam Troja peperit fumante Creuſa*. Male. Troja enim fumante, & Ænea fugiente, patrem ſequebatur jam tum pedes Aſcanius, Æn. 2. 724. Alii ſic: *Quem tibi jam Troja obſeſſa eſt enixa Creuſa*. Paullo veriſimilius. Cum enim decem annos bellum Trojanum, annos ſeptem Æneæ navigatio duraverit, annos ſexdecim aut ſeptemdecim numerare tum potuit Aſcanius, cum Italicis pugnis deinde interfuit: ſed omnino abhorret verſus a nitore Virgiliano.

341. *Ecquæ jam puero eſt, &c.*) Putant aliqui oblitum hic ſui eſſe Virgilium. Quomodo enim ſcire potuit Andromache Creuſam,

Aſca-



Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoſcitque ſuos, lætuſque ad limina ducit:
Et multum lacrymas verba inter ſingula fundit.
Procedo, & parvam Trojam, ſimulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnoſco, Scææque amplector limina portæ.
Necnon & Teucri ſocia ſimul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impoſitis auro dapibus, pateraſque tenebant.
Jamque dies, alterque dies proceſſit; & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbaſus Auſtro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæſo:
Trojugena, interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ,

Fare

*Helenus*, filius *Priami*, *effert ſe ex urbe, comitantibus plurimis: & agnoſcit ſuos* Trojanos *& lætus ducit in domum* ſuam: *& inter ſingulas voces emittit multum lacrymarum. Progredior, & agnoſco parvam Trojam, & Pergama aſſimilata magnis, & ſiccum rivum cognomine Xanthi, & amplector poſtes portæ Scææ. Trojani quoque potiuntur ſimul urbe ſocia. Rex ſub vaſtis porticibus excipiebat eos. Bibebant vini pocula in medio aulæ, cibis auro impoſitis, & tenebant pateras. Jamque dies & ſecundus dies abiit, & venti invitant vela, & lintea inflantur tumido vento. Alloquor his verbis Helenum vatem, & rogo* cum *talia: Trojane, interpres Deorum, qui cognoſcis divinitatem Apollinis, & tripodas, & lauros Clarii, & aſtra, & cantus avium, & auſpicia volantis alæ.*

*Dic*

## N O T Æ.

Aſcanii matrem, in fuga amiſſam fuiſſe; cum ea de re nihil tum Æneas ei dixiſſet? quidni vero ſcire id potuit ante ſuum e Trojano litore diſceſſum? præſertim cum Æneas in urbem rediiſſet, quæſiiſſet eam omnibus viis, ab omnibus amicis; quorum aliquis ad captivas deferre caſum potuit.

348. *Multum lacrymas.*) Alii legunt, *Multum lacrymans*. Favet primæ lectioni, quod alioqui verbum *fundit* nullo caſu fulciretur. Favet ſecundæ, quod durum ſit: *multum lacrymas*, pro *multum lacrymarum*. Hæreo tamen primæ, quia communior eſt. De *Xantho*, ſeu *Scamandro* Troadis fluvio, Æn. 1. 477. De *Scæa*, Trojæ Porta, Æn. 2. 612.

354. *Aulai in medio, &c.*) *Aulai*, diſſolutio more veterum diphthongi *æ*, quæ Græcis eſt *αι*, in vocales duas *α* & *ι*. *Libabant*: vel guſtabant, bibebantque; vel offerebant Diis per libationem & effuſionem: Æn. 1. 740. De *Baccho*, Eclog. 5. 29. 69. De *Auſtro*, vento meridionali, Ecl. 2. 58.

359. *Qui numina Phœbi, &c.*) Quinque divinationis ſpecies enumerat. Primam, quæ fit *afflatu Dei*: ſecundam, quæ *inſeſſu in tripode*: tertiam, quæ *combuſtione lauri*: quartam, quæ *intuitu ſiderum*: quintam, quæ *obſervatione avium*. I. Significatur per *numina Phœbi*, qui aliquando in vates illapſus eſt ipſis ad futura prædicenda aperiebat, ut mox continget Heleno. II. Per *tripodas*, in quibus ſedentes puellæ vaticinabantur: præſertim Delphis, unde mos ille in pleraque alia Apollinis templa tranſierat. Erat autem *tripus*, vel puteus tres latus pedes, in quem demiſſa puella emergente halitu amens reddebatur: vel vas & crater, tribus nitens pedibus: vel menſa, tribus edita gradibus: vel probabilius, ſella tribus fulcris impoſita, in medio pateris, ubi ſedebat vates, eaque aliquando ærea, aliquando aurea, etiam Delphis corio Pythonis ſerpentis cooperta. III. Per *Clarii lauros* vaticinium innuit, quod petebatur ex combuſtione laurei rami: qui ſi in igne crepitaret, bono erat omini; ſi taceret, malo. Tibul. l. 2. 5. 81. *Ut ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis, Omine quo felix & ſacer annus eat.* Propert. l. 2. 20. 36. *Deficiunt magico torti ſub carmine rhombi, Et jacet extincto laurus aduſta foco.* *Clarii.*) Epithetum Apollinis, cui *Claros*, urbs Joniæ, prope Colophonem, in Aſia minore, celebri templo & oraculo dicata erat: & hoc epithetum pro quolibet alio hic additum eſt: quemadmodum Apollo *Delius* appellatus eſt *Thymbræus* verſ. 85. IV. Per ipſa *ſidera* ſatis notatur *aſtromantia*. V. Per *volucrum linguas* notatur proprie ars *augurum*, qui *avium garritum* & cantum conſulebant. Per *Præpetis omina pennæ*, proprie ars *auſpicum*, qui *aves ſpectabant* volantes. Et aves quidem, quarum ſpectabatur cantus, dicebantur *oſcines*, ab *os*, & *cano*: ut corvus, cornix, picus: quarum autem ſpectabatur volatus, dicebantur *præpetes*, a *πετάομαι*, *prævolare*; ut vultures, aquilæ. De *Celæno*, & *Harpyiis*, ſupra v. 211.

370. *Vittaſque reſolvit.*) Inſulam, qua impli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fare age: namque omnem curſum mihi proſpera dixit
Relligio; & cuncti ſuaſerunt numine Divi
Italiam petere, & terras tentare repoſtas.
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras,
Obſcœnamque famem. Quæ prima pericula vito?
Quidve ſequens tantos poſſim ſuperare labores?
Hic Helenus, cæſis primum de more juvencis,
Exorat pacem Divum, vittaſque reſolvit
Sacrati capitis: meque ad tua limina, Phœbe,
Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit.
Atque hæc deinde canit divino ex ore ſacerdos:
Nate Dea, nam te majoribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides: ſic fata Deum rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo.
Pauca tibi e multis, quo tutior hoſpita luſtres
Æquora, & Auſonio poſſis conſidere portu,
Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,

Vi-

*Dic age; nam cæremoniæ propitiæ mihi declaraverunt totum iter* meum; *& omnes Dii ſua auctoritate ſuaſerunt mihi petere Italiam, & quærere terras* mihi præparatas. *Sola Harpyia Celæno canit prodigium novum & horrendum dictu, & prædicit funeſtas iras, & fœdam famem. Quod periculum primo effugiam? & quid exequendo poſſum emergere e tantis caſibus? Tunc Helenus, primo mactatis juvencis juxta conſuetudinem, precatur veniam a Diis, & ſolvit tænias ſacri capitis: & ipſe ad tua templa, o Phœbe, manu ducit me trepidantem ob magnam* reverentiam *Dei. Ac poſtea ſacerdos loquitur hæc divino ex ore: Fili Veneris, nam certo ſcio te majoribus auſpiciis currere per mare: ita rex Deorum diſponit fata, & miſcet fortunas: ea ſeries* rerum *decurrit. Explicabo tibi verbis pauca e plurimis, ut ſecurior percurras maria,* quæ te *excipient, & poſſis quieſcere* in *portu Italico: nam Parcæ impediunt, ne Helenus ſciat reliqua, & Juno impedit* ne *loquatur. Primo longum iter impeditum procul longis regionibus ſeparat* a te *Italiam, quam tu jam putas propinquam,* & cu-

## N O T Æ.

plicati erant capilli. Vittata enim infula, ſacerdotis inſigne eſt, Æn. 2. 133. Soluta autem indicium eſt vaticinantis ac furentis, Æ. 6. 48. de Sibylla: *Non comptæ manſere comæ.*

374. *Majoribus auſpiciis.*) Vel bonis; vel ad majora ſpectantibus; vel majorum Deorum, Jovis, Apollinis, &c. non avium aut ſiderum tantum.

379. *Parcæ, &c.*) Tres, quæ fuſis diſpenſabant fata hominum, Ecl. 4. 47. *Juno* Saturni & Opis filia, inimica Trojanis: cauſam habes Æn. 1. 29.

384. *Trinacria lentandus, &c.*) *Flectendus & curvandus*, ob vim adverſam fluctuum inter ſe pugnantium. Sic Catullus de nupt. Pelei, v. 182. *Quid ne fugis lentos incurvans gurgite remos?* De *Trinacria*, Sicilia, fuſe infra v. 687. De *Auſonia*, Italia, ſupra v. 171.

386. *Infernique.*) De deſcenſu ad inferos, Æn. 6. De appulſu ad inſulam *Circes*, Æn. 7. 10. Erat autem Solis & Perſes Nymphæ filia, ſoror Æetæ Colchici regis, qui pater fuit Medeæ; aut juxta alios, Æetæ filia, Medeæ ſoror. *Ææa*, id eſt, *Colchica*, ab *Æa*, inſula & urbe Colchici regni, circa oſtia Phaſis fluvii. Sarmatarum regi nupſit, quo veneno occiſo in Italiam fugit, ad promontorium & montem, qui deinde *Circæus* dictus eſt, hodie *Circello*, in Latio: qui quidem mons continenti junctus eſt, ſed quia Pomptinis paludibus cingitur ad ſeptentrionem, ideo inſulæ formam aliquando habuit. Eadem Circe cum Glaucum, marinum Deum amaret, ex zelotypia Scyllam puellam in monſtrum marinum commutavit; item & Picum Latinorum regem in avem, quod Canentem conjugem ſibi præferret.

389. *Secreti ad fluminis, &c.*) De omine ſuis, cum triginta porcellis repertæ, ad ripam Tybris, ubi *Alba* urbs, aut juxta alios *Lavinium* condita deinde eſt, Æn. 8. 42.

394. *Menſarum morſus.* De his v. 257.

396. *Italique hanc litoris oram, &c.*) Italiæ *frontem* intelligit, ſive partem meridionalem: quæ confecto Trojano bello, Græcis plurimis illuc poſt varios errores appulſis, ab iis *magna Græcia* vocata eſt: nunc Neapolitani regni maximam partem conſtituit; Italiamque dividit duo in cornua, quæ Tarentino ſinu vaſto & patenti ſeparantur.

Tota



Vicinoſque ignare paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante & Trinacria lentandus remus in unda,
Et ſalis Auſonii luſtrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Æææque inſula Circes,
Quam tuta poſſis urbem componere terra.
Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.
Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu menſarum morſus horreſce futuros.
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Grajis.
Hic & Narycii poſuerunt mœnia Locri,
Et Salentinos obſedit milite campos

Ly-

& cujus *paras intrare vicinos portus, o ignare. Et curvandi ſunt remi in mari Siculo, & percurrenda navibus planities maris Italici, & infernæ paludes* adeundæ, *& inſula Circes Colchicæ, priuſquam poſſis condere urbem in ſecura regione. Dicam tibi ſigna, tu ea retine commiſſa animo. Quando porca reperta a te ſollicite jacebit circa undam remoti fluvii, enixa prolem triginta capitum, alba, recumbens humi, & porcelli albi circa mammas; ille locus erit urbis, ille certus finis laborum. Nec tu expaveſce futurum eſum menſarum. Fata aperient viam, & Apollo invocatus adjuvabit. Evita autem has terras, & hanc partem Italici litoris, quæ propinqua alluitur fluctu noſtri maris: omnes* illæ *urbes incoluntur a pravis Græcis. Illic & Narycii Locri ſtatuerunt muros, & Cretenſis Idomeneus occupat militibus campos Salentinos:* illic

## N O T Æ.

Tota illa frons ad orientem penitus obverſa eſt Epiro, marique Jonio. Atque in cornu quidem orientali, quod ab Epiro minus remotum eſt, promontorium eſt Japygium, vel Salentinum, *Capo di ſanta Maria:* totumque cornu Salentini occupabant: quorum urbes præcipuæ, Tarentum *Taranto*, Brundiſium *Brindiſi*, Hydrus *Otranto*. In altero cornu, quod ad meridiem pertinet, tria ſunt præcipua promontoria: Lacinium, *Capo delle Colonne*, Salentino reſpondens: Brutium, ſive Leucopetra, *capo dell' armi*, Siciliæ proximum; & Zephyrium, *capo di Bruzzano*, inter utrumque medium. Infra Lacinium, in ipſo ſinu Tarentino, eſt Petilia, *Strongoli.* Inter Lacinium, & Zephyrium, eſt ſinus Scylaceus vel Scylleticus, *golfo di Squillaci*, ubi urbs Scylacæum. Inter Zephyrium, & Brutium ingens eſt ora, ubi non longe a Zephyrio occurrit Caulonia, vel Caulon, *Caſtel vetere:* tum infra, meridiem verſus, Narycia, vel Locri Epizephyrii, nunc *Geraci*. Atque hæc ſuper deſcriptio ad ea, quæ ſequuntur hoc libro, plane neceſſaria viſa eſt.

399. *Narycii Locri.*) Conſtat eos a Græcis Locris oriundos eſſe: duce, vel Evanthe juxta Strabonem, vel Ajace juxta alios. Tres autem in Græcia fuerunt hujus nominis populi; *Epicnemidii* & *Opuntii*, contermini, ad ſeptentrionem Phocidis, & meridiem Eubœæ ſinuſque Maliaci: tum *Ozolæ*, ad occidentem Phocidis, & ſeptentrionem, fauceſque ipſas ſinus Corinthiaci ſive Criſſæi. Strabo vult Epizephyrios ab Ozolis Criſſæi ſinus oriundos, negat ab Opuntiis. Tamen nomen ipſum *Naryciæ* urbis innuit, eos, ſi non ab Opuntiis, ſaltem ab Epicnemidiis eſſe profectos; ſiquidem *Narycium* urbs a Plinio collocatur apud Locros Maliaci ſinus, & Boagrium fluvium. At ibidem erant Epicnemidii: ibidem regnabat Ajax Oilei filius, ex Homero Iliad. 2. 523. Et *Naryx*, ſive *Naryce*, ſive *Narycium*, urbs eſt, ex qua, juxta Suidam, fuit Ajax. Quæ ut conciliem, exiſtimo Locris omnibus, Ozolis, Epicnemidiis, Opuntiis, Ajacem ad Trojam imperaſſe, cum omnes Parnaſſo monte conjungantur: in reditu deinde Ajace mortuo, ut diximus Æn. 1. 44. aliis alio per tempeſtatem disjectis, aliquas e Locris omnibus reliquias Evanthe duce in Italiam perveniſſe, & Naryciam condidiſſe: tumque dictos eſſe *Epizephyrios*; quod non procul a promontorio Italiæ *Zephyrio* ſedem elegiſſent.

400. *Salentinos, &c.*) De eorum ſitu, v. 396.

401. *De Idomeneo* Cretæ rege, v. 122. *Lyctius*

 dici-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.
Quin, ubi tranſmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in litore ſolves;
Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto:
Hac caſti maneant in relligione nepotes.
Aſt, ubi digreſſum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, & anguſti rareſcent clauſtra Pelori,
Læva tibi tellus & longo læva petantur
Æquora circuitu; dextrum fuge litus & undas.
Hæc loca, vi quondam & vaſta convulſa ruina,
( Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas )
Diſſiluiſſe ferunt: cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit: arvaque & urbes
Litore diductas anguſto interluit æſtu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos

Sor-

*illic eſt illa Petilia ducis Melibœi Philoctetæ, defenſa muro. Imo quando naves tranſvectæ ultra mare conſtiterint, & jam reddes vota altaribus in litore ſtructis, tegaris* ſecundum *capillos coopertus velo purpureo: ne aliquis vultus hoſtilis occurrat inter pia ſacrificia, in cultu Deorum, & abrumpat auſpicia. Socii ſervent hanc conſuetudinem ſacrificiorum, tu ipſe hanc ſerva: poſteri pii perſiſtant in hac cæremonia. Sed quando ventus te profectum appulerit ad litus Siculum, & minuentur anguſtiæ arcti Pelori, ſiniſtra terra & ſiniſtra maria a te petantur longa circuitione: evita dextrum litus &* dextras *aquas. Narrant hæc loca olim magna violentia & ruina diſceſſiſſe. Adeo remota vetuſtas temporis poteſt mutare res. Cum utraque terra eſſet una continuo, mare cum impetu venit* in *medium, & aquis ſeparavit Italicum latus a Siculo: & labitur anguſto freto inter arva & urbes, diſtinctas* ſuo qualque *litore. Scylla occupat dextrum latus: immanis Charybdis lævum, & profundo gurgite voraginis ter vo-*

N O T Æ.

dicitur a *Lycto* oppido Cretæ, de qua inſula, v. 104.

*Melibœi Parva, &c.* ) Philoctetes, Pæantis filius, Melibœæ rex, urbis in Theſſalia, ad radices montis Oetæ: cum in Oeta, Theſſalico monte Trachiniæ regionis, pyram, in qua ſe Hercules comburendum collocaverat, ejus juſſu ſuccendiſſet; ab eodem arcum & ſagittas, Lernææ hydræ felle imbutas, accepit in munus. Trojam deinde profectus, & colubri morſu in crure ſauciatus, a Græcis in inſula Lemno fœtoris impatientia relictus eſt. Poſtea tamen, monente oraculo Trojam non niſi ſagittis Herculeis capi poſſe, ab Ulyſſe & Neoptolemo in caſtra accerſitus, Paridem occidit; & urbe capta, auditaque Melibœorum defectione, ut narrat Strabo, venit in Italiam: ibique Petiliam aut condidit, aut juxta alios mœnibus firmavit: ſitum ejus vide v. 396.

405. *Purpureo, &c.* ) Hunc morem ſervavere Romani, ut in ſacris caput obnuberent: ne turbatus alienarum rerum aſpectu ſacerdos, aut interrumperet ſacra, aut ex iis aliquid omitteret: utrumque enim fatale atque ominoſum erat. Idque ajunt Romani ſcriptores Æneæ exemplo a poſteris uſurpatum, infra v. 545. Saturno tamen, Honori, & Herculi, aperto capite facta ſacra, non velato, probat multiplici auctoritate Cerdanus.

411. *Rareſcent clauſtra Pelori.* ) *Pelorus*, ſeu *Pelorum*, *Capo di Faro*, promontorium Siciliæ maxime orientale: ſic Italiæ vicinum eſt, ut eidem contiguum aliquando fuerit, quemadmodum hic narrat poeta; & adhuc procul aſpicientibus conjunctum appareat, nec ullo freto pervium: tamen propius accedentibus paullatim rareſcunt & aperiuntur clauſtra illa, minuunturque viſu anguſtiæ, & laxior aditus apparet paullo. De *Sicilia*, infra v. 687.

416. *Protinus.* ) Sine interruptione atque intervallo, continua & perpetua ſerie. Sic Æ. 9. 337. *Felix ſi protinus illum Æquaſſet nocti ludum, in lucemque tuliſſet*: id eſt, ſi continuo luſiſſet. Hinc Æ. 10. 340. *Protinus haſta fugit*, & alibi vulgo ſumitur *ſtatim*, quia quod ſtatim fit, ſine intermiſſione fit. De *Heſperia*, Italia, Æn. 1. 534.

420. *Dextrum Scyllæ, &c.* ) *Scylla* ad latus Ita-



Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exſertantem, & naves in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore priſtis,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.
Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni
Ceſſantem, longos & circumflectere curſus;
Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.
Præterea, ſi qua eſt Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo:
Unum illud tibi, nate Dea, præque omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo.
Junonis magnæ primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus ſupera donis: ſic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem,
Divinoſque lacus, & Averna ſonantia ſilvis;

In-

*vorat fluctus in præceps, deinde alternatim attollit eos in aerem, & ferit aquis aſtra. At antrum includit Scyllam* in *obſcuris latebris, pandentem guttura, & trahentem naves in ſcopulos. Superior forma* eſt *humana, & puella formoſo pectore, uſque ad* imum *ventrem; inferior* eſt *priſtis immenſo corpore, conjuncta uteris canum circa caudam Delphinorum. Melius eſt, te morantem circumnavigare fines Siculi Pachyni, & circumſinuare longos curſus; quam ſemel videre ſub lata caverna turpem Scyllam, & ſcopulos ſonantes canibus cæruleis. Præterea, ſi aliqua eſt ſcientia Heleno, ſi aliqua fides* habenda *vati, ſi Apollo implet animum veris* rebus, *unice hoc tibi prædicam, & unice ante omnia, & repetens rurſus ac rurſus inculcabo. Primo cole precibus divinitatem magnæ Junonis, fer lubens vota Junoni, & vince parentem reginam ſupplicibus muneribus: ſic demum victor relicta Sicilia admitteris in regiones Italas. Quando illuc appulſus veneris ad Cumæam urbem, & lacus ſacros, & Avernum* inter *ſilvas ſonantem: vide-*

N O T Æ.

Italiæ, & Cænym promontorium: ſcopulus eſt tumultuoſo fluctuum allapſu ſemper fremens, nunc, *Scillo: a σκύλλω vexo. Charybdis*, ad latus Siciliæ, prope Meſſanam urbem: mare eſt vorticoſum, aquas ſorbens, & cum impetu deinde eructans, nunc *Capo di faro*: a [illegible] *orbeo. Charybdim* ajunt meretricem fuiſſe voraciſſimam: quæ, cum Herculi boves eripuiſſet, a Jove fulmine icta, & in fretum præceps acta, in voraginem ibi converſa eſt. *Scyllam* Phorci filiam, a Circe commutatam dicunt in monſtrum, cujus ſuprema pars fœmineam ſpeciem retinuerit, infima in canes abierit: quorum latratu fluctuum ſtrepitum exprimere voluerunt; ipſumque monſtrum in ſcopulo latere, eoque naves attrahere ac lacerare fabulati ſunt: atque hæc ex mente poetarum dicta, emendabimus, infra v. 555 & 685.

421. *Barathri.* ) Græca vox *βάραθρον barathrum*: ex Suida & Diomede, locus erat apud Athenienſes profundiſſimus, in quem noxii & morti deſtinati præcipitabantur, a *βαθὺς profundus*, juxta Feſtum.

427. *Priſtis, &c.* ) Scylla tres habuit partes: ſuperiorem virgineam, pube tenus; infimam, in modum piſtricis, ſive ingentis piſcis deſinentem in caudas bifidas, quales habent Delphini; mediam, ſcilicet commiſſuram pubis & caudæ, unde uteri & capita canum, ſive luporum erumpebant. Ex his patet ſenſus verſuum. Notanda hic quatuor. I. Græco more dictum eſt: *commiſſa caudas*, ſupple *κατὰ, circa caudas, per caudas.* II. *Delphinus*, vel *Delphin*, juxta aliquos porcus eſt marinus, Ital. *Delfino.* III. *Priſtis*; vel *piſtrix, piſtricis*: ſumitur vulgo pro *balæna*, quamvis a Plinio diſtinguatur: maximæ molis, & tamen velociſſime fluctus ſecans, unde nomen habet: *πρίειν* enim eſt *ſector.* IV. Cæteri poetæ *canes* tantum Scyllæ attribuunt. Virgilius ad terrorem *lupos* dixit.

429. *Trinacrii Pachyni.* ) *Pachynum*, meridionale promontorium Siciliæ, unum e tribus, quæ ipſam Trinacriam efficiunt, *Capo Paſſero* v. 687.

437. *Junonis, &c.* ) De ea ejuſque in Trojanos odio, Æn. 1. 27. 28. 33.

441. *Cumæam &c.* ) *Cumæ*, urbs fuit Italiæ, in litore Campaniæ, nunc everſa. De hac Æn. 6. 2. *Divini lacus* ſunt, *Avernus*, &

 *Lu-*

Inſanam vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſque notas & nomina mandat.
Quæcumque in foliis deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem verſo tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbavit janua frondes,
Numquam deinde cavo volitantia prendere ſaxo,
Nec revocare ſitus, aut jungere carmina curat.
Inconſulti abeunt, ſedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia tanti;
Quamvis increpitent ſocii, & vi curſus in altum
Vela vocet, poſſiſque ſinus implere ſecundos:
Quin adeas vatem, precibuſque oracula poſcas.
Ipſa canat, vocemque volens atque ora reſolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiaſque feraſque laborem,
Expediet: curſuſque dabit venerata ſecundos.
Hæc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ poſtquam vates ſic ore effatus amico eſt,

Dona

*videbis Sibyllam furentem, quæ ſub antro profundo aperit fata, committitque frondibus literas & vaticinia. Virgo diſponit in ordinem, & manens clauſa in antro relinquit* ante oſtium *vaticinia, quæ ſcripſit in frondibus. Illa* vaticinia *ſtant ſuis locis immota, nec recedunt a ſitu. Sed quando revoluto cardine levis ventus afflavit ea, & porta* aperta *turbavit frondes, numquam poſtea curat colligere vaticinia cavo* in *antro, aut reſtituere in ordinem, aut jungere. Exeunt ſine conſilio, & oderunt domum Sibyllæ. Illic ne ulla damna moræ ſint tibi curæ: etſi ſocii te incuſent, & navigatio per vim invitet vela in altum mare, & poſſis replere vento favente ſinus* velorum: *immo* potius *conveni Sibyllam, & ora precibus, ut ipſa reddat oracula, & libens aperiat os & vocem. Illa explicabit tibi gentes Italiæ, & futura bella, & qua ratione tolerabis aut evitabis unumquemque laborem: & a te culta impetrabit tibi curſus felices. Hæc ſunt* de quibus *licet admoneri te mea voce. I, perge, & factis extolle ad aſtra magnam Trojam. Poſtquam vates ore benevolo locutus eſt iſta,* dein-

N O T Æ.

*Lucrinus*, in Puteolano ſinu, prope Bajas & Cumas. *Divini* dicti, propter vicinum Sibyllæ antrum. De his fuſe Georg. 2. 161. Et Æn. 6. 237. *Avernus*, plur. *Averna*, montibus undequaque horrebat & ſilvis, quas excidit Agrippa, locuſque deinde multis ædificiis amœnus redditus eſt. De *Sibylla*, Æn. 6. 10.

460. *Venerata.*) Paſſive dictum: ſic Horatius Sat. l. 2. 2. 124. *Ac venerata Ceres ut culmo ſurgeret alto.*

464. *Elephanto.*) Ebore, quod ex dentibus elephanti ſecatur & perpolitur.

466. *Dodonæoſque lebetas.*) Pelves *Dodonæas*, id eſt, *æreas*: æs enim Dodonæ, ut Corinthi, celebre fuit. At duo fuere lebetum genera: alii qui admovebantur igni ad culinæ miniſteria, ad abluendas manus: alii qui appendebantur ad ornatum, ſive in domibus, ſive in templis. Et vero ajunt, locum, ubi Dodonæi Jovis oracula reddebantur, cinctum fuiſſe lebetibus, ita ſibi invicem conjunctis, ut commoto uno cæteri moverentur, ſonitumque diu redderent: unde proverbium fuit *Dodonæum æs*, in loquaces. Fuit autem *Dodona* lucus ſilvaque, Jovis oraculo & quercu fatidica celebris, in Epiro, Ecl. 9. 13. & ſupra 292.

467. *Loricam conſertam hamis, &c.*) *Lorica* tunica quædam eſt, ac munimentum pectoris in bello: quæ quia primum e *loris* & coriis ſiebat, *lorica* dicta eſt. Contexta deinceps ex laminis ferreis: tum annulis ſibi invicem *hamorum* inſtar impactis & concatenatis: denique ſquamis etiam ferreis, aut laminæ aut corio confertim inſertis. Hæc autem aliquando ſimplex, aliquando etiam duplex, ac triplex erat. Unde Statius l. 7. 312. *Ter inſuto ſervant ingentia ferro pectora.* Et Virgil. l. 9. 707. *Nec duplici ſquama lorica fidelis & auro.* Duplex vocabatur *bilix*; triplex *trilix*: id eſt, *bino* & *trino licio*, ſive textu: parte pro toto accepta. Atque ut multiplex textus per multiplex *licium* hic exprimitur, ſic a Silio l. 4. per *ſubtemen*, quæ pars in ipſo textu alia eſt: *Nexilis innumero chalybum ſubtemine thorax.* De *licio* & *ſubtemine*, infra v. 483. Quid vero ſi dicamus *auro trilicem loricam*, unico ac ſimplici ferreorum annulorum textu fuiſſe: ſed cujus extrema ora triplici licio aureo ſive triplici annulorum aureorum verſu ornata & quaſi



Dona dehinc auro gravia ſectoque elephanto
Imperat ad naves ferri: ſtipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæoſque lebetas,
Loricam conſertam hamis, auroque trilicem,
Et conum inſignis galeæ, criſtaſque comantes,
Arma Neoptolemi. Sunt & ſua dona parenti.
Addit equos, additque duces.
Remigium ſupplet: ſocios ſimul inſtruit armis.
Interea claſſem velis aptare jubebat
Anchiſes, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo,
Cura Deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Auſoniæ tellus; hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare neceſſe eſt.
Auſoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! quid ultra
Provehor, & fando ſurgentes demoror Auſtros?
Nec minus Andromache, digreſſu mœſta ſupremo,
Fert picturatas auri ſubtemine veſtes,

Et

*deinde jubet portari ad naves munera gravia auro & ſciſſo ebore: & congerit in naves multum argenti, & ollas Dodonæas, loricam compactam hamis, & triplici licio auri, & apicem pulchræ caſſidis, & criſtas capillatas*, quæ fuerant *arma Pyrrhi. Sunt quoque pro patre* meo *ſua munera. Adjicit equos, adjicit etiam duces. Subſtituit remiges: ſimul inſtruit armis ſocios* meos. *Interim Anchiſes imperabat eos inſtruere naves velis, ne ulla mora opponeretur vento faventi. Quem vates Apollinis alloquitur magno honore: O Anchiſa,* qui *honoratus es connubio glorioſo Veneris*, qui es *cura Deorum*, & *bis ſervatus e Trojano excidio, ecce tibi* præſens eſt *terra Italiæ, hanc apprehende navibus. Et tamen opus eſt, ut naviges mari ultra iſtam* partem. *Pars iſta Italiæ, quam aperit Apollo, procul* eſt. *I, inquit, ô fortunate*, propter *pietatem filii! quid ulterius pergo, & retardo ſurgentes Auſtros loquendo? Nec minus Andromache, triſtis* ob *ultimum diſceſſum, fert Aſcanio amictus verſicolores aureo textu,* & chla-

N O T Æ.

quaſi fimbriata eſſet? Audi Valerium l. 3. 199. *Per clypei cedentis opus, partemque trilicem, qua ſtomachi ſecreta, ferit.* Ergo in thorace, non contextus totus, ſed *pars tantum* aliqua *trilix* fuit: eaque ima, quæ ad *ſecreta ſtomachi*, ſive ad ventrem proxime accederet.

468. *Conum, &c.*) Proprie *conus* eſt quidquid in pineæ nucis figuram aſſurgit, & ex rotundo in acutum deſinit. Transfertur ad eam galeæ partem, quæ ex ejus convexo eminet, ſuſtinetque *criſtas*, ſive e jubis equinis, ſive e verſicoloribus pennis: quæ in modum capillorum ſive *comarum* diffundebantur.

470. *Duces.*) Nempe itineris, qui ſcopulos & ſyrtes oſtenderent.

475. *Anchiſa, &c.*) Vocativus Græcus, qui longam habet ultimam. Venus amavit Anchiſen, ex quo Æneam peperit. Æn. 2. 649.

476. *Bis Pergameis, &c.*) *Primo*, cum Hercules Laomedonti offenſus ob negatam ſibi pro Heſione filia, e ceti faucibus liberata, pactam mercedem, expugnavit Trojam, Heſionem Telamoni Salaminio conjugem dedit, Podarcen Laomedontis filium captivum abduxit, qui deinde redemptus dictus eſt Priamus a [illegible]. *Secundo* cum a Græcis Troja incenſa eſt. De *Auſtris*, ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58.

483. *Picturatas auri ſubtemine veſtes.*) Aliqui legunt *ſubtegmine*: male. Nam machina tota, in qua tela texitur, & præſertim ea pars, cui alligatur, dicitur *jugum*: prima fila, quæ jugo junguntur, telamque ordiuntur, ac definiunt, vocantur *licia*: fila, quæ in longum ducta alligantur licio, & ſubinde attolluntur, deprimunturque, ſunt *ſtamina*: fila, quæ inter ſtamina tranſverſim inſeruntur, alterna ſtaminum depreſſione & ſublatione, ſunt *ſubtemina*, quaſi *ſubſtamina*: inſtrumentum, quo deprimitur attolliturque ſtamen, dicitur *arundo*; quo inſeritur ſubtemen, dicitur *radius*; quo addenſatur ſubtemen cum ſtamine, dicitur *pecten*. Patent iſta ex his Ovidii verſibus, Metam. 6. 53.

*Haud mora, conſiſtunt diverſis partibus ambæ,*
*Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.*
*Tela jugo juncta eſt:* ſtamen *ſecernit* arundo:
*Inſeritur medius* radiis ſubtemen *acutis;*
*Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum*
*Percuſſo feriunt inſerti* pectine *dentes.*

484. *Phrygiam chlamydem.*) Veſtem breviorem,

Et Phrygiam Aſcanio chlamydem: nec cedit honori:
Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromachæ teſtentur amorem,
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo.
Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum,
Arva neque Auſoniæ ſemper cedentia retro
Quærenda: effigiem Xanthi, Trojamque videtis,
Quam veſtræ fecere manus; melioribus, opto,
Auſpiciis, & quæ fuerit minus obvia Grajis.
Si quando Tybrim vicinaque Tybridis arva
Intraro, gentique meæ data mœnia cernam:
Cognataſque urbes olim, populoſque propinquos,
Epiro, Heſperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem caſus, unam faciemus utramque
Trojam animis: maneat noſtros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:

Unde

*& chlamydem Phrygiam: nec male reſpondet dignitati ejus: & cumulat operibus textilibus, & hæc dicit: Accipe etiam hæc, o puer, quæ tibi ſint monumenta mearum manuum, & diu probent amorem Andromachæ, uxoris Hectoris: accipe ultima munera tuorum, o unica effigies, quæ mihi reſtat mei Aſtyanactis. Sic ille gerebat oculos, ſic manus, ſic vultum. Et jam tecum adoleſceret pari ætate. Ego diſcedens eos alloquebar lacrymis erumpentibus: Vivite fortunati, vos quibus ſua fortuna jam perfecta eſt: nos trahimur in fata alia poſt alia. Vobis quies acquiſita eſt, nulla planities maris eſt ſecanda, neque quærendi agri Italiæ ſemper fugientes retro: cernitis imaginem Xanthi, & Trojam, quam manus veſtræ fecerunt melioribus ominibus, ut cupio, & quæ minus expoſita ſit Græcis. Si umquam ingrediar Tybrim & agros Tybridi propinquos, & aſpiciam muros deſtinatos meo populo: quondam urbes conſanguineas, & nationes vicinas, ex Epiro, & ex Italia, quibus idem conditor eſt Dardanus, & eadem fortuna, faciemus utramque Trojam unam voluntate: ea cura ſpectet noſtros poſteros. Progredimur mari prope vicina Ceraunia,*

*unde*

N O T Æ.

rem, & vulgo militarem, quæ ſuperponebatur thoraci, ad ornatum, *caſacca*. *Phrygiam.*) Id eſt, acu pictam: nam Plin. l. 8. 48. *Pictæ veſtes jam apud Homerum fuiſſe, unde triumphales natæ: acu facere, id Phryges invenerunt, ideoque Phrygioniæ appellatæ ſunt.*

480. De *Aſtyanacte*, Æn. 2. 457.

497. *Xanthi*, &c.) De *Xantho*, Troadis fluvio, cujus nomen Andromache rivo alicui dederat, ut & Trojæ nomen alicui vico, Æ. 1. 477. De *Epiro*, ſupra v. 292.

503. *Idem Dardanus auctor*.) Non Epiro & Heſperiæ, ſed populis in utramque regionem appulſis: nempe Trojanis, qui, cum Heleno in Epiro jam ſederat, cum Ænea in Heſperia ſive Italia ſeſſuri erant. Utrique jactati Trojæ caſibus, & a Dardano oriundi, ſupra v. 167.

504. *Unam faciemus utramque Trojam*, &c.) Nempe hanc Trojam in Epiro factam ab Heleno, & alteram Trojam, quam in agro Laurente Italiæ conditurus erat Æneas, Æn. 7. 158. Sive potius, utroſque Trojanos intelligit; tam Epiri, quam Italiæ.

506. *Ceraunia*.) Montes ſunt altiſſimi, & ideo crebro fulmine percuſſi: unde etiam *Acroceraunia* nuncupantur, a ἄκρος *ſummum*, & κεραυνὸς *fulmen*. Termini ſunt Epiri ad ſeptentrionem; ut & maris Jonii, quod inde Hadriaticum dici incipit. Hinc curſus in Italiam breviſſimus; quare facile a media nocte ad Auroram tranſmiſſo mari Æneas potuit in conſpectum Italiæ venire.

510. *Sortiti remos*.) Remigandi officium apud veteres, non in reos, ſed in ipſos milites ſorte dividebatur; ut & excubandi cura. De *Palinuro*, navis Æneæ gubernatore, Æn. 5. 838. & 6. 337.

516. *Arcturum*, &c.) Stellam in ſigno Bootæ; quæ aliquando pro toto ſigno ſumitur: Georg. 1. 68. *Hyadas*, ſtellas ſeptem in fronte tauri, ibid. 138. *Geminos Triones*, utramque urſam, majorem ac minorem, Æn. 1. 748.

517.



Unde iter Italiam, curſuſque breviſſimus undis.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, paſſimque in litore ſicco
Corpora curamus; feſſos ſopor irrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aera captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones,
Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Poſtquam cuncta videt cœlo conſtare ſereno,
Dat clarum e puppi ſignum: nos caſtra movemus,
Tentamuſque viam, & velorum pandimus alas.
Jamque rubeſcebat ſtellis Aurora fugatis,
Cum procul obſcuros colles, humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto ſocii clamore ſalutant.
Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, Divoſque vocavit,
Stans celſa in puppi:
Di, maris & terræ tempeſtatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.
Crebreſcunt optatæ auræ, portuſque pateſcit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.

Vela

*unde via & trajectus breviſſimus eſt mari in Italiam. Interim Sol cadit, & montes denſi obſcurantur. Decumbimus in ſinu deſideratæ terræ, prope aquam, partiti officia navalia: & paſſim in litore ſicco reficimus corpora; ſomnus fluit in laſſa membra. Nondum nox provecta horis attigerat medium curſum: impiger Palinurus ſurgit e lecto, & obſervat omnes ventos, & auditu captat aerem: notat omnia aſtra decurrentia cœlo ſilente, Arcturum, & imbriferas Hyadas, & geminos Triones, & aſpicit Oriona armatum aurea luce. Poſtquam cernit omnia congruere in cœlo ſereno, e puppe dat clarum ſignum: nos movemus claſſem, & ingredimur iter, & extendimus alas velorum. Et jam ſtellis expulſis Aurora rubeſcebat: cum videmus procul colles obſcuros & planam Italiam. Achates primus conclamat Italiam: ſocii clamore hilari ſalutant Italiam. Tunc pater Anchiſes cinxit magnum poculum corona, & replevit vino, & invocavit Deos erectus in alta puppe: O Dii, ait, præſides maris & terræ & tempeſtatum, date* nobis *viam facilem* per *ventum, & favete proſperi. Augentur flatus deſiderati, & portus jam propior aperitur, & in Monte apparet templum Palladis.*

*Socii*

N O T Æ.

517. *Oriona*.) Orion venator fuit, comes Dianæ, qui ſcorpii morſu in talo vulneratus occubuit: & Deorum miſeratione in ſidus mutatus eſt. Scorpius autem, vel a Terra in eum immiſſus eſt, quod Orion nullam ſibi feram inſuperabilem eſſe gloriaretur; vel, juxta alios, a Diana, cui vim inferre in venatione voluerat. Orion in cœlo luculentiſſimum ſidus ſtellis conſtat ſex & quinquaginta, pingiturque accinctus gladio & clavam intendens: unde *armatus auro* dicitur, id eſt, *aurea luce conſpicuus*. De ejus ortu, Æn. 1. 539.

518. *Conſtare*.) Omnia ſerenitatis ſigna ſibi reſpondere, inter ſe congruere: eaque certa, & firma, & conſtantia; non varia.

520. *Velorum alas*.) Mutua tranſlatio eſt, inter volandi & navigandi verba, Æn. 1. 228.

522. *Humilem Italiam*.) Tum quia in ea parte altis montibus caret: tum quia e longinquo ſpectantibus altiſſima quæque humilia videntur: tum quia univerſim mare terris altius apparet.

525. *Cratera corona Induit*, &c.) *Coronare* poculum, duo ſignificat. Aliquando *implere vino*, ut diximus Georg. 2. 528. Aliquando cingere corona florea, ut hic; ſiquidem hic utrumque diſtinguitur: *corona induit*, *implevitque mero*. Et *libationem* exprimit, facile ac quotidianum Diis fere omnibus ſacrificium, vini effuſionem in mare. *De libatione*, Æn. 1. 740.

531. *Templum in arce Minervæ*.) Templum in promontorio Japygio, ſive Salentino, de quo Strabo lib. 6. de Salentinis loquens: Ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν πλούσιόν ποτε, &c.

Vela legunt ſocii, & proras ad litora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum,
Objectæ ſalſa ſpumant aſpergine cautes,
Ipſe latet: gemino demittunt brachia muro
Turriti ſcopuli, refugitque a litore templum.
Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchiſes: Bellum, o terra hoſpita, portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & fræna jugo concordia ferre:
Spes eſt pacis, ait. Tum numina ſancta precamur

Palla-

*Socii colligunt vela, & vertunt proras ad litora. Portus ab orientali mari curvatur in arcum, rupes oppoſitæ ſpumant ſalſa aſpergine, ipſe* portus *occultus eſt; ſcopuli turribus* ſimiles *demittunt* utrinque *latera* quaſi *duplici muro, & templum recedit a litore. Illic vidi in pratis quatuor equos candore niveo late carpentes herbam,* quod fuit *primum omen. Et pater Anchiſes ait. O terra hoſpitalis, portendis bellum. Equi armantur ad bellum: hæc armenta minantur bellum. Sed tamen iidem equi aſſueti* ſunt *ſubire currum & portare fræna concordia* ſub *jugo: ſpes eſt pacis. Tunc oramus ſanctam Divinitatem* Palla-

## N O T Æ.

&c. *Hic vero fuit & Minervæ templum dives olim, & ſcopulus, quem vocant promontorium Japygium, multum procurrens in mare contra ortum hybernum.*

533. *Portus ab Eoo fluctu.*) Id eſt, ad orientem obvertitur: ἠὼς *Aurora* eſt, quæ ab oriente naſcitur. *Arcem* vero accipio; vel pro munitione aliqua, quæ locum defenderet; vel pro ipſo ſcopulo promontorii, quod ἄκρον dicitur, ut explicuimus ad illud, Georg. 4. 461. *Flerunt Rhodopeiæ arces.*

535. *Brachia muro Turriti ſcopuli.*) Nec turres erant, nec brachia: ſed rupes porrectæ in modum brachiorum, & erectæ inſtar turrium, Propert. l. 3. 20. 24. *Scandam ego Theſeæ brachia longa viæ.*

541. *Curru, &c.*) Pro *currui*, dativo contracto, Ecl. 5. 29. De *Pallade armiſona*, Æn. 1. 43. De *ovatione*, pro lætitia, ſupra v. 189.

545. *Phrygio velamur amictu.*) Obſervat præceptum Heleni, de quo ſupra 405. *Amictum* illum volunt eſſe capitis integumentum, cui nomen erat *tutulus*, de quo Æn. 2. 683. *Phrygium* autem vocat, vel ſimpliciter quaſi Trojanum, vel arte factum Phrygia, id eſt, acu elaboratum, ut ſupra v. 484. Hic autem aliqui volunt accidiſſe Æneæ, quod attigimus Æn. 2. 166. ut Diomedes, qui cum Ulyſſe fatale Palladium ex arce Trojana eripuerat, pulſus deinde fatis adverſis in Italiam, & juſſus a Diis illud Trojanis reſtituere, Æneam forte illuc appulſum, & operto capite ſacrificantem nactus, hoc eidem reddere non auſus ſit, ne turbaret ſacra, ſed cuidam ex Æneæ ſociis tradiderit, cui nomen *Nautes*. Et vero regnaſſe dicitur Diomedes in Apulia, quæ Salentinis & Calabris contermina eſt ad occidentem, quamquam ſatis longo intervallo diſſita.

547. *Junoni Argivæ.*) Quæ celebratur in *Argia* Peloponneſi regione, ita ut cum *Mycenæ & Argi*, vicinæ illic urbes, quæ Danao ſimul paruerant, in duodeinde regna diviſæ ſunt; templum celebre Heræum dictum, Ἡραῖον, id eſt Junonium, licet ad Myconas ſitum, utrique tamen regi commune eſſet; Strabo lib. 8. Hinc profecti in Italiam Græci, ſacra Junoni Argivæ ibidem inſtituerunt: Diomedes lucum apud Venetos ex Strabone lib. 5. Jaſon fanum in Lucania ex eodem l. 6.

548. *Continuo.*) *Continuo ordine*, id eſt, non interrupto ſacrificio: ideoque caput velare juſſus fuerat, ſupra v. 405.

549. *Cornua velatarum, &c.*) *Antennæ* ſunt ligna tranſverſa in malo, quibus alligantur vela: antennarum extrema vocantur a Virgilio *cornua*, unde ipſas antennas appellat Lucanus l. 8. 177. *ſummos ceruchos*: id eſt, *habentes cornua*, ab ἔχω *habeo*, & κέρας *cornu*.

*Obvertimus.*) Ab extremo illo Italiæ promontorio Japygio ad partem maxime meridionalem, cujus deſcriptionem habes verſ. 396.

551. *Herculei Tarenti.*) De Tarenti ſitu v. 396. urbs eſt cum portu celebri, in receſſu maxime ſeptentrionali ſinus Tarentini: bella olim geſſit maxima cum Romanis, advocato in auxilium Pyrrho Epiri rege; Romanis deinde ſubdita, tum in Annibalis poteſtatem redacta, iterum ad Romanos reverſa eſt. Hujus conditor *Taras*, qui heros, juxta Strabonem: juxta Servium, Neptuni filius fuit: inſtaurator aut potius invaſor, *Phalantus* Lacedæmonius, qui cum Partheniis, notha Lacedæmoniorum prole, expulſus e patria ibidem ſedes ſtatuit, & divinis honoribus poſt mortem affectus eſt, ut eſt apud Stra-

bonem



Palladis armiſonæ, quæ prima accepit ovantes:
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptiſque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ juſſos adolemus honores.
Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum:
Grajugenumque domos, ſuſpectaque linquimus arva.
Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti
Cernitur: attollit ſe Diva Lacinia contra,
Cauloniſque arces, & navifragum Scylacæum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Ætna,
Et gemitum ingentem pelagi, pulſataque ſaxa

An-

*Palladis armigeræ, quæ prima excepit lætos; & ante altaria tegimus Phrygio amictu* circa *capita, & ex monitis Heleni, quæ dederat maxima, offerimus rite Junoni Argivæ ſacrificia præſcripta. Abſque mora, votis continuo ordine perſolutis, convertimus cornua antennarum veliferarum: & deſerimus ſedes Græcorum, campoſque ſuſpectos. Hinc videtur ſinus Tarenti, ſi verus eſt rumor, Herculei: ex adverſo* templum *Deæ Laciniæ erigit ſe, & arces Caulonis, & Scylacæum navifragum. Deinde procul e mari videtur Ætna Sicula, & eminus audimus magnum fremitum maris, & ſcopulos repercuſſos,* &

## N O T Æ.

bonem l. 6. & Juſtinum l. 3. 4. *Herculeum Tarentum* cur appelletur, non liquet: videturque Virgilius de nominis veritate ipſe dubitare, cum addit, *ſi vera eſt fama*. Quadruplicem conjecturam affero. I. Eſt ex Servio, qui ait Phalantum ex Herculis fuiſſe poſteris, ab eoque octavum; ſed hoc quaſi commentum rejicitur. II. Eſt ex Erythræo, qui docet ex Ariſtotelis libro de mirabilibus auditis, locum, quem Tarentini occupaverunt, vocatum eſſe poſtea *Heracleam*, cum prius dictus eſſet *Pleon*, & *Sigeum*. Addit vero quod plane incertum eſt, Tarentinos ab Hercule fuiſſe domitos. III. Eſt ex Pomponio Sabino, qui ait in Herculis tutela Tarentum fuiſſe. Et vero legimus in Strabone l. 6. fuiſſe in illa urbe coloſſum Herculis æreum, opus Lyſippi, a Fabio maximo, qui recepit urbem, inde ſublatum, & in Capitolio dedicatum. IV. Addo: non urbem ſolum, ſed totum tractum Herculis itineribus & memoria fuiſſe inſignem: quod colligo ex eodem Strabone: urbs enim ibidem fuit *Heraclea*, id eſt, *Herculea*; ubi communis agebatur conventus Græcorum omnium, qui has regiones tenebant: tum *Leuca* urbs, ubi fons fœtentis aquæ, excitatus e ſanguine Gigantum Leuterniorum, quos ab uſque Phlegræis Italicæ Campaniæ campis perſecutus Hercules ibidem terra obruerat.

552. *Diva Lacinia contra.*) Junonis Laciniæ templum, prope Crotonem urbem, ſanctum omnibus circa populis ex Livio l. 24. cujus tegulas marmoreas Fulvius Flaccus in cenſura ſua tranſtulit in ædem Fortunæ equeſtris, quam Romæ faciebat, ex Valerio l. 1. 2. ubi ara ſub dio poſita, in qua cinis, perflantibus procellis, ſemper immobilis, ex Plin. l. 2. 107. *Contra.*) Meridiem verſus, in promontorio Lacinio, cum Tarentum ſit ad ſeptentrionem v. 396.

553. *Cauloniſque arces, & navifragum, &c.*) Prius tamen occurrit *Scylacæum*, quam *Caulon*. Eſt *Caulon*, vel *Caulonia*, urbs prius *Aulonia* dicta a valle, quam habebat in conſpectu, erat enim in Apennini jugo ſita; Græce autem αὐλὼν, *vallis*. Ab Achivis condita ex Strab. l. 6. nunc *Caſtel vetere*, mons adhuc *Caulo*.

*Navifragum Scylacæum.*) *Scylacæus* ſinus, in media ſinus ora *Scylacæum* habebat urbem, coloniam Athenienſium, qui Mneſtheum regem ad Trojam ſecuti ducem fuerant. Strabo l. 6. Sed hic varia eſt lectio. Dubitat Scaliger Poet. l. 2. 31. an ſit, *Navifragum Scylacæum*, redundante ſyllaba, aut extremis duabus in unam coaleſcentibus; an vero, *Naufragum Scyllacæum*, ubi amphimacer in dactyli locum ſuccederet. Turnebus cenſet l. 29. 21. commodius legi poſſe *Scyllæum*, quod vel eſt promontorium *Cenys*, *coda della volpe*, in anguſtiis freti Siculi; vel *Scylla* ſcopulus, etiam ultra Cœnym leuca integra remotus. Sed ſane cum Æneas ne ad Charybdim quidem niſi eminus acceſſerit, vix potuit Scyllæum videre. Igitur commodius eſt legere cum antiquis pleriſque codicibus *Navifragum Scylacæum*, per unicum *l*, præſertim cum dicat Strabo *Scylletium* antiquis, recentioribus dictum eſſe σκυλάκιον *Scylacium*.

555. *Et gemitum ingentem pelagi, &c.*) Videtur hic Virgilius verius, quam cæteri poetæ naturam Charybdis expreſſiſſe. Quippe Cluverius, qui ad pernoſcendam loci naturam ſe Meſſanam contulerat, ait, probatque in Sicilia antiqua l. 1. c. 5. etſi vortex

Oo ille

Audimus longe, fractaſque ad litora voces:
Exultantque vada, atque æſtu miſcentur arenæ.
Et pater Anchiſes: Nimirum hæc illa Charybdis:
Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.
Eripite, o ſocii, pariterque inſurgite remis.
Haud minus ac juſſi faciunt: primuſque rudentem
Contorſit lævas proram Palinurus ad undas:
Lævam cuncta cohors remis ventiſque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad Manes imos deſcendimus unda.
Ter ſcopuli clamorem inter cava ſaxa dedere,
Ter ſpumam eliſam & rorantia vidimus aſtra.
Interea feſſos ventus cum Sole reliquit:
Ignarique viæ, Cyclopum allabimur oris.
Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens
Ipſe; ſed horrificis juxta tonat Ætna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo & candente favilla;
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit:
Interdum ſcopulos avulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras

Cum

*& ſonitus ruptos ad litora: & fluctus exiliunt, & arenæ turbantur ebullitione. Et pater Anchiſes ait: Scilicet hæc eſt illa Charybdis: Helenus prædicebat hos ſcopulos, has rupes horrendas. Extrahite hinc vos, o ſocii, & pari* conatu *incumbite remis. Nec faciunt minus, quam juſſi erant facere: & primus Palinurus deflexit proram ſtridentem ad aquas ſiniſtras: turba omnis abiit in ſiniſtram* partem *remis & ventis. Erigimur in cœlum ſinuato mari, & iidem ſubtracta aqua delabimur ad imos inferos. Ter ſcopuli ſonitum emiſerunt intra cava ſaxa; ter vidimus ſpumam impactam & ſidera ſtillantia. Interim ventus cum Sole deſtituit nos fatigatos: & inſcii viæ appellimur ad litus Cyclopum. Portus* eſt *imperturbatus ab ingreſſu ventorum, & ipſe capax; ſed Ætna prope tonat horribili tumultu: & aliquando emittit ad cœlum nigram nubem, fumantem turbine piceo & ferventibus favillis, & attollit globos flammarum, & tangit aſtra: aliquando erigit evomens rupes & diſrupta viſcera montis, & cum ſonitu congerit in aere ſaxa comminuta,*

*& ebul-*

NOTÆ.

ille circa Meſſanam oſtendatur, appelleturque *Galofaro & la Rema*; tamen mare toto freto vorticoſum eſſe, ac tumultuoſum: laudatque Thucydidem, qui fretum totum Charybdim appellavit lib. 4. *Eſt autem fretum, mare inter Rhegium & Meſſanam, qua minimum Sicilia diſtat a continente: & hoc illud eſt, quod Charybdis appellatum fuit, qua Ulyſſes fertur transnavigaſſe:* καὶ τοῦτο ἡ χάρυβδις κληθεῖσα τοῦ &c. Hinc a quibuſdam ad Pelorum promontorium, ab aliis ad Meſſanam collocatur: ab Homero ſub ſcopulo caprificis arboribus inumbrato, ab aliis ut hians abſque ſcopulis vorago deſcribitur. Re autem ipſa impetus eſt maris, a ſeptentrione vehementius quam a meridie influentis: cujus fluctus, adverſis ventis obluctantibus, Auſtro præſertim a meridie ſæviente, repelluntur in freti anguſtias; ibique compreſſi, ingenti murmure & litorum ſcopulorumque mugitu in vortices contorquentur. Scite ergo Virgilius, nulla certi loci mentione facta, generatim *gemitum, litora, ſaxa, vada, æſtum* commemorat: additque *nimirum hæc illa Charybdis*. Male ergo plerique cum Cerdano *ſaxa & ſcopulos* interpretantur de *Scylla*: quæ, ut oſtendemus v. 685. nimium diſtat a vulgari Charybdis loco, quam ut ejus latratus inde audiri poſſit. De tabula *Charybdis & Scyllæ*, ſupra, v. 420.

565. *Ad Manes.*) In profundum maris, & quaſi ad inferos, ſedem umbrarum & animarum, quæ *Manes* dicuntur, de quibus Georg. 4. 469.

567. *Rorantia aſtra.*) Stillantem aerem, depluente aqua, quæ maris impetu ejecta ſurſum fuerat.

569. *Cyclopum oris.*) Ex Cluverio de Sicilia l. 1. 2. *Cyclopes* primi Siciliæ, ſive Trinacriæ habitatores fuerunt: præcipue circa montem Ætnam, & agrum Leontinum. Fatetur eos ſtatura fuiſſe gigantæa, quod probat multis ibidem repertis cadaveribus inſolitæ magnitudinis: eos item agreſtes, & hoſpitibus infeſtos memorat. Hinc finxerunt poetæ veſci eos humanis carnibus; unicum habere media in fronte rotundum oculum, unde nomen ipſis κύκλος *circulus*, & ὤψ *oculus*. Tum, ob Ætnæ montis, & Liparearum in ſeptentrionali Siciliæ litore ſeptem inſularum viciniam, addiderunt eoſdem Vulcani miniſtros

eſſe



Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.
Fama eſt, Enceladi ſemuſtum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis:
Et, feſſum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum ſubtexere fumo.
Noctem illam tecti ſilvis immania monſtra
Perferimus: nec, quæ ſonitum det cauſa, videmus.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus; obſcuro ſed nubila cœlo,
Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Poſtera jamque dies primo ſurgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum ſubito e ſilvis, macie confecta ſuprema,
Ignoti nova forma viri, miſerandaque cultu
Procedit, ſupplexque manus ad litora tendit.
Reſpicimus: dira illuvies, immiſſaque barba,
Conſertum tegmen ſpinis; at cætera Grajus,
Et quondam patriis ad Trojam miſſus in armis.
Iſque ubi Dardanios habitus & Troia vidit

Arma

*& ebullit ex imo fundo. Rumor eſt, corpus Enceladi ſemuſtum fulmine, premi hac mole, & magnam Ætnam ſuperimpoſitam exhalare ignem fractis caminis: &, quoties* Enceladus *vertit latus fatigatum, Siciliam totam tremere tumultu, & involvere cœlum fumo.* Per *illam noctem occulti* in *ſilvis patimur infanda prodigia, nec cognoſcimus quæ cauſa emittat* illum *ſonitum. Nam nec erant lumina ſiderum, nec cœlum fulgens ſplendore ætheris: ſed nebulæ tenebroſo aere, & nox importuna includebat Lunam in nube. Et jam dies ſequens naſcebatur primo diluculo, & aurora diſpulerat e cœlo humidas tenebras: cum repente prodit e ſilvis nova figura hominis ignoti, exeſa macie ſumma, & miſerabilis habitu, & ſupplex tendit manus ad litora. Reſpicimus: fœdæ* erant *ſordes, & barba diffuſa, veſtis contexta ſpinis;* quantum ad *alia Græcus, & olim miſſus ad Trojam in patrio exercitu. Atque ille quando vidit eminus veſtes Trojanas & Trojana*

*arma,*

NOTÆ.

eſſe ſuis illis in officinis, ad fabricanda Jovis fulmina; Neptuni autem filios, quia ſolent fabulæ ſceleratos omnes ei pro filiis attribuere. Portus Cyclopum a Virgilio fingitur circa litus, ubi nunc eſt *Catana* urbs, ad radices Ætnæ: patet enim e ſubſequenti narratione, eum in Siciliæ continenti, loco ſilvoſo deſcribi: non in iis ſcopulis, qui circa idem litus a Cyclopibus vulgo nomen habent.

571. *Ætna.*) *Mongibello*, non longe a litore Siciliæ orientalis, miræ fertilitatis.

572. *Prorumpit nubem.*) Activum hic eſt; unde paſſivum apud Lucret. l. 6. 435. *Prorumpitur in mare venti vis*: neutrum vero Æ. 10. 379. *Medius denſos prorumpit in hoſtes.*

573. *Candente.*) Non ſolum *candida*, ſed *fervente*, quæ ex fervore candorem contraxerit. Sic Æn. 12. 90. *Enſem quem.... Stygia candentem tinxerat unda.*

576. *Liquefactaque ſaxa.*) Exeſa in pumices, commutata in cineres, qui torrentium inſtar inde erumpunt; & Catanenſem agrum, vicinumque mare interdum operiunt. Vide Cluverium loco citato.

578. *Enceladi ſemuſtum, &c.*) Cauſam aſfert hujus incendii fabuloſam: nempe bello gigantæo, maximum gigantum Enceladum, Titanis ac Terræ filium, fulminatum a Jove fuiſſe, & Ætna montem obtectum. Pindarus, & Ovidius hoc ſupplicium Typhoeo attribuunt: eumdemque volunt non hoc uno monte, ſed Sicilia tota, oppreſſum eſſe: Ovid. Met. 5. 346. Verum alii cauſam proferunt: quod totus ille tractus, ad uſque Campaniam, ſulfure abundet ac ſpeluncis, in quas admiſſi venti incendia excitant. Unde exiſtimo non aliam ob cauſam Lipareas inſulas, & *Æolias & Vulcanias* appellatas eſſe; earumque regnum & *Æolo & Vulcano* ex æquo attributum; quam quod & igne & vento periude agitentur.

585. *Æthra ſiderea.*) Cœleſtis ignis ſphæra, ut ajunt, quæ vocatur *æther*; & pro cœlo, & aere & aſtrorum ſplendore ſumitur.

587. *Nox intempeſta.* Ad agendum inepta, atque intempeſtiva.

588. *Eoo.*) Lucifero, Veneris ſtella, qui pro *diluculo* ſumitur: nomen ab ἠὼς *Aurora*. De eo, Ecl. 6. 86. De *Aurora*, Georg. 1. 249.

594. *Conſertum tegmen ſpinis.*) Veſtis e frondibus arborum, quæ ſpinis inter ſe aſſutæ, & compoſitæ erant. *Cætera.*) Quantum ad cætera, nempe ſtatum, inceſſum, colorem, vocis ſonum.



600. *Cœli*

Arma procul; paullum aſpectu conterritus hæſit,
Continuitque gradum: mox ſeſe ad litora præceps
Cum fletu precibuſque tulit. Per ſidera teſtor,
Per ſuperos, atque hoc cœli ſpirabile lumen:
Tollite me, Teucri, quaſcumque abducite terras.
Hoc ſat erit. Scio me Danais e claſſibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe Penates.
Pro quo, ſi ſceleris tanta eſt injuria noſtri,
Spargite me in fluctus, vaſtoque immergite ponto.
Si pereo manibus hominum, periiſſe juvabit.
Dixerat: & genua amplexus, genibuſque volutans
Hærebat. Qui ſit, fari, quo ſanguine cretus,
Hortamur: quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat juveni, atque animum præſenti pignore firmat.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulyſſei,
Nomen Achemenides: Trojam genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetque utinam fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores ſocii vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere. Domus ſanie, dapibuſque cruentis,
Intus opaca, ingens: ipſe arduus, altaque pulſat
Sidera: (Di, talem terris avertite peſtem)
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora noſtro,
Prenſa manu magna, medio reſupinus in antro

625 Fran-

*arma, paullulum ſubſtitit territus viſu & pedem cohibuit: deinde currens contulit ſe ad litora cum precibus, & fletu:* aitque: *Obſecro per aſtra, per Deos,* & per *hanc lucem cœli, qua reſpiro: auferte me, o Trojani, aſportate in quaslibet terras. Hoc ſatis erit. Scio me unum* eſſe *e claſſe Græca, & fateor me invaſiſſe armis Iliacas domos.* Pro *qua* re *ſi tanta eſt iniquitas mei criminis, projicite me in undas, & demergite vaſto mari. Si pereo manibus hominum, dulce erit perire. Dixerat: & amplectens genua* noſtra, *& abjectus ingenua, hærebat. Incitamus* eum, *ut dicat qui ſit, quo ortus ſanguine;* utque *poſtea fateatur, quæ ſors eum vexet. Ipſe pater Anchiſes, non expectans diutius, porrigit dexteram juveni, & confirmat ejus animum* hoc *proſpero teſtimonio* fidei. *Ille excuſſo metu hæc demum loquitur: Sum ex patria Ithaca, comes miſeri Ulyſſis, nomen* mihi eſt *Achemenides, qui veram Trojam patre Adamaſto paupere* exiſtente, *& utinam illa ſors* mihi *manſiſſet! Hic ſocii, dum fugiunt feſtini crudelem domum, obliti* mei *me reliquerunt in vaſta caverna Cyclopis.* Domus eſt *interius tenebroſa, magna, tabo & ſanguinolentis cibis* plena: *ipſe Cyclops altiſſimus, & tangit alta aſtra: (Dii, ſervate terras a tali pernicie) nec facilis videri, nec ſermone affabilis cuiquam. Paſcitur viſceribus miſerorum & nigro ſanguine. Vidi ego ipſe, cum ſupinus media in caverna allideret ad rupem duo corpora de numero noſtro comprehenſa magnis manibus,*

*& por-*

N O T Æ.

600. *Cœli ſpirabile lumen.*) Vel aerem quem reſpiramus, & qui luce penetratur; vel lucem ipſam Solis vitalem, qua cuncta fruuntur ac veluti ſpirant.

611. *Præſenti pignore.*) Tradita manu; quod fidei ſignum fuit. Sic Curtius l. 5. Darium morientem ita inducit cum Polyſtrato loquentem: *Alexandro hoc fidei regiæ unicum dextræ pignus pro me dabis. Hæc dicentem accepta Polyſtrati manu vita deſtituit.*

613. *Ex Ithaca, &c.*) Inſula eſt ad ſinum Corinthiacum, pars regni Ulyſſis; ſupra v. 270. 272. *Ulyſſei* pro *Ulyſſis*, Æn. 1. 225.

614. *Achemenides.*) Fictum nomen ab ἄχος *mœror*, & μένω *maneo*: quia derelictus a ſociis in mœrore diu fuerat: unde miror Nannium hujus nominis nullum etymon reperiſſe; ideoque reſcribendum duxiſſe *Agamenides*, quaſi ab ἄγαν *valde*, & μένω *maneo*: eoque miror magis, quod Ovidius, qui Metam. libro 14. totum hoc iter ex Virgilio quaſi exſcripſit, hunc ipſum ſæpius *Achemeniden* vocat.

615. *Paupere.*) Ut ſe ad Trojam non voluntate profectum oſtendat, habeatque neceſſitatis excuſatione. Sic Sinon ad Priamum Æn. 2. 87. *Paupere in arma pater primis huc miſit ab annis.*

617. Cy-



Frangèret ad ſaxum, ſanieque aſperſa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud impune quidem: nec talia paſſus Ulyſſes,
Oblituſve ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto.
Nam ſimul expletus dapibus, vinoque ſepultus
Cervicem inflexam poſuit, jacuitque per antrum
Immenſus, ſaniem eructans, ac fruſta cruento
Per ſomnum commixta mero: nos, magna precati
Numina, ſortitique vices, una undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis inſtar:
Et tandem læti ſociorum ulciſcimur umbras.
Sed fugite, o miſeri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantuſque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera preſſat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia jam Lunæ ſe cornua lumine complent,
Cum vitam in ſilvis, inter deſerta ferarum
Luſtra, domoſque traho, vaſtoſque ab rupe Cyclopas
Proſpicio, ſonitumque pedum vocemque tremiſco.
Victum infelicem, baccas, lapidoſaque corna
Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ.
Omnia colluſtrans, hanc primum ad litora claſſem
Conſpexi venientem: huic me, quæcumque fuiſſet,
Addixi: ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.

Vos

*& porta redundaret ſanguine infecta: vidi, cum devoraret membra ſtillantia tabo, & membra calentia tremerent ſub ejus dentibus. Non tamen abſque ultione: nec Ulyſſes toleravit talia, aut Ithacenſis oblitus eſt ſui* in *tanto periculo. Nam ſtatim* atque Cyclops *ſatiatus cibis & ſepultus vino, demiſit collum incurvatum, & jacuit per cavernam vaſtus, inter dormiendum ejectans tabum & fruſta miſta* cum *vino ſanguineo:* nos poſtquam *invocaſſemus magnos Deos, & duxiſſemus ſorte officia, ſimul undique circumſiſtimus: & perfodimus telo acuto oculum magnum, qui unicus occultabatur ſub feroci fronte, in modum ſcuti Argolici aut ſolaris lampadis: & læti vindicamus denique animas ſociorum. Sed fugite, o infortunati! fugite, & abſcindite funem a litore. Nam qualis & quantus Polyphemus includit cavo in ſpecu greges ovinos, & premit ubera;* tales ac tanti *centum alii horrendi Cyclopes manent circa hæc ſinuoſa litora, & vagantur per altos montes. Jam tertiæ Lunæ cornua implent ſe luce; ex quo duco vitam in ſilvis, inter cubilia vacua & ſedes ferarum; & e rupe ſpecto Cyclopas immanes, & trepido* ad *ſonum pedum & vocem. Rami præbent* mihi *miſera alimenta, baccas & lapidoſa corna, & herbæ nutriunt me vulſis radicibus. Circumſpiciens omnia, vidi hanc primo claſſem tendentem ad litora: deſtinavi me illi, quæcumque eſſet: ſufficit evitaſſe nationem immanem.*

*Vos*

N O T Æ.

617. *Cyclopis in antro.*) Polyphemi. Is Ulyſſem, appulſum in Siciliam, & cum ſociis duodecim ad ſe venientem, antro incluſum tenuit: devoratiſque ſex ex illis, ab Ulyſſe vini potu ſopitus, impacta in oculum clava excæcatus eſt. Ulyſſes deinde ſub arietum villis ſocios, ſeque ipſum implicuit, & cum grege ex antro emerſit. Quæ fuſe deſcribit Homerus Odyſſ. 9. 105. Hoc imitatur Virgilius, fingitque caſu relictum illic eſſe unum e ſociis Ulyſſis, qui ante tres menſes ad idem litus appulſus fuerat.

636. *Latebat.*) Clauſus erat tunc oculus, nempe ſomno.

637. *Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis.*) Tria notat, figuram, magnitudinem, & ſplendorem oculi. Notat *figuram* quidem rotundam, quæ figura erat *clypei*, & Cyclopes vocabantur a rotundo oculo, v. 569. Notat *magnitudinem* ingentem; qualis erat *clypei Argolici*, qui totum tegebat militem, ita ut cæſorum corpora in clypeis exportarentur. Notat denique *ſplendoris* vim acerrimam, qualis eſt *Phœbeæ lampadis*, id eſt, Solis.

649. *La-*

Vos animam hanc potius quocumque abſumite leto.
Vix ea fatus erat, ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.
Lanigeræ comitantur oves, ea ſola voluptas,
Solamenque mali: de collo fiſtula pendet.
Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit,
Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, ſic merito, tacitique incidere funem:
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit.
Verum ubi nulla datur dextram affectare poteſtas,
Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo,

Cla-

*Vos potius quam illa, extinguite hanc* meam *vitam morte. Vix iſta locutus erat, cum cernimus in ſummo monte ipſum paſtorem Polyphemum moventem ſe vaſta mole inter greges, & tendentem ad litora* ſibi *cognita: monſtrum horribile, deforme, immane, cui lux ablata eſt. Pinus truncata ſuſtinet manum, & firmat inceſſum. Oves lanigeræ ſequuntur* eum, *hæc unica* oble*ctatio eſt* ipſi, *& ſolatium miſeriæ: tibia pendet e collo. Poſtquam attigit ſummos fluctus, & pervenit ad mare, inde abſtergit ſanguinem fluentem ex oculo excæcato, ſtridens dentibus* inter *gemendum: & jam incedit per medium mare, nondum* tamen *aqua madefecit alta* ejus *latera. Nos timentes* cœpimus *properare fugam procul inde, admiſſo ſupplice*, qui *ſic merebatur, & ſilentes ſecamus funem, & incurvi percurrimus mare remis* inter ſe *contendentibus. Agnovit* hoc Polyphemus, *& retulit pedem ad murmura vocum. Sed quoniam nulla datur ipſi facultas attigendi manum, nec poteſt procedendo æqualis eſſe fluctibus Ioniis*, emit-

## N O T Æ.

649. *Lapidoſa corna.*) Fructus *corni* arboris, Ital. *corniolo*: qui rubicundi ſunt, intus oſſiculo muniti duriſſimo. *Baccæ* ſunt exigui quilibet arborum fœtus.

670. *Dextram affectare.*) Cum affectu & aviditate apprehendere.

671. *Nec potis Ionios, &c.*) Nec potis eſt, nec poteſt: antiquæ voces, *pos & potis*: unde *compos*, *impos*: & verbum *poſſum*, quaſi *pos ſum*: & *potire* a *potis* apud Plautum. *Ionios fluctus.*) Quia mare *Ionium* a Sicilia ad uſque Græciam appellatur, ſupra v. 210. De *Ætna*, v. 571. De *Cyclopibus*, v. 569.

680. *Coniferæ cypariſſi.*) Fructus pini & cupreſſi, quia rotundi in acumen abeunt, ideo dicuntur *coni*; *conus* enim hæc ipſa figura eſt, v. 468. Quercus dicata Jovi erat: ideo, *ſilva Jovis*. Cupreſſus, arbor luctuoſa, Proſerpinæ; quæ Diana eadem erat: ideo *lucuſve Dianæ*. Æn. 4. 511.

685. *Inter utramque viam.*) *Utraque via* hic, pro Scylla ſcopulo, & Charybdi voragine ſumitur; quam qui teneat, vitæ diſcrimen adeat: & *Ni*, pro *ne* dictum eſſe, conſentiunt omnes interpretes. Monuerat enim Helenus ſupra v. 429. ne illac tranſirent, ſed retro potius abirent, &, curſu ad ſiniſtram reflexo, Siciliam circumnavigarent.

*Leti diſcrimine parvo.*) Non hoc dicit; utrumque monſtrum *Scyllam & Charybdim parum inter ſe diſtare*: ſciebat enim, id quod jam ſcimus, diſtantiam ac diſcrimen inter utrumque eſſe, ut minimum, duodecies mille paſſuum. Sed hoc dicit: in his freti anguſtiis, totaque adeo via, quicumque curſum tenent, *parum a morte diſtare*, propter frequentes vortices, ſupra v. 555.

687. *Boreas.*) Ventus ſeptentrionalis, de quo Ecl. 7. 51. Et hic quidem proprie, quia Siculum fretum rectis faucibus a ſeptentrione ad meridiem patet: unde a *Peloro* promontorio ad *Pachynum* navigantibus omnino Borea opus eſt.

*Anguſta a ſede Pelori.*) Bene *anguſta*, hic enim ſunt maximæ Siculi freti anguſtiæ: paſſuum ſcilicet mille quingentorum, qui leucam circiter mediam efficiunt. Atque hic opus eſt brevem Siciliæ deſcriptionem attexere.

*Sicilia*, omnium mediterranei maris inſularum maxima, multis nominibus appellata fuit, multos habuit incolas. I. *Cyclopes*, ut diximus verſ. 569. II. *Sicanos*, Hiſpaniæ populos circa fluvium Sicanum; qui juxta alios eſt Sicoris, *Segre*; juxta alios Cinga, *Cinca*: ab his dicta eſt *Sicania*. III. *Italos*, qui Siculo duce, Sicanos in occidentalem inſulæ partem ejecerunt: a quibus dicta eſt *Sicilia*: quamquam aliis aliter placet. IV. *Græcos* com-



Clamorem immenſum tollit, quo pontus & omnes
Intremuere undæ, penituſque exterrita tellus
Italiæ, curviſque immugiit Ætna cavernis.
At genus e ſilvis Cyclopum & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & litora complent.
Cernimus aſtantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cum vertice celſo
Aeriæ quercus aut coniferæ cypariſſi
Conſtiterunt, ſilva alta Jovis, lucuſve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocumque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela ſecundis.
Contra juſſa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti diſcrimine parvo,
Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.
Ecce autem Boreas anguſta a ſede Pelori
Miſſus adeſt: vivo prætervehor oſtia ſaxo
Pantagiæ, Megaroſque ſinus, Tapſumque jacentem.
Talia monſtrabat relegens errata retrorſum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulyſſei.

Sica-

*emittit clamorem, quo mare & omnes fluctus tremuerunt, & terra Italiæ intime tremefacta, atque Ætna ſinuoſis cavernis remugiit. At gens Cyclopum evocata a ſilvis & altis montibus currit ad portum, & tegit litus. Videmus fratres Ætnæos fruſtra ſtantes oculo fero, attollentes ad cœlum alta capita, turbam horrendam: quales cum aeriæ quercus, vel cypariſſi coniferæ alto cacumine eriguntur, altum nemus Jovis, aut ſilva Dianæ. Timor gravis compellit* ſocios *feſtinos tollere funes quamcumque* in partem, *& immittere vela propitiis ventis. Contra* autem *præcepta Heleni admonent, ne iter habeant inter utramque viam*, nempe *Scyllam & Charybdim, quæ parum diſtat a morte: deliberatum eſt retro agere vela. Ecce autem Boreas oritur flans ab anguſto freto Pelori: prænavigo oſtia e vivo ſaxo Pantagiæ, & ſinus Megareos, & Tapſum humilem. Hæc oſtendebat* nobis *Achemenides, comes miſeri Ulyſſis, retro radens litora* jam ante a ſe *pererrata*.

*Inſula*

## N O T Æ.

complures ac barbaros, qui colonias in eam deduxerunt. Denique Carthaginenſibus paruit, Romanis, &c.

Nomen antiquiſſimum eſt *Trinacria* a triangulari figura, quam efficiunt τρία ἄκρα, *tria* extrema, ſeu *promontoria*. Primum eſt *Pelorus*, *Capo di Faro*, ad ſeptentrionem, ſic dictum a Pharo, ſive ſpecula & turri, quæ illic ad dirigendas naves extructa eſt. Secundum eſt *Pachynus*, *Capo di Paſſero*, ad meridiem. Tertium *Lilybæum*, *Capo di Marſala*, vel *di Boco*, ad occidentem.

In orientali latere occurrunt, *Pantagias* fluvius, *Megareus* ſinus, *Tapſus* peninſula, *Ortygia* inſula, *Plemmyrium* promontorium, *Helorus* fluvius, *Pachynum* promontorium.

In meridionali latere, a Pachyno, ſunt *Camarina* palus, *Geloi* campi; *Gela*, *Agragas*, *Selinus*, urbes, tum *Lilybæum* promontorium.

In ſeptentrionali latere, a Lilybæo, *Drepani portus*.

689. *Pantagiæ*) *Pantagias*, fluvius breviſſimus, nunc *Porcari*: cujus oſtia utrinque prærupto ſaxo etiam nunc includuntur, viginti ferme cubitos alto: hic tamen hybernis auctus torrentibus e Leontinis collibus, magnam ſecum ſaxorum copiam devehit ingenti murmure: unde Claudianus eum vocat l. 2. de raptu, v. 58. *ſaxa rotantem Pantagiam*: nomenque deducit Cluverius a πάντα *omnia*, & ἄγω *traho*: quamvis alii a πάταγος *fragor*.

*Megaroſque ſinus.*) Apud Ovid. *Megareos*. Sinus eſt hic a Tauro promontorio ad Tapſum peninſulam. In media ſinus ora, fuit urbs *Megare*, vel *Megaris*; a Megarenſibus Achajæ ſic appellata: prius *Hybla* dicta, ab *Hyblæis* collibus vicinis, thymi & mellis feracibus: jamdiu penitus exciſa.

*Tapſumque jacentem.*) Peninſula eſt, *Tapſus*, ſinum Megarenſem a meridie definiens, plana, æqua fluctibus, & iis quaſi ſepulta: unde forte nomen habet a θάπτω *ſepelio*: præcipue iſthmum habet humilem & anguſtum; quare inſula dicitur a Servio, & adhuc vocatur, *iſola delli Manghiſi*.

690. *Relegens errata retrorſum.*) Nempe Virgilius eorum opinionem ſequitur, qui putant Ulyſſem, e Lotophagorum terra, quæ *Meninx* inſula eſt, ad Syrtim Africæ minorem, per meridionale ac deinde orientale Siciliæ latus, ad montem Ætnam & ad Cyclopas veniſſe, Odyſſ. l. 9. Juxta quam opinionem, Achemeni-

Sicanio prætenta ſinu jacet inſula contra
Plemmyrium undoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc, Elidis amnem,
Occultas egiſſe vias ſubter mare; qui nunc
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur undis.
Juſſi numina magna loci veneramur: & inde
Exſupero præpingue ſolum ſtagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque ſaxa Pachyni
Radimus: & fatis numquam conceſſa moveri

Appa-

*Inſula jacet objecta ſinui Siculo, contra Plemmyrium undoſum: majores dedere* ipſi *nomen Ortygiam. Fama narrat Alpheum, Elidis fluvium, feciſſe* ſibi *ſecretum iter huc uſque ſub mari;* qui fluvius *nunc* exiens *per os tuum, o Arethuſa, miſcetur aquis Siculis. Adoramus magnos Deos regionis,* ut *juſſi* eramus: *& inde prætereo pingues terras Helori ſtagnantis. Inde radimus altas rupes & ſaxa procurrentia Pachyni: & procul videtur Camarina,* quam *fata numquam permiſerunt moveri,*

*& campi*

## N O T Æ.

menides viſa jam a ſe litora retro legit, ab orientali quippe latere ad meridionale navigans. At Cluverius ab illa opinione abhorret: probatque in Sicilia lib. 2. 17. Ulyſſem a Lotophagis ad Lilybæum promontorium Drepanumque navigaſſe: &, cum Cyclopes totam inſulam occuparent, Polyphemum illic in Eryce monte, non in Ætna, latuiſſe.

692. *Sicanio, &c.*) De hoc Siciliæ nomine ſupra v. 687. Syllabas habet ad arbitrium longas aut breves: legitur enim Ecl. 10. 4. *fluctus ſubterlabere Sicanos*. Hoc autem *Sicanio ſinu* ſignificat ſinum conſequentibus poſt Æneam temporibus, *Syracuſanum* dictum: cujus fauces ad ſeptentrionem inſidebat urbs ipſa *Syracuſæ*, ad meridiem *Plemmyrium* caſtellum in promontorio cognomine. Inter urbem & promontorium, inſula erat *Ortygia*, ponte quidem urbi juncta, urbis ipſa pars; magis autem a promontorio remota, & quaſi ſinui prætenta, ne laxius pateret. Urbs nunc *Saragoſa* dicitur, cujus Virgilius quare hic non meminerit, dicemus, verſ. 707. *Plemmyrium*, quod *vadoſum* ſignificat, a πλήμμυρις *maris inundatio*, nomen promontorio conveniens: nunc dicitur *maſſa d' Olviero*. Denique *Ortygia* inſula, juxta Diodorum l. 5. nomen inde habuit, quod ſit ſacra Dianæ, quæ, cum nata ſit in *Ortygia* Delo, de qua v. 124. ſoli natalis appellationem in illam tranſtulit.

694. *Alpheum fama eſt*) *Alpheus*, fluvius eſt Elidis, regionis in Peloponneſo. *Arethuſa* fons in occidentali Ortygiæ latere, in ſinum Syracuſanum erumpens, munitione & mole lapidum a mari disjunctus, ne fluctu totus operiatur; tanta dulciſſimarum aquarum copia, ut fluvium emittere ſtatim in ortu dicatur. Hunc porro fluvium arbitrabantur veteres ipſum eſſe Elidis Alpheum: qui, vel per ſubterraneos meatus, vel inter maris fluctus incorruptus, eo penetraret: idque vel inde certum volebant, quod ludis Olympicis, qui in Elide quinta quaque æſtate celebrabantur, victimarum ſordes in Alpheum projectæ, per os Arethuſæ Siculæ emergerent. Hoc figmentum explodit Strabo l. 6. Hinc fabuloſos Alphei & Arethuſæ Nymphæ amores vide Ecl. 10. 1. Nunc fons Arethuſa in ea inſula fere ignoratur, nempe multos in alveolos ad uſus opificum diviſus fuit; aut fluctibus ea litora, unde erumpebat, excedentibus, ex ipſo mari nunc erumpit; ubi nunc multæ ſunt ejuſmodi dulcis aquæ non longe a litore ſcaturigines. Ita Fazellus Dec. 1. lib. 4. 1. quocum recentiores conſentiunt.

697. *Juſſi numina magna, &c.*) Admoniti, vel tum ab Achemenide, vel prius ab Heleno. *Numina*, fortaſſe Dianæ, cui dicatam hanc inſulam fuiſſe ex Diodoro retulimus, v. 692.

698. *Stagnantis Helori.*) *Helorus*, paullo ſupra Pachynum promontorium, ad ſeptentrionem: fluvius amœniſſimus: in decurſu nunc dictus *Acellaro*; circa oſtium, *Abiſo*; qua parte ſtagni inſtar leniter fluens, hybernis præterea auctus imbribus more Nili vicinos in agros ſæpe reſtagnat: unde *ſtagnans* hic dicitur: tanta porro amœnitate atque ubertate, ut Ovidius Faſt. 4. 475. locum illum *Heloria Tempe* vocaverit. Fuit non procul urbs *Helorum*, & arx *Helorus*: utraque diruta.

699. *Saxa Pachyni.*) *Pachynus*, vel *Pachynum*: prima ſyllaba vulgo brevi, longa tamen apud Ovid. Metam. 13. 726. promontorium eſt meridionale Siciliæ, duorum fere milliarium ſpatio in mare projectum, in peninſulæ modum: quæ altis cautibus prærupta, ſexcentorum eſt paſſuum ambitu; cujus iſthmus, paſſuum admodum viginti, tumeſcente mari inſulæ ſpeciem præbet.

701. Ca-



Apparet Camarina procul, campique Geloi,
Immaniſque Gela, fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Agragas oſtentat maxima longe
Mœnia, magnanimum quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmoſa Selinus:
Et vada dura lego ſaxis Lilybeia cæcis.
Hinc Drepani me portus & illætabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempeſtatibus actus,

Heu!

*& campi Geloi, & ingens Gela, appellata de nomine fluvii. Inde altiſſimus Agragas, olim ferax generoſorum equorum, oſtendit eminus maximos muros. Te quoque prætereo faventibus ventis, o palmoſa Selinus; & trajicio vada Lilybeia, aſpera ſcopulis occultis. Inde portus Drepani & injucunda regio me excipit. Hic agitatus tot procellis maris,*

*heu!*

## N O T Æ.

701. *Camarina.*) *Palus*, verius *lacus*, cum e viginti fontibus erumpat: prope urbem cognominem, exſtructam a Syracuſanis, nunc omnino dirutam. Lacum medium, nunc *lago di Camarana*, fluvius *Hipparis* præterfluit, nunc *fiume di Camarana*. Dicitur *fatis numquam conceſſa moveri*: quia ex Suida, & veteribus Grammaticis, cum aliquando deficiente aqua peſtilentiam ex putore creaſſet, petiiſſentque Camarinenſes ab Apolline, num eam penitus exſiccarent, prohibuit Deus: quod tamen præter Dei juſſum cum feciſſent, morbus quidem exſtinctus eſt, at hoſtes per ſpatium paludis ingreſſi Camarinam urbem expugnarunt. Qua de re exſtat oraculum Apollinis hoc carmine conceptum in Anthol. l. 4. Μὴ κίνει Καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων: *Ne moveas Camarinam; immota enim melior.*

701. 702. *Geloi, Immaniſque Gela.*) *Gela* urbs olim ingens, unde *immanis* dicitur; & propriis regibus inſignis fuit, quibus frequens cum Syracuſanis bellum: a Rhodiis & Cretenſibus condita: ab Agrigentinorum tyranno Phintia tandem diruta: urbs *Gela* dicebatur; fluvius, unde ipſi nomen, *Gelas*, nunc *fiume di Terra nova*; populi *Geloi*, & *Gelenſes*. In voce *Gela* brevis ultima ſyllaba producitur ob ſequentem in *fluvio* geminam conſonantem.

703. *Agragas.*) Græcis, ὁ Ἀκράγας, Latinis *Agrigentum*, nunc *Gergenti*: ad fluvium cognominem, nunc *fiume di S. Biagio*; urbs olim in vertice rupis exſtructa a Gelenſibus.

704. *Generator equorum.*) Habemus ex Servio, qui Pindarum citat, Agrigentinos equos in Græciæ ludis nobiles fuiſſe: ex Diodoro l. 13. Exænetum Olympicis victorem curru urbem ingreſſum eſſe, bigis Agrigentinis comitantibus trecentis, albi coloris; tum ſepulcra victoribus equis magnifice interdum ibidem exſtructa.

705. *Palmoſa Selinus.*) A Megarenſibus Siculis condita, de quibus v. 689. Nunc plane diruta: diciturque locus, *terra di Pulici*: ad fluvium cognominem, hodie *Madiuni*. Nomen dedit σέλινον *apium*, Ital. *appio*; cujus adhuc ibidem, ut & palmarum agreſtium, ingens copia eſt.

706. *Saxis Lilybeia cæcis.*) *Lilybæum*, tertium Siciliæ promontorium, ad occidentem: planum quidem, ſed ad tria paſſuum millia excurrens in mare, aquis ad cubitorum trium altitudinem ſuperfuſis. Unde hic *ſaxis cæcis dura vada* dicuntur. Ibi olim urbs *Lilybæum*, cujus in ruinis urbs eſt hodie *Marſala*: a qua promontorium appellatur *capo di Marſala*, vel a Latino nomine corrupto *capo di Boco*. Græca vox [illegible], Ionice [illegible], unde Virgilius deduxit *Lilybeia* pro *Lilybæa*.

707. *Drepani me portus, &c.*) A Lilybæo in Boream deflectendo, portus hic occurrit capaciſſimus, ad radices *Erycis* montis, qui nunc eſt mons *S. Juliani*, & *Erycis* ibidem urbis: unde diu dictus eſt *portus Erycinorum*, ſive *Drepanum*, a litoris curvatura in modum *falcis*, quæ Græcis eſt δρέπανον. Hic Amilcar Carthaginenſis oppidum condidit, Eryce urbe deſtructa, anno primi belli Punici primo, U. C. circiter 480. quod oppidum nunc *Drepanum* eſt, ſive neutro plurali *Drepana*, vulgo *Trapani*.

Atque hic non abs re erit obſervare prudentiam Virgilii: qui, cum ſciret Punici belli & conditi Drepani recentem eſſe memoriam, quippe nondum annis ducentis, & quinquaginta diſtantem ab ætate ſua; cavit omnino, ne quam Æneas ſuus mentionem de *urbe* faceret, de *portu* tantum & *ora* locutus. Idem cavit in *Syracuſis* omittendis: cujus urbis cum eſſet maximum Romæ nomen, & celebratiſſima per Marcellum expugnatio; multi ejus originem noverant, ſciebantque ab Archia Corinthiiſque conditam, annis ab excidio Trojæ plus quadringentis. In cæteris vero, quarum obſcuriora initia, non veritus ſubtiliorum hominum ſupercilium, indulſit ali-

 quid

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Heu! genitorem, omnis curæ caſuſque levamen,
Amitto Anchiſen. Hic me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu! tantis nequicquam erepte periclis.
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.
Sic pater Æneas, intentis omnibus unus,
Fata renarrabat Divum, curſuſque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

*heu! amitto patrem Anchiſen, ſolatium omnium curarum & caſuum. Hic me deſeris, o pater optime, heu, fruſtra ſervate a tantis periculis. Nec vates Helenus, cum prænuntiaret aſpera plurima, mihi prædixerat hunc dolorem, neque ipſa Celæno.* Hoc fuit ipſi *extremum malum, hic terminus longæ navigationis. Hinc me profectum Dii applicuerunt ad veſtra litora. Sic pater Æneas, ſolus omnibus attentis, narrabat fata a Diis* ſibi impoſita, *& referebat errores* ſuos. *Denique ſiluit, & hic poſito fine* ſeceſſit *ad quietem.*

## N O T Æ.

quid rudiorum ſimplicitati, plebejis uſus & notis urbium nominibus. Sic *Megaridem* & *Tapſum* paſſus eſt ab Ænea commemorari: quamvis eadem prope, ac Syracuſæ, ætate eſſent. Sic ad *Camarinæ* urbis caſum alludi: quamvis annis centum ac triginta recentior Syracuſis, & Syracuſanorum colonia eſſet. Sic *Gelam* urbem laudari, annis poſt Syracuſas quadraginta quinque conditam a Cretenſibus & Rhodiis. *Agrigentum* quoque, Gelenſium opus; & *Selinuntem*, Megarenſium Siculorum. Quæ temporum ratio partim ex Strabone, partim ex Thucydide certiſſima eſt.

710. *Amitto Anchiſen.*) Verno tempore: ut patebit Æ. 5. 46. cum anniverſarios patri ludos celebrabit. De *Anchiſa* Æ. 1. 621. De *Heleno*, Æn. 2. 263. De *Celæno* & *Harpyis*, ſupra 211.

715. *Hinc me digreſſum, &c.*) E Drepani portu in vicinam Italiam ſolvens, tempeſtate ad litus Africæ rejectus eſt, ut vidimus Æ. 1. Idque contigit, æſtate poſt Trojæ excidium ſeptima, ut eſt Æn. 1. 759. Ita ut totos annos ſex jam errando conſumpſerit. Quamquam vix conſtat hæc tam longi temporis ratio: niſi dicatur per unum alterumve annum in Thracia, itemque in Creta perſtitiſſe ad condendas urbes: neque enim videtur aliis in locis moram feciſſe, niſi brevem.

# P. VIRGILII MARONIS
# ÆNEIDOS
## LIBER IV.

## ARGUMENTUM.

*DIDO amores in Æneam ſuos Annæ ſorori aperit, ejuſque conſilio animum adjicit ad nuptias. Juno, ut Æneam ab Italia deducat, agit cum Venere de conciliandis inter utrumque nuptiis. Æneas ac Dido venatum abeunt, ſubortaque Junonis artibus tempeſtate, con-*



*fugiunt in antrum: ibidemque falſum illud infauſtumque conjugium perficitur. Iarbus, Getulorum rex, Jovis Ammonis filius, Didonis procus, advenam ſibi præferri indignans, apud Jovem graviter queritur. Jupiter, & ejus precibus, & fatis jam urgentibus adductus, Mercurium ad Æneam mittit, qui eum abire in Italiam jubeat. Parat clam Æneas omnia ad navigationem neceſſaria: quod ſuſpicata Dido, precibus & lacrymis deterrere eum ab incepto, tum per ſe, tum per ſororem conatur. Æneas iterum a Mercurio in ſomnis admonitus, nocte intempeſta anchoras ſolvit. Dido doloris impatiens, exſtructam ſimulatione ſacri magici pyram conſcendens, ipſo Æneæ gladio ſibi vitam adimit.*

*Unus hic e libris omnibus plurimum artis habet ac ſuavitatis, motuſque animi tenerrimos quoſque ac violentiſſimos: præſertim in octo Didonis orationibus, quibus I. Sorori amorem aperit, v. 9. II. Diſſuadet Æneæ profectionem, v. 305. III. Eidem multa exprobrat, & multa comminatur, v. 365. IV. Sororem adhibet apud Æneam conciliatricem, v. 416. V. Deſperatis omnibus, ſpecie ſacri magici, moriendi conſilium ſorori diſſimulat, v. 478. VI. Secum ipſa noctu varia conſilia agitat, v. 534. VII. Fugientium Trojanorum aſpectu extremum furit, v. 590. VIII. Stricto enſe ſibi imminens in verba noviſſima erumpit, v. 651. Accuſant Virgilium aliqui, quod ex Argon. Apollonii lib. 4. multa decerpſerit: quos damnat Scaliger: neque convenit argumentum, niſi hoc uno, quod hoſpitem hic Dido, illic Medea ſuum ament. At nihil admodum, præter comparationes pauculas, inde excerptum eſt: qualia etiam nonnulla ex Calypſus & Ulyſſis amoribus Odyſſ. l. 5. tum ex Euripidis Medea & Hippolyto, & Catulli carmine de Pelei nuptiis excerpta ſunt.*

## N O T Æ.

*De ætate, familia, moribus* Didonis, locus hic eſt diſſerendi; quæ tria conſtat eſſe a Virgilio parum expreſſa fideliter.

I. DE ÆTATE. Male Virgilius Æneam Didoni æqualem fecit, cum ſit hæc illo tribus propemodum ſæculis recentior: quam temporis anticipationem *anachroniſmum* appellant. At nuper Marollius hac Virgilium culpa liberare conatus eſt ex fide fabuloſæ hiſtoriæ; atque in ejus familiæ gradibus hunc ordinem ſtatuit: ut caput ſit generis, I. *Inachus*, II. *Io*, ejus filia, III. Ex ea & Jove *Epaphus*, IV. Ex Epapho *Belus ſenior*, V. Ex Belo ſeniore *Agenor*, VI. Ex Agenore *Phœnix, Cadmus, Europa, &c.* Per quos familia multas in partes diviſa eſt. Et ex Phœnice quidem ortus putatur I. *Belus junior*, ſive *Methres*, & *Pliſthenes*. II. Ex Belo, *Pygmalion*, *Eliſa* ſive *Dido*, & *Anna*. Ex Pliſthene *Acerbas*, qui *Sicharbas* & *Sichæus* dicitur, conſobrinus & conjux Didonis: iique triplici tantum gradu ab Agenore diſſiti. Cujus ex altero filio Cadmo prodiit, I. *Polydorus*. II. Ex Polydoro *Labdacus*. III. Ex Labdaco *Laius*. IV. Ex Laio *Oedipus*. V. Ex Oedipo *Polynices* & *Eteocles*. VI. Ex Polynice *Therſandrus*, qui in equo Trojano cum aliis Græcorum ducibus incluſus dicitur. Cætera familiæ membra graduſque non attingo. Ex iis autem ipſis, quæ profert Marollius in rem ſuam, manifeſtum eſt Didonem, ſi non prætergreſſa eſt, annis centum & pluribus Trojanum eſſe excidium antegreſſam. Qui enim fiat, ut Dido, quæ tribus tantum gradibus diſtat a capite generis Agenore, cadat in ætatem illius Therſandri, qui totis ſeptem gradibus ab eodem capite diſtat? Quod vero addit Marollius, aliquot eſſe omiſſos in ſerie Didonis gradus, injuria temporum aut ſcriptorum, inde fit id ipſum quod volumus: nempe & incertam eſſe temporum illorum ſcriptorumque fidem; & ſtatui omnino non poſſe, quot omiſſi ſint gradus: an quatuor, ut ad Trojana tempora Dido perduci poſſit: an plures, ut ſi ſuperis placet, etiam ad Romana.

Porro ſi a fabulis ad hiſtoriam appellamus: conſtat Didonem, Troja multo poſteriorem, Roma paullo ſuperiorem eſſe, etſi intervalla illa temporum alii aliis majora definiant. Quippe a Carthagine condita ad Romam conditam numerantur a Vellejo anni 65. a Trogo & Juſtino 72. Colliguntur ex Epitome quinquageſima prima T. Livii 92. ex Solino 129. ex aliis apud Euſebium 140. Statuuntur ab exactiſſimis ætatis noſtræ chronographis, imprimiſque Labbeo, quem, quia rem adverſus Marollium accurate defendit, ſecuti ſumus, anni omnino 132. Cum autem ex Porcii Catonis exactiſſimis calculis apud Dionyſium Halicarnaſſeum, Roma diſtet ab excidio Trojano annis 432. quos reducit Labbeus ad 431. hinc facile patebit ſubductis numeris, quanta ſit ab illo excidio diſtantia Didonis & Carthaginis: nempe juxta nos annorum 296. juxta veteres, aut plurium aut paullo pauciorum. Atque hæc omnia nituntur graviſſimo Joſephi teſtimonio, qui l. 1 contra Appionem ſeriem deſcribit Tyriorum regum ex Menandro Epheſio & exactiſſimis Tyriorum annalibus. Ubi conſignatus eſt exceſſus Didonis e Phœnicia ad condendam Carthaginem anno Pygmalionis regis ſeptimo, qui in annum ab excidio Trojano 276. plane cadit.

At cum doceat Appianus fama circumferri,



UNIVERSIDAD AUTÓNOM
DIRECCIÓN GENERAL D

fundatam fuiſſe a Xoro & Carchedone Phœnicibus Carthaginem, annis ante excidium Trojæ 50. Et in Virgilio Æn. 1. v. 425. legamus de Carthagine: *Miratur molem Æneas, magalia quondam*. Tum v. 370. *Ingentia cernes mœnia, ſurgentemque novæ Carthaginis arcem; Mercatique ſolum facti de nomine Byrſam, &c.* Ex iis colligi poſſe exiſtimo, Carthaginis quidem *magalia*, caſaſque & initia quædam, annis ante excidium Trojæ 50. a Phœnicibus Xoro & Carchedone poſita eſſe. Tum annis ab excidio Trojæ 276. fugiſſe Didonem e Phœnicia: eoque fugam intendiſſe, ubi multis ante annis aliquos e Phœnicibus ſedem poſuiſſe audierat; hanc ſedem avectis e patria opibus muniviſſe; & ad magalia adjeciſſe arcem, quæ inde *Byrſa* dicta eſt, a *Boſra*, voce Hebraica, quæ *munitum locum* ſignificat: quam deinde vocem Græci, ob ſimilitudinem, fabulis & *corio* ſuo bubulo deformarunt. Eſt enim apud Græcos *βύρσα corium*. Sic arce munita vetus Carthago, nova facta eſt, concurrente cum antiquo fundatoris nomine Phœnicia voce *Carthaga*, quæ juxta Solinum c. 30 *civitatem novam* ſignificat. Atque ita Carthago perfecta eſt anno poſt fugam Didonis 20. Pygmalionis 27. a Troja capta 296. ante Romam 135. ante Chriſtum 888. mundi 3166.

II. DE FAMILIA. A Joſepho, ex certiſſimis monumentis Tyriorum, pater ponitur Didonis, Annæ, & Pygmalionis *Metginus*: qui vocatur a Teophylo Antiocheno *Metten*; avus *Badezorus*: proavus *Ithobalus*, ſacris in literis *Ethbaal* nuncupatus; qui occiſo rege *Phele*, regnum in familiam tranſtulit ſuam, ex antiqua *Abibali*, *Hirami*, & *Baleaſari* familia.

Ex his conjicio Virgilium hiſtoriæ Phœniciæ parum ſcientem, ut Didonem retro ad uſque Trojæ tempora removeret, e Græcorum fabulis antiqua nomina petiiſſe; vel, ſi Phœnicum literas attigerat, nominum aſperitate deterritum, ea mollioribus elementis leniiſſe. Sic *Beli* nomen & patri Didonis, & uni ex ejus majoribus dedit: haud dubie detruncatum ex *Abibalo, Baleaſaro, Ithobalo*. Tum *Acerbam*, ſeu *Sicharbam*, in *Sichæum* mollivit. Servius *Methrem* ſuum, quem ipſum eſſe Belum putat Didonis patrem, ex *Metgino* ſeu *Mettene*, vero Didonis patre, deformavit. Porro *Anna*, *Eliſa*, & *Dido*, Phœnicum vocabula ſunt. Anna enim eſt, *gratioſa*: Eliſa, *fortitudo viri*, ſeu *virago*: Dido, *dilecta*. Dubium autem eſt, utrum huic reginæ nomen prius inditum fuerit. Si conſuluntur interpretes, prius nomen Eliſæ: ſi vocis ſignificatio, Didonis prius fuit: & ex facti audacia, Eliſæ poſterius.

III. DE MORIBUS. Graviter quidem querentem de Virgilio Didonem inducit Auſonius Epig. 111. quod eam impudici amoris impatientia ac dolore mortem oppetiiſſe cecinerit, contra fidem hiſtoriæ: quæ rogum eam conſcendiſſe teſtatur, ne datam Sichæo primo conjugi fidem, novis cum Jarba Getuliæ rege nuptiis violaret. Atque ea quidem in re peccaſſe gravius Virgilium puto, ſi peccavit, quam in illa mutatione temporum.

Statuo itaque ſcientem ac volentem in hunc utrumque errorem lapſum eſſe Virgilium: eo conſilio, ut Punicis bellis, quibus nihil erat in hiſtoria Romana illuſtrius, in poemate etiam ſuo locum daret; mutuique inter utramque gentem odii cauſam aliquam afferret. Qua tamen in re non eum puto a poeticæ legibus receſſiſſe. Quanquam enim per eas cautum eſt, ne poeta temporum ordinem temere intervertat, in re nota præſertim atque inſigni, tum nequem niſi ſuis moribus coloribuſque depingat: lex tamen eſt omnium prima, *placere*. Quod ſi aſſequi ſperavit poſſe Virgilius apud ſuos, illa deformatione temporum atque morum (& verum aſſecutus eſt) omnino poetæ maximi partes implevit. Eſt autem certe aſſecutus, ſiquidem Ovidius paullo poſt hos Didonis amores transferre non dubitavit in Met. lib. 14. 77. idemque teſtatur, Triſt. 2. 1. 535.

*Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,*
*Quam non legitimo fœdere junctus amor.*

AT Regina gravi jamdudum ſaucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Mul-

INTERPRETATIO.

*Regina autem, jamdiu vulnerata gravi ſollicitudine, fovet plagam in venis, & abſumitur occulto igne.* *Multæ*

NOTÆ.

1. *At Regina.*) Pendet hoc initium ex ultimo libri tertii verſu: *Æneas conticuit tandem, factoque hic fine quievit: At Regina*, ex quo ipſum audivit, amore ſaucia non quievit, &c.

2. *Vulnus alit, &c.*) Hic videtur Amor ſolito habitu depingi: cæcus, ſagittis & face armatus: ſagittis *vulnus* intulit, face *ignem* accendit, cæcus *cæco* igne carpſit.

3. *Mul-*



Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum ſic unanimem alloquitur male ſana ſororem:
Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?
Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quem ſeſe ore ferens! quam forti pectore & armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhauſta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque ſederet,
Ne cui me vinclo vellem ſociare jugali,
Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertæſum thalami tædæque fuiſſet;
Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.
Anna, fatebor enim, miſeri poſt fata Sichæi
Conjugis, & ſparſos fraterna cæde Penates,
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labentem
Impulit: agnoſco veteris veſtigia flammæ.

Sed

*Multæ virtutes Æneæ, & multa gloria* generis *redit in mentem: vultus* ejus *& ſermo hærent impreſſi animo, & hæc cura non permittit tranquillam quietem corpori. Poſtera Aurora illuſtrabat terras luce Solis, & expulerat e cælo humidas tenebras; cum ſic male ſana loquitur ad concordem ſororem: Anna ſoror, quæ inſomnia terrent me dubiam? quis hic novus hoſpes venit in regionem noſtram? qualem ſe ſpecie exhibens! quam generoſis animis & factis! Certe credo hunc eſſe prolem Deorum, nec temere credo: metus prodit animos ignobiles. Heu! quibus fatis fuit ille agitatus! quæ bella confecta narrabat! Si non maneret mihi conſtitutum & immutabile id propoſitum, ut nolim me ulli conjungere per nexum conjugalem, ex quo primus amor fefellit me deceptam morte Sichæi; ſi non tæderet me lecti & facis, fortaſſe poſſem cadere in hoc ſolum delictum. Nam fatebor, Anna, poſt mortem miſeri mariti Sichæi, & Deos infectos cæde a fratre facta, ſolus Æneas movit ſenſus meos, & impulit animum vacillantem: animadverto ſigna veteris amoris.* *Sed*

NOTÆ.

3. *Multa viri virtus, &c.*) Quatuor amoris cauſæ. Virtus: *multa viri virtus*. Nobilitas; *gentis honos*. Pulchritudo; *infixi pectore vultus*. Eloquentia; *verbaque*. Quas eaſdem cauſas iterum enumerat v. 10.

6. *Phœbea lampade.*) Tapinoſis, ſive rei magnæ expoſitio humilior, *Solis*, per *lampada*: ſimilis huic, qua *mare* appellat *gurgitem*, Æn. 1. 122. Imo auſus eſt dicere Lucret. l. 6. 1196. *Aut etiam nona reddebant lampade vitam*, pro *nona die*.

9. *Anna ſoror, quæ me, &c.*) Oratio plane ad ejus ingenium conformata, quæ primum e ſeveris moribus ad amorem deflectit. Quatuor habet partes. I. Admiratur Æneæ pulchritudinem, virtutem, nobilitatem, res præclare geſtas. II. Proponit ſibi cauſas, quæ ab ejus amore animum avertant: nempe viduitatis propoſitum, primi conjugii calamitates, voluptatum faſtidium. III. Fatetur tamen ſenſus ſuos, non animum, aliquatenus inflexos. IV. Denique alienam ab amore voluntatem æternam fore pollicetur: Quod tamen propoſitum invito animo fieri teſtantur effuſæ in ſinum lacrymæ.

*Inſomnia*, (ἐνύπνια, ea quæ in ſomnis apparent, ſomnia, ſimulacra.

17. *Deceptam morte.*) Primo nupſerat Sichæo, qui a Pygmalione Didonis fratre occiſus fuerat, Æn. 1. 347.

18. *Tædæque.*) Facis e *tæda* arbore, e picearum genere, pro nuptiis ſumitur; quia præferebatur novæ uxori, in mariti domum deducendæ. De illo more nuptiali, Ecl. 8. 29.

19. *Culpæ.*) Quia ſecundæ nuptiæ adjunctam infamiæ notam habuerunt, propter ſuſpicionem intemperantiæ: unde, juxta Servium, apud Romanos repellebantur a ſacerdotio bis nuptæ: juxta Tacitum, apud Germanos ſecundæ nuptiæ lege prohibebantur.

21. *Penates.*) Vel pro domo ſumuntur: vel potius pro Diis ipſis domeſticis: nam Æn. 1. 353. occiſus eſt Sichæus *ante aras*. De *Penatibus*, Æn. 2. 717. *Fraterna cæde.*) Non qua frater occiſus eſt, ſed qua vir Sichæus a Didonis fratre Pygmalione, Tyri rege, occiſus eſt.

23. *Veteris veſtigia flammæ.*) Senſus duplex eſſe poteſt. Primus obvius; *Agnoſco veſtigia vete-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, pudor, quam te violo, aut tua jura reſolvo.
Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.
Sic effata, ſinum lacrymis implevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta ſorori,
Solane perpetua mœrens carpere juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem, aut manes credis curare ſepultos?
Eſto: ægram nulli quondam flexere mariti;
Non Libyæ, non ante Tyro: deſpectus Iarbas,
Ductoreſque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem quorum conſederis arvis?

Hinc

*Sed cupio, ut vel terra intima mihi ante aperiatur, vel pater omnipotens fulmine demittat me ad umbras, pallidas umbras inferorum & noctem profundam, antequam te lædam, o pudicitia, & frangam tua jura. Ille Sichæus, qui me primus ſociavit ſibi, abſtulit meos amores: ille habeat eos ſecum, & ſervet in tumulo. Sic locuta implevit gremium lacrymis erumpentibus. Anna reſpondet: O ſoror cara ſorori magis, quam vita, an ſola conſumeris dolens per totam juventutem? nec experieris jucundos liberos, nec dona Veneris? Putaſne cinerem aut umbras ſepultas id curare? Ita ſit: nulli proci antea commoverant dolentem te; nec in Libya, nec prius Tyri: contemptus eſt a te Iarbas, aliique duces, quos regio Africana abundans victoriis paſcit: an etiam reſiſtes grato amori? Nec venit tibi in mentem, quorum in agris conſiſteris?*

Hinc

## NOTÆ.

*veteris amoris in Sichæum, qui me ab Æneæ amore deterret.* Secundus abſtruſior, at convenientior eſt: *Agnoſco veſtigia conjugalis amoris, quo primum olim in Sichæum, nunc iterum in Æneam feror.* De *Erebo*, pro inferis, Georg. 4. 471.

27. *Ante pudor, quam, &c.* Redundat illud *ante.* Sic enim eſt, *tellus prius ima dehiſcat, ante, pudor, quam te violo.* Sic apud Salluſtium in Catilina. *Priuſquam legiones ſcriberentur, multa ante capere.*

*Violo .... reſolvo.*) Hæc eſt antiqua lectio, quam Apronianus & MSS. plurimi confirmant; cum vulgo legatur *violem, reſolvam.*

31. *O luce magis dilecta, &c.*) Annæ oratio, animum eo, quo propenſum videt, ſcite impellentis. Duas habet partes. I. Perſuadet nuptias 1. a delectabili, ut ajunt: cui addit poſthabendam eſſe memoriam Sichæi, cum nullus inſit ſenſus mortuis: poſthabendum quoque propoſitum viduitatis, quæ ideo tantum chara fuit, quia nullus procorum charior. 2. Ab utili: ad defenſionem & gloriam novæ urbis ac gentis, cui hanc a Diis opem præſtitam putat. II. Modum aſſignat perficiendi conſilii, ſacrificia, moram hoſpitis, *&c.*

32. *Mœrens carpere juventa.* Tranſlatio eſt a floribus, qui *carpuntur* manu, atque ita deſloreſcunt, quaſi dicat: *Solane tota juventa triſtis conſumeris ac deſloreſces?*

36. *Libyæ.*) Aliquando pro tota Africa ſumitur: hic pro parte Africæ, quæ Ægyptum proxime attingit. Georg. 1. 241. De *Tyro*, Æn. 1. 16.

*Non Libyæ, non ante Tyro.*) Aliqui nulla interpunctione, continuo ordine, ſic legunt: *Non Libyæ, non ante Tyro deſpectus Iarbas:* ut ſenſus ſit, Jarbam & in Libya deſpectum fuiſſe a Didone, & prius Tyri. Sed cum nulla auctoritate conſtet Didonem, ante adventum in Libyam, ab Jarba petitam fuiſſe, utor interpunctione ſolertiorum interpretum, unde ſenſum iſtum elicio, Didonem, ut in Lybya, ſic Tyri multos deſpexiſſe procos. Nec vero mirum eſt *Libyæ* dictum eſſe pro *in Libya*; & *Tyro*, ſive *in Tyro*, pro *Tyri*; ſiquidem dixit Cicero, *Siciliæ cum eſſem*; & *in Alexandria*: pro, *in Sicilia*, & *Alexandriæ*.

*Iarbas.*) Jovis & Garamantidis Nymphæ filius, aut Mauruſiorum, aut Maxitanorum, aut Getulorum, fortaſſe totius Africani litoris rex: cum dicatur deinde v. 198. filius Ammonis Jovis, qui eſt in extrema orientali parte, juxta Ægyptum. Is cum fraude bovini corii deceptus Carthaginem a Didone ſtructam videret, ejus nuptias ſub belli denunciatione petiit: ad quas cum cives repugnantem adigerent, trium menſium petito ſpatio, pyra in ultima urbis parte extructa, veluti placatura viri prioris manes, multis hoſtiis cæſis pyram conſcendit: atq; ita ad populum reſpiciens, ituram ſe ad virum, ſicut præceperant, dixit, vitamque gladio finivit.



Hinc Getulæ urbes, genus inſuperabile bello,
Et Numidæ infræni cingunt, & inhoſpita Syrtis;
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcæi. Quid bella Tyro ſurgentia dicam,
Germanique minas?
Diis equidem auſpicibus reor, & Junone ſecunda,
Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.
Quam tu urbem, ſoror, hanc cernes! quæ ſurgere regna
Conjugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica ſe quantis attollet gloria rebus!
Tu modo poſce Deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio, cauſaſque innecte morandi:
Dum pelago deſævit hyems, & aquoſus Orion,
Quaſſatæque rates, & non tractabile cœlum.
His dictis incenſum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, ſolviſque pudorem.

Prin-

*Hinc urbes Getulæ, gens bello inſuperabilis, & Numidæ indomiti, & Syrtis inhoſpitalis nos cingunt: hinc regio ſiccitate ſolitaria, & Barcæi furioſi. Quid dicam de bellis imminentibus ab urbe Tyro, & de minis fratris? Certe exiſtimo naves Iliacas Diis auctoribus, & Junone propitia, huc vento direxiſſe curſum. Qualem tu videbis hanc urbem, o ſoror, qualia regna creſcere, tali connubio! quantis factis eriget ſe Pœnorum gloria, adjuvantibus armis Trojanorum. Tantummodo tu pete a Diis favorem, & ſacrificiis perfectis protrahe tempus hoſpitii, & ſuggere iis cauſas manendi: dum hyems & pluvius Orion furit mari, & naves fractæ erunt, & aer erit intolerabilis. His verbis incendit amore animum jam ardentem, & ſpem attulit menti incertæ, & abſtulit verecundiam.*

Primo

## NOTÆ.

nivit. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea culta eſt. Ita fere Juſtinus lib. 18. 6. & alii.

37. *Africa terra, &c.*) Africana. Sic Tibullus, 1. 9. 33. *Terra Campania*: Catullus 40. 17. *Terra Celtiberia*. De *Africa* Ecl. 1. 65.

38. *Pugnabis amori.*) Verba contentionis junguntur ſæpe dativo caſui, Ecl. 5. 8. *Tibi certet Amyntas*, Georg. 2. 99. *Cui non certaverit illa*, &c.

40. *Getulæ urbes, &c.*) *Getuli* ad meridiem Carthaginis ſiti erant: *Numidæ* ad occidentem, qui & *Nomades*, ob feram ac paſtoralem vitam, eſt enim νομὴ *paſtus*. *Syrtis* utraque, major & minor, Libyci maris ſinus, arenarum aggeſtionibus infeſti, ad orientem: de iis Æn. 1. 115. *Barcæi*, ſive Barcitæ; ultra Syrtes ad orientem majoris; nunc regnum *Barca*.

44. *Germanique minas.*) Teſtatur Juſtinus, Pygmalionem Tyri regem, cognita ſororis fuga, impio bello perſequi fugientem paraviſſe, ſed matris precibus & Deorum minis victum quieviſſe.

45. *Junone ſecunda.*) Quæ & præſes eſt nuptiarum, & Pœnorum cuſtos, Æn. 1. 19. & infra, v. 59.

50. *Veniam.*) Vel reipſa *veniam*, quia conjugii deſiderium vocavit *culpam*, v. 19. Vel *favorem*, quem ſæpe *venia* ſignificat, Æn. 1. 523.

*Sacris litatis.*) Non factis tantum, ſed feliciter factis: hoc enim eſt *litare*, ut diximus Æn. 2. 116. Et jam addo locum e Cicerone de Divin. 2. 38. *Quid? cum pluribus Diis immolatur: qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur?* Dictum eſt autem *litare ſacra*, ut a Propert. l. 4. 1. 24. *Litare exta*; a Suetonio *litare victimas*.

52. *Deſævit.*) Duo ſignificat: & valde *ſævit*, & *ſævire ceſſat*. Cerdanus affirmat ſemper ceſſationem ſignificare; nullumque exemplum eſſe, quod non explicet hunc in modum. Hoc ergo explicet ex Æn. 10. 569. *Sic toto Æneas deſævit in æquore victor, ut ſemel intepuit mucro*: ubi certe affirmat augetque, non minuit. At minuit & ceſſationem notat apud Lucanum, 5. 303. *Nec dum deſæviat ira, expectat*. Hic affirmat, ſiquidem affirmant cætera: *Quaſſatæque rates, & non tractabile cœlum*. Porro certiſſimum puto, tempus præſens hic poſitum eſſe pro futuro; *deſævit*, pro *deſæviet*: hoc ſenſu: *detine hic Æneam, quamdiu ſæviet hyems*. Patet enim ex v. 6. hoc inſtitutum inter Annam Didonemque colloquium, poſtridie quam Æneas advenerat: tunc autem æſtas fuit, ut probavimus Æn. 1. 539. Firmabit interpretationem meam geminus verſus, alter ex hoc eodem libro v. 121. *Dum trepidant alæ*, id eſt, *trepidabunt*: alter e Georg. l. 4. v. 84. *Dum gravis aut hos, aut hos verſa fuga victor dare terga coegit*, id eſt, *dum cogat*, *donec coegerit*. De *Orione*, Æn. 3. 517. Æn. 1. 539.

56. *Delubra.*) Templa de iis Æn. 2. 225.

57. *Bidentes*) Oves Gellius diſputat ita dici, quaſi *biennes*, duorum annorum. Feſtus, quod inferiores ac ſuperiores haberent

den-

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo:
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora Deum pingues ſpatiatur ad aras,
Inſtauratque diem donis, pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.
Heu, vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens. Qualis conjecta cerva ſagitta
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius; illa fuga ſilvas ſaltuſque peragrat
Dictæos: hæret lateri letalis arundo.
Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit,
Sidoniaſque oſtentat opes, urbemque paratam.
In-

*Primo petunt templa, & ad altaria petunt favorem* Deorum; *immolant juxta ritum oves ſelectas Cereri legum inventrici, & Phœbo, & Baccho patri; præ omnibus Junoni, cui curæ ſunt nexus conjugales. Ipſa formoſiſſima Dido, tenens manu dextera pateram, fundit* vinum *inter media cornua vaccæ candidæ: aut incedit circa pinguia altaria ante imagines Deorum, & renovat ſacrificia* per *diem, & interna pectoribus victimarum apertis, conſulit viſcera* earum *palpitantia. Heu, ignaræ mentes vatum! quid vota, quid templa proſunt amanti? Interim gratus ignis abſumit medullas, & occulta plaga durat ſub corde. Uritur miſera Dido, & inſana errat* per *totam urbem. Qualis cerva* poſt *conjectam ſagittam, quam paſtor perſequens armis perfodit improvidam procul in ſilvis Creticis, & reliquit ignarus volatile ferrum* in vulnere; *illa* cerva *percurrit fugiens ſilvas, & ſaltus* Dictæos: *mortifera ſagitta hæret lateri.* Dido *nunc ducit Æneam ſecum per media munimenta, & oſtentat Tyrias divitias, & urbem paratam.*
*Inci-*

NOTÆ.

dentes, unde & *ambidentes* etiam vocabantur, quaſi utrinque dentatæ. Iſidorus, quod inter dentes octo *binos* haberent cæteris eminentiores. Tales autem oves exigebantur ad ſacrificia.

58. *Legiferæ Cereri.*) Ceres Saturni & Opis filia, Proſerpinæ mater ex Jove: quæ fruges & culturam agrorum invenit: ideoque jura & leges, quæ de agrorum diviſione natæ ſunt: unde ſacra ejus apud Athenienſes Θεσμοφόρια appellabantur, a θεσμὸς lex & φέρω fero. De *Phœbo*, Ecl. 3. 62. De *Lyæo*, Baccho, Georg. 1. 229.

59. *Junoni, &c.*) Hæc Saturni & Opis filia, Jovis & ſoror & conjux: quia nuptiis præerat, ideo Græcis dicebatur Ζυγία Romanis *Juga*, a *jugo*, ſive a *jungendis* conjugibus: nam in nuptiis, ſi Servio & Iſidoro fides eſt, in ſymbolum conjunctionis, jugum reipſa imponebatur contrahentibus: ſi aliis credimus, vitta tantum ſive tænia ſimul ambo ligabantur.

61. *Candentis vaccæ.*) Alluſum putat Naſcimbænus ad legem Numæ Romanorum regis, quam refert Plutarchus: ne mulieres ab obitu conjugis ad uſque menſes decem nuptias repeterent: quæ autem infra id tempus vellent repetere, vaccam prægnantem ſacrificarent. Illa porro vini effuſio *libatio* eſt, Æn. 1. 740.

62. *Spatiatur ad aras.*) Etiam more Romano, matronæ ante aras, faculas tenentes, & geſtu gravi, ſaltationemque ſeveram imitantes, movebantur & ferebantur: quod Horatium intellexiſſe puto, cum in Arte ſcribit: *Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus.* Hæc Turnebus, l. 23. 3.

63. *Inſtaurat.*) Frequenter repetit ac renovat ſacrificia. Verbum in ea re ſolemne.

64. *Spirantia conſulit exta*) *Extiſpicium* eſt: quo *exta*, id eſt, victimarum interiora, quæ maxime *extant*, cor, pulmo, lien, jecur, celeriter extrahuntur, & adhuc ſpirantia ac palpitantia inſpiciuntur, antequam frigeſcant, habeturque inde futuri cognitio.

70. *Creſſia.*) Cretica, in Creta inſula, *Candia*, de qua Æn. 3. 104. cujus in parte orientali mons eſt *Dicte*.

81. *Suadentque cadentia ſidera ſomnos.*) Non initium noctis, ut vulgo putatur, ſed exitum
intel-



Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.
Nunc eadem labente die convivia quærit,
Iliacoſque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Poſt, ubi digreſſi, lumenque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos:
Sola domo mœret vacua, ſtratiſque relictis
Incubat: illum abſens abſentem auditque videtque:
Aut gremio Aſcanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem.
Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma juventus
Exercet, portuſve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
Quam ſimul ac tali perſenſit peſte teneri
Cara Jovis conjux, nec famam obſtare furori,
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus; magnum & memorabile nomen:
Una dolo Divum ſi fœmina victa duorum eſt.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia noſtra,
Suſpe-

*Incipit loqui, & hæret in media voce. Nunc die occidente repetit eaſdem epulas, & inſana poſtulat rurſus audire Trojanos caſus, & ſuſpenſa eſt rurſus ab ore narrantis. Deinde, cum exierunt, & viciſſim Luna obſcurior ſubducit lucem* ſuam, *& ſtellæ decedentes cogunt ad ſomnum: ſola dolet* in *domo vacua, & incumbit lecto relicto ab Ænea: aſpicit auditque abſens abſentem illum: aut* tenet *in ſinu Aſcanium, capta ſimilitudine patris* ejus, ut videat *an poſſit fallere amorem infandum. Turres inceptæ non attolluntur, juventus non exercetur armis, nec præparat portus,* & *tuta munimenta ad bellum: opera manent interrupta, & eminentiæ magnæ murorum, & machinæ eductæ* ad *cœlum. Statim atque dilecta uxor Jovis cognovit hanc tali veneno imbutam* eſſe, *nec famam obſiſtere* ejus *inſaniæ, Juno compellat Venerem talibus verbis: Nempe reportatis pulchram laudem, & magna ſpolia, & tu, & filius tuus; magnam & memorabilem gloriam: quod una mulier ſuperata ſit fraude duorum Deorum. Nec vero me latet, te timuiſſe noſtros muros,*
*& ſu-*

NOTÆ.

intellige, ut & Æn. 2. 9. Duo enim hic diſtinguit tempora: unum, quo Dido repetit convivia, ſcilicet *labente die*; & hoc eſt initium noctis: alterum, quo mœret domo vacua, nempe, cum *viciſſim luna premit lumen*; & hic exitus noctis. Nec te decipiat, quod dicantur tunc *ſuadere cadentia ſidera ſomnos*, quod videtur in initia noctis aptius convenire: immo plane in exitum convenit; tunc enim proprie *cadunt ſidera*, noctis initio *ſurgunt*: tunc etiam ſomnus mollior & facilior, & iis, qui noctu vigilavere, omnino neceſſarius eſt.

82. *Vacua.*) Silente, cæteris ad ſomnum digreſſis.

82. *Stratis relictis.*) Lectis, non *conjugalibus*, nondum enim conjugium coaluerat; ſed *epularibus*, qualis ille, de quo Æn. 2. 2. *Inde toro pater Æneas, &c.*

85. *Si fallere poſſit amorem.*) Eadem forma Æn. 6. 78. *Magnum ſi pectore poſſit excuſſiſſe Deum.*

88. *Minæ murorum.*) Contendunt cum Turnebo plerique omnes *minas* eſſe partes altiſſimas murorum, pinnas feneſtratas, vel quia inde propugnatores hoſtibus *minantur*, juxta Turnebum; vel quia partes illæ maxime *eminent*, juxta Hortenſium. Sed quia id auctoritatibus firmant ſequioris ſæculi ſcriptorum, Rufini, Ammiani, vix fidem habeo, ſuſpicorque *minas* dici non de muris tantum, ſed etiam de celſis quibuslibet acervis, ac molibus imperfectis, quæ ruinam videntur *minari*, aut certe ipſo aſpectu terrent. Juvant conjecturam hic, *opera imperfecta.*

89. *Machina.*) Sunt qui pro ædificiis ſumant: ego pro machinis illis, quæ ad ſubvehendos lapides, attollendamque molem ædificii eriguntur.

91. *Nec famam obſtare furori.*) Nec famæ curam ac ſtudium obſtare amori ardentiſſimo, qui ſæpe in furorem accenditur. *Saturnia*, Juno, Saturni & Opis filia. De *Venere*, Æn. 1. 260. De ejus puero *Cupidine*, Æn. 1. 661.

96. *Veritam te mœnia noſtra.*) Et vero Venus Æ. 1. 675. ideo ſub Aſcanii habitu Cupidinem Didoni obtulit, qui eam in amorem Æneæ illiceret: ne Juno, Carthagini propitia, Trojanis infeſta, hoc hoſpitio adverſus eos abuteretur: *Vereor quo ſe Junonia vertant hoſpitia.* De *Hymenæo* Deo, pro nuptiis, Georg. 3. 60.

 102. *Pa-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam pactoſque hymenæos
Exercemus? habes, tota quod mente petiſti:
Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribuſque regamus
Auſpiciis: liceat Phrygio ſervire marito,
Dotaleſque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra eſt ingreſſa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna ſequatur.
Sed fatis incerta feror: ſi Jupiter unam
Eſſe velit Tyriis urbem, Trojaque profectis,
Miſcerive probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux: tibi fas animum tentare precando.
Perge, ſequar. Tum ſic excepit regia Juno:
Mecum erit iſte labor: nunc qua ratione, quod inſtat,
Confieri poſſit, paucis, adverte, docebo.

Vena-

*& ſuſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ. Sed quis erit finis? aut quo jam* tendimus *tanta contentione? Quin potius facimus pacem æternam, & firmas nuptias? obtines quod quæſiviſti toto animo: uritur amans Dido, & haurit per oſſa amorem. Gubernemus igitur hanc gentem communem, & æquali poteſtate: liceat obedire Phrygio marito, & tradere in manum tuam Tyrios* quaſi *dotem. Contra Venus ſic cœpit* loqui *illi:* (*nam agnovit* illam *locutam eſſe ficto conſilio, ut abduceret imperium* ab Italia ad *Africanam terram.*) *Quis ſtultus recuſet talia? aut malit tecum diſceptare bello? dummodo ſors promoveat conſilium, quod ſuggeris. Sed fatis rapior dubia: utrum Jupiter velit eandem urbem eſſe Tyriis, &* iis, qui *venerunt Troja; aut approbet confundi nationes, aut nuptias ſociari. Tu es* ejus *uxor, tibi facile* eſt *ſollicitare precibus mentem* ejus. *Perge, ſequar. Tum ſic reſpondit Juno regina: Mea erit illa cura: jam attende, paucis* verbis *explicabo, quo modo* id *quod imminet, poſſit perfici.*

*Æneas*

NOTÆ.

102. *Paribus Auſpiciis.*) Tranſlata dictio e comitiis, ubi creabantur conſules captato pariter volatu avium, quod proprie *auſpicium* eſt.

103. *Liceat Phrygio ſervire marito, &c.*) *Liceat*, me ac Didonem; Deam nempe, Reginamque; ſervire *Phrygio*, id eſt exuli, & ſervo, quod acerbe ac maligne dictum eſt: erant enim Phryges Trojani tum exules, & univerſim tota gens nota ſervitutis aliqua infamis: ex ea enim ſervi ac mancipia vulgo petebantur, ut notat Athenæus, & paſſim apud ſcriptores videre eſt. De *Phryges*, Æn. 1. 385.

104. *Dotaleſque.*) Dos eſt patrimonium uxoris, & quicquid viro cum uxore datur.

106. *Quo regnum Italiæ, &c.*) Æn. 1. 23. *Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces: Hinc populum late regem .. venturum*: nempe Romanum, Italum: cujus parentem Æneam ideo mari Juno inſequebatur, ejeceratque vi tempeſtatis ad litus Africæ, ut eum a fundando in Italia regno averteret, ac debitum ejus fatis orbis imperium in Africa ſtabiliret.

110. *Fatis incerta feror, ſi*) Pro *an*: ita ſupra v. 85. *Si fallere poſſit amorem*; id eſt, ut videat *an fallere poſſit amorem.*

116. *Confieri.*) Balbus Ciceroni, in Epiſt. ad Atticum, l. 9. 10. *Ut per te res tota conſieret.* Cæſar de bello Gall. l. 7. *Poſteaquam id difficilius confieri animadvertit.*

119. *Titan.*) Solis nomen: Refert Gyraldus ex antiquis fabularum auctoribus, *Titeam*, quæ *Terra* dicta etiam eſt, e *Cœlo* genuiſſe *Titanas*; quorum unus fuit *Hyperion*, qui ex ſorore *Baſilea* ſuſcepit *Solem* & *Lunam*. Unde Sol *Titan* dictus eſt gentili nomine. Omnia quippe incerta in fabulis.

121. *Trepidant alæ.*) *Trepidant*: non ſemper eſt, *timent*, ſed aliquando *feſtinant*, ut hic, & Æn. 9. 114. *Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves, neve armate manus*: id eſt, *ne feſtinate*, prohibet enim defendi. *Alæ.*) Idem ſunt in equeſtri, quod in acie pedeſtri *cornua*: ſic dictæ, quia equeſtres turmæ pedeſtres copias quaſi *alis* tegunt. Et venatorum ſpecies quatuor profert Joannes Scoppa e veteri fragmento, *inveſtigatores, indicatores, inſidiatores*, & *alatos*, qui equo feras in canes urgent.

*Indagine cingunt.*) *Indago*, juxta Servium, eſt ipſa ferarum inquiſitio. juxta Hortenſium, ſunt canes ferarum indagatores atque inquiſito-



Venatum Æneas, unaque miſerrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſque retexerit orbem.
His ego nigrantem commiſta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, ſaltuſque indagine cingunt,
Deſuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, & nocte tegentur opaca.
Speluncam Dido, dux & Trojanus eamdem
Devenient: adero, &, tua ſi mihi certa voluntas,
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non adverſata petenti
Annuit, atque dolis riſit Cytherea repertis.
Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit.
It portis jubare exorto delecta juventus.
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant: oſtroque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur, magna ſtipante caterva,

Sido-

*Æneas & miſerrima Dido parant ire venatum in ſilvam, quando Sol craſtinus primo extulerit ſe orientem, & luce detexerit mundum. Ego, dum equites current, & claudent ſilvas retibus, deſuper immittam obſcuram nubem mixta grandine, & commovebo fulmine totum aerem: diſpergentur comites, & occultabuntur denſis tenebris. Dido & dux Trojanus pervenient* ad *idem antrum: præſens ero, & ſi tuus conſenſus mihi certus eſt, ſociabo* illam *firmo conjugio & addicam* Æneæ *propriam. Hic erit Hymen. Non obſiſtens petenti Venus annuit, & riſit ob fraudem repertam* a Junone. *Interim Aurora ſurgens deſeruit Oceanum. Luce orta juventus electa exit e portis.* Adſunt *retia ſubtilia, plagæ, haſtilia lata cuſpide, & equites Maſſyli, & virtus odoratrix canum, erumpunt. Primi Carthaginenſium expectant ad portas reginam tardantem in cubiculo: ſtatque equus ornatus auro & purpura, & acer mandit frænum ſpumans: Denique procedit comitante magna turba,*

*cincta*

NOTÆ.

ſitores. Juxta Budæum, quem ſequuntur plerique omnes, eſt retium ac plagarum ſeries in perticas ſublata captandis feris. Facit pro Budæo quod *indago*, ut plurimum, jungitur cum verbis *cingendi, includendi*. Facit pro Hortenſio nomen ipſum *indaginis*, quod in canes melius cadit: tum illud Georg. 1. 140. *Canibus circumdare ſaltus*: tum illud e Livio l. 7. *Cum præmiſſus eques velut indagine diſſipatos Samnites ageret*, quod canibus longe convenientius eſt. Hinc ſuſpenſus hæreo de utroque quid ſtatuam.

*Trepidant . . . cingunt.*) Certe hic tempus præſens eſt pro futuro, quod jam notavimus, verſ. 52.

127. *Hymenæus.*) Deus nuptiarum præſes, Georg. 3. 60. *Cytherea*, Venus, Æn. 1. 261. *Aurora*, Georg. 1. 249.

130. *Jubare exorto.*) Primum diluculum notat: nam *Jubar*, juxta Varronem, lib. 6. de l. L. *dicitur ſtella Lucifer, quæ in ſummo habet diffuſum lumen, ut leo in capite jubam*. A quibuſdam etiam pro Sole ſumitur, & generatim pro rerum quarumlibet ſplendore: Stat. Theb. 9. 699. *Et pictum gemmis galeæ jubar.*

131. *Retia rara, plagæ, &c.*) Venatoria inſtrumenta. *Retia rara*, caſſes minus denſo filo contexti. *Plagæ*; vel majora retia juxta Turnebum; vel, juxta Servium, funes quibus retia tenduntur circa imam ſummamque partem. *Venabula*, tela, ſive haſtæ breviores, ferro latiore.

132. *Maſſyli.*) Gens Africana, admodum incerti ſitus, a Virgilio ponitur ad occidentem Carthaginis, nempe ad oceani fines, ut videbitur v. 483.

*Odora canum vis.*) *Odoratrix*, nam *odora* proprie eſt, quæ odorem ex ſe emittit; *odoratrix* vero, quæ percipit.

*Canum vis.*) Vel *copia & multitudo*: ut apud Cicer. de Aruſp. reſponſis, *Vis innumerabilis ſervorum*. Vel *facultas odorandi*, ut apud eundem de Divin. 2. 35. *vis cordis ad vivendum*, & 37. *vis quædam ſentiens*. Vel *canes ipſi*: Græco more, ut Homerus dixit Iliad. 3. 105. πριάμοιο βίην, *Priami vim*, pro ipſo *Priamo*.

133. *Cunctantem.*) Scilicet placendi ſtudio; ex iis ſunt mulieribus, de quibus Terent. Heaut. A. 2. S. 2. 11. *Dum comuntur, annus eſt*. De *oſtro*, purpura, Georg. 2. 506.

137. *Sidoniam picto chlamydem limbo.*) *Sidoniam*, explico purpuream, a Sidone, urbe

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Necnon & Phrygii comites, & lætus Iulus
Incedunt: ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina jungit.
Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo,
Inſtauratque choros: mixtique altaria circum
Cretesque, Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi:
Ipſe jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela ſonant humeris. Haud illo ſegnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam altos ventum in montes, atque invia luſtra,
Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.

At

*cincta verſicolore inſtita circa Tyriam chlamydem: huic pharetra* eſt *aurea, capilli colliguntur in* nodum *aureum, aurea fibula coercet veſtem purpuream. Nec non & Trojani comites & lætus Aſcanius eunt quoque: Æneas ipſe formoſiſſimus aliis omnibus addit ſe ſocium, & adjungit* ſuas *turmas. Qualis* eſt *Apollo, quando frigidam Lyciam, flumenque Xanthum relinquit, ac petit Delum* inſulam *matris & renovat choreas, & mixti Cretenſes, Dryopeſque, pictique Agathyrſi lætantur circa aras: ipſe incedit in cacuminibus Cynthi, & componens effuſos capillos cingit tenera corona, involvitque auro: ſagittæ ſonant ad humeros. Non deformior illo Æneas incedebat, tanta pulchritudo elucet in eximio vultu. Poſtquam perventum eſt ad altos montes &* cubilia feraram *inacceſſa, ecce capræ ſilveſtres emiſſæ e cacumine rupis decurrerunt per colles: ex alia parte cervi prætereunt curſu campos apertos, & fugiendo colligunt ſe in greges pulverulentos, ac deſerunt montes.*

*At*

N O T Æ.

Phœniciæ, vicina Tyro, unde purpura celebris, Georg. 2. 506. *Picto*, interpretor, diverſi a purpura coloris, fortaſſe aurei. *Limbo*, inſtita, in extrema ora chlamydis. *Chlamydem*, veſtem militarem ac venatoriam, thoraci ſuperpoſitam, Ital. *ſopraberga*.

138. *In aurum.*) Vel in reticulum aurei contextus implexi crines: vel crines ipſi flavi coloris in aurei nodi formam ligati. De *Phrygia*, Aſiæ regione, unde Trojani erant, Æn. 1. 385. De *Iulo*, Aſcanio, ibid. 271.

143. *Qualis ubi, &c.*) Comparaverat Virgilius Æn. 1. 502. Didonem cum Diana: nunc Æneam cum fratre Dianæ Apolline. Et aliquantum expreſſa res eſt ex duobus Apollonii locis Argon. l. 1. Solemnis autem erat opinio, Deos certis anni temporibus commutare ſedes: atque Servius conſtare, ſex hybernis menſibus Apollinem apud Pataram Lyciæ urbem oracula reddere: ſex æſtivis apud Delum Ægæi maris inſulam. *Lycia*, regio eſt Aſiæ minoris, ad meridiem; maritima urbs ibi *Patara* fuit, nunc *Patera*, Apollinis templo quondam inſignis, & Xanthus fluvius & urbs, nunc *Santo*.

144. *Delum maternam.*) Quia in ea Ægæi maris inſula Dianam & Apollinem Latona e Jove peperit, Æn. 3. 74. & 77.

146. *Cretesque, Dryopeſque, &c.*) Confluentes ad oraculum Delium undecumque populi. *Cretes* ex inſula Creta, *Candia*, Æn. 3. 104. *Dryopes* ex Strabone lib. 9. fuerunt in Peloponneſo: eo tranſvecti, vel a Dryope Arcade, cum antea circa Sperchium Theſſaliæ fluvium habitarent; vel ab Hercule ejecti e Doride, quæ eſt juxta Parnaſſum montem. *Agathyrſi* gens Scythica, qui ex Mela l. 2. 1. *Ora artuſque pingebant, ut quiſque majoribus præſtalat, ita magis, vel minus.* Juxta alios gens Sarmatica. *Cynthus*, mons in inſula Delo, Æn. 3. 92.

151. *Luſtra.*) Ferarum cubilia: quare? Georg. 2. 471. De *Cervis*, quos eſſe in Africa multi negant, Æn. 1. 188. affirmant tamen Oppiani & Philoſtrati aliorumque teſtimonia apud Cerdanum.

163. *Dardanius nepos Veneris.*) Aſcanius, filius Æneæ, qui Anchiſæ & Veneris filius. *Dardanius*, Trojanus, Æn. 1. 239.

166. *Prima & Tellus, & pronuba Juno.*) Conſtat ad ſingula gravioris momenti negotia ſolitos veteres captare auſpicia, atque omina, ſed præſertim ad nuptias, ut diximus Æ. 1. 350. Igitur omina quæ fuerint, hic notandum



At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: jamque hos curſu, jam præterit illos;
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.
Interea magno miſceri murmure cœlum
Incipit: inſequitur commiſta grandine nimbus.
Et Tyrii comites paſſim, & Trojana juventus,
Dardaniuſque nepos Veneris, diverſa per agros
Tecta metu petiere: ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux & Trojanus eamdem
Deveniunt: prima & Tellus & pronuba Juno
Dant ſignum; fulſere ignes & conſcius æther
Connubii, ſummoque ulularunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primuſque malorum
Cauſa fuit: neque enim ſpecie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem;
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.
Extemplo Libyæ magnas it fama per urbes:
Fama, malum quo non aliud velocius ullum,

Mobi-

*At juvenis Aſcanius per medias valles exultat* in *equo generoſo: & jam hos, jam illos anteit curſu; cupitque concedi votis* ſuis *aprum ſpumantem inter pigros* illos *greges, aut rufum leonem deſcendere e monte. Interim cœlum incipit turbari magno tumultu: ſuccedit nubes mixta grandine. Paſſim & comites Carthaginenſes, & juventus Trojana, & Trojanus nepos Veneris, hinc inde per agros quæſiverunt diſperſas caſas: torrentes cadunt e montibus. Dido & dux Trojanus deveniunt in idem antrum: & prima Tellus ac Juno pronuba dant ſignum: fulgura emicuerunt, & cœlum particeps* conſilii *de conjugio, & Nymphæ ulularunt ex alto cacumine. Ille dies primus auctor fuit exitii, & primus calamitatum: nec enim Dido* amplius *terretur ſpecie aut rumore, nec jam exercet amorem ſecretum;* hunc *appellat conjugium,* & *velat crimen hac appellatione. Statim fama currit per magnas urbes Africæ: Fama, malum, quo nullum celerius,*

*præ-*

N O T Æ.

dum eſt. I. Quidam ajunt *Tellurem* quoque e Diis fuiſſe nuptiarum præſidibus: *prima* autem dicitur ordine ſignificandi, quia tunc prima omnium ſigna dedit: quæ autem? niſi terræ motum. II. *Juno*, ut conſtat, nuptiis præfuit, hinc dicta *Pronuba*, *γαμηλία* a *γάμος nuptiæ*. Hæc autem, cum pro *aere* terræ proximo ſæpe ſumatur, ſignum dedit, *nimbis* & *commiſta grandine*. III. *Æther* ſuperior, & ignea mundi pars, quæ *Jupiter* aliquando dicitur, ſigna dedit fulguribus & fulmine; juxta eorum opinionem, qui fulmina putabant, non in media aeris regione fabricari, ſed a Jove mitti & igneo æthere. *Conſcius* dicitur, quia nuptiarum illarum conſcii & auctores ſuperi ipſi fuerant, Juno, Venus, & ipſe, quem ſuum in conſilium adegerant, Jupiter, v. 110. & ſequentibus.

167. *Fulſere ignes, &c.*) Mos erat in nuptiis, ut ſponſæ ad ſponſum eunti præferrentur faces, ut puellæ ad mediam noctem ante conjugum fores lætis carminibus perſtreperent, quorum exemplum inſigne ſupereſt apud Theocritum Idyllio 18. Ideo Virgilius hic adhibet *fulgura* pro facibus; & *ululatum Nympharum*, pro carminibus.

168. *Nymphæ.*) Vel fuere *Oreades*, Nymphæ montium, quia erant in ſpeluncæ *ſummo vertice*. De iis Ecl. 2. 46. Vel, ut cenſet Cerdanus, *Diræ & Furiæ*, quæ pro Nymphis ab amantibus acceptæ fuerint. De quo errore ſic Dido apud Ovid. Heroid. 7. 73. *Audieram voces: Nymphas ululaſſe putavi: Eumenides fatis ſigna dedere meis.*

170. *Neque enim ſpecie famave movetur.*) Non ſpecie, ac præſenti deformitate ſceleris ſui; nec fama ac ſermone abſentium hominum.

174. *Fama, malum, &c.*) Vapulat a Macrobio aliiſque Virgilius, ob eam famæ deſcriptionem, quam tamen ſubſequentes poetæ imitari fruſtra conati ſunt: & certe multum habet acuminis. *Mobilitate viget*, quia eſt incerta ac mutabilis. *Vires acquirit eundo*, qua vel una re monſtrum videri poteſt, cum eundo cætera deficiant. *Parva metu primo, mox, &c.* quia non niſi timide primo, quæ ſunt tacenda, divulgantur. *Caput inter nubila condit*: quia licet ſparſa ſit ubique fama, ſæpe tamen ejus caput, atque auctor, & veritas, ignorantur. *Terra parens extremam progenuit ſororem* gigantibus: quia Fama turpia Deorum ſcelera evulgavit: qui videtur extremus Terræ conatus in Deos, poſt exſtincta Gigantum bella. Huic *plumæ multæ*: quia unuſquiſque de ſuo aliquam quaſi plumam famæ addit. *Vi-*

*giles*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo:
Parva metu primo; mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam (ut perhibent) Cœo Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem & pernicibus alis:
Monſtrum horrendum, ingens: cui quot ſunt corpore plumæ;
Tot vigiles oculi ſubter, (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens, & pariter facta atque infecta canebat:
Veniſſe Æneam Trojano a ſanguine cretum,
Cui ſe pulchra viro dignetur jungere Dido:
Nunc hyemem inter ſe luxu, quam longa, fovere
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc paſſim Dea fœda virum diffundit in ora.

Pro-

*præſtat agilitate, & auget vires eundo: parva primum ob timorem, mox erigit ſe in aerem, inceditque per terram, & abſcondit caput inter nubes. Terra mater irritata ob furorem Deorum produxit illam, ut narrant, ultimam ſororem Cœo & Encelado, velocem pedibus & citis alis: monſtrum horribile, ingens, cui quot ſunt plumæ in corpore, tot oculi aperti vigilant ſubter eas, res mirabilis dictu, tot linguæ, tot ora loquuntur, tot arrigit aures. Volat nocte per medium cœli, & per umbram terræ, ſtridens, nec permittit ſomnum oculis: die ſedet ſpeculatrix, aut in faſtigio ſummi tecti, aut in altis turribus, & tremefacit magnas urbes: tam retinens mali & falſi, quam nuntia veri. Illa tunc læta implebat populos vario rumore, & narrabat perinde facta & non facta: Æneam veniſſe, ortum e Trojano ſanguine, cui marito ſociare ſe dignetur formoſa Dido: nunc illos in luxu traducere inter ſe hyemem, quam longa eſt; oblitos regnorum, & correptos inhoneſto amore. Turpis Dea ſpargit hæc paſſim per ora hominum.*

Con-

## NOTÆ.

*giles oculi ſubter plumas:* quia videt omnia, videtur a nemine. *Nocte volat:* neque enim animadverti poteſt, qui fiat, ut tantillo tempore tam longe lateque pervagetur. *Luce ſedet cuſtos,* ut obſervet quæ tractantur inter homines, præſertim in ædibus regum, magniſque urbibus. Cæterum tam eſt apta veris, quam falſis evulgandis.

179. *Cœo, Enceladoque ſororem.*) Gigantum præcipuis, Terræ ac Titanis filiis: qui bellum Jovi intulerunt ad ulciſcendam patris injuriam, cui cœli regnum, ut fratri Saturni natu majori, debitum eſſe contendebant. Hi aggeſtis montibus, ut cœlum aſcenderent, iiſdem oppreſſi ſunt, Georg. 1. 279.

198. *Hic Ammone ſatus.*) *Jupiter Ammon,* Ægyptiis & Afris celebre oraculum ac templum habuit in Libya, ad orientem Cyrenaicæ regionis, ad occidentem Ægypti, ad ſeptentrionem Garamantum ac Naſamonum: in irriguo & palmifero loco, quamvis tota regio aridiſſima ac deſertiſſima ſit. Hujus origo varie refertur: tribuitur tamen maxime Libero, ſive Baccho; cui per Libyæ deſerta iter facienti aries cornu fontem ibi monſtravit; quem ille Jovem eſſe patrem arbitratus, templum ibidem erexit Jovi, cornuto & arietino capite, vocavitque *Ammona,* ab *arena,* quæ Græcis eſt ἄμμος vel ψάμμος. Plutarchus tamen lib. de Iſide videtur negare nomen eſſe illud Græcæ originis, ſed Ægyptiorum proprium. Unde aliqui putant *Ham,* ſive *Cham,* Noe filium, primum Ægypti cultorem, ſub eo coli nomine: alii *Solem,* qui, ut & *calor,* dicitur Hebræis *Hamma;* eique volunt, ut & Moſi, appicta eſſe cornua pro radiis. Et vero ex Curtio l. 4. juxta illud templum fons erat quoque, *Solis* dictus, qui rigeſcebat interdiu, noctu fervebat; tepidus aut frigidus, pro vario Solis acceſſu aut receſſu. Hoc adiit oraculum Alexander, cum eſſet in Ægypto: ab eoque ſe Jovis filium dici per ſacerdotem curavit. Hujus hic Jarbas filius dicitur fuiſſe, & *Garamantidis* Nymphæ, ſive *Garamantis* proprium, ſive gentile nomen ſit: non enim longe aberant populi Garamantes. De *Jarba,* v. 36.

199. *Templa Jovi centum, &c.*) Aliqui inde colligunt Iarbā Ammonis tēpli conditorē di-

ci,



Protinus ad regem curſus detorquet Iarbam,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Ammone ſatus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum, latis immania regnis,
Centum aras poſuit: vigilemque ſacraverat ignem,
Excubias Divum æternas, pecudumque cruore
Pingue ſolum, & variis florentia limina ſertis.
Iſque amens animi & rumore accenſus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina Divum,
Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.
Jupiter omnipotens, cui nunc Maurufia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Aſpicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?
Fœmina, quæ noſtris errans in finibus urbem
Exiguam pretio poſuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia noſtra
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra crinemque madentem

Subne-

*Confeſtim deflectit volatum ad regem Iarbam, inflammatque ſermonibus animum* ejus, *& accumulat iras. Ille natus Jove Ammone, & Nympha Garamantide rapta, ſtruxerat Jovi centum templa ſpatioſa vaſtis in regnis, & centum altaria: & dedicaverat ignem immortalem, perpetuas excubias Deorum; &* dedicaverat *terram pinguem ſanguine victimarum, & portas ornatas ſertis verſicoloribus. Ille autem impos mentis & inflammatus rumore acerbo, dicitur ante altaria, inter media ſimulacra Deorum, ſupplex elatis manibus plurimum oraſſe Jovem: O Jupiter omnipotens, cui gens Maurica epulans in verſicoloribus lectis nunc effundit Bacchicum liquorem, videſne hæc? an* vero, *fruſtra timemus te, o pater, cum vibras fulmina? an fulgura vana in nubibus terrent mentes, & edunt inutiles ſonos? Mulier, quæ vaga in regione noſtra condidit parvam urbem emptione, cui dedimus litus colendum, cui* impoſuimus *conditiones loci, rejecit nuptias noſtras, & admiſit in regnum Æneam maritum. Et nunc ille Paris cum comitatu effœminato, ſubligatus mitra* Lydia circa *mentum & capillos delibutos,*

*frui-*

## NOTÆ.

ci, ſed perperam; cum centum illa templa, *latis regnis,* id eſt, variis latiſſimi regni locis condita dicantur.

200. *Vigilem ignem.*) Plutarchus, lib. de defectu oraculorum, teſtatur in Ammonis templo lucernam fuiſſe perpetuo ardentem, de quo more, Æn. 2. 297.

205. *Supinis.*) Notetur mos orandi veterum, non expanſis, non porrectis, ſed ſupinis manibus, ita ut palmæ cœlo obverſæ eſſent.

206. *Cui gens Maurufia, &c.*) *Maurufia* ſive *Mauri,* partem Africæ occidentalem obtinebant ab uſque Carthagine aut Numidia, ad fretum Gaditanum: varias in gentes diſtributi.

207. *Gens epulata toris, &c.*) Poſt ſacrificia ſolebant e victimarum extis epulari, inque epulis vina in honorem Deorum *libare* & effundere. De *epulis* illis, Æn. 7. 175. De *libatione,* Æn. 1. 740. De *toris,* lectis vulgo gramineis, Æn. 3. 224. De *Lenæo,* ſive Bacchico honore, pro vino, Georg. 2. 4.

215. *Paris, &c.*) Æneam vocat Paridem, id eſt mollem: de eo Æn. 1. 31. Propterea quod Athenæus l. 1. notat Homerum nemini Heroum uſum unguentorum, præterquam Paridi, tribuiſſe: erat autem uſus ille præcipue in capillis: unde mox addit, *crinemque madentem. Semiviro comitatu.*) Alludit ad morem Phrygum, apud quos inſignis erat cultus Deæ Cybeles, cujus ſacerdotes exſecabantur, unde molles & effœminati evadebant, vocabanturque *Galli.*

216. *Mæonia mitra, &c.*) Lydi ex Strabone, lib. 13. Priami tempore vocabantur *Mæones, Meones,* vel *Mæones Meones:* paullo poſt *Lydi,* a Lydo rege, Herculis nepote. Æn. 2. 781. *Lydia* porro Aſiæ minoris mediterranea regio eſt, quæ a poetis ſolet Phrygiæ annumerari ex eodem Strabone l. 14. Ad orientem ac ſeptentrionem habet Phrygiam majorem; ab occidente Æolidem: flumina *Pactolum* & *Hermum,* aureis arenis inſignia: montem *Tmolum,* vino & croco celebrem: unde regio tota divitiis deliciiſque nobilis fuit: illic in uſu erat *mitra,* pileum muliebre, incurvum, baccis inſigne, ac redimiculis vinculiſque, quibus mento ſubligabatur.

217. *Sul-*

Subnexus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Audiit omnipotens, oculoſque ad mœnia torſit
Regia, & oblitos famæ melioris amantes.
Tunc ſic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, & labere pennis:
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Expectat, fatiſque datas non reſpicit urbes,
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promiſit, Grajumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a ſanguine Teucri
Proderet, ac totum ſub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem,
Aſcanione pater Romanas invidet arces?
Quid ſtruit? aut qua ſpe inimica in gente moratur?
Nec prolem Auſoniam & Lavinia reſpicit arva?

Navi-

*fruitur præda: nos ſcilicet dona templis tuis inferimus, & ſuſtentamus famam inanem. Omnipotens audit eum precantem talibus verbis, & hærentem ad aras, & flexit oculos ad urbem regiam, & ad amantes negligentes famæ honeſtæ. Tunc ſic loquitur ad Mercurium, & imperat talia. Vade age, fili, advoca Zephyros, & deſcende alis: & alloquere Trojanum ducem, qui nunc moratur in Tyria Carthagine, nec conſiderat urbes a fatis ſibi conceſſas: & porta per levem aerem mandata mea. Mater ejus formoſiſſima non eum nobis pollicita fuerat talem, nec eam ob rem bis eripuit eum e Græcorum armis:* ſed pollicita fuerat hunc *futurum, qui poſſideret Italiam plenam regnis, & belli cupidam:* qui *probaret originem ſuam* eſſe *e nobili ſanguine Teucri, & ſubjiceret imperio* ſuo *totum orbem. Si nullus ſplendor tantorum factorum* hunc *movet, nec ſuſcipit ipſe laborem ad ſuam laudem, an pater invidet Aſcanio Romanam urbem? Quid parat? aut qua ſpe manet apud gentem inimicam? nec cogitat poſteritatem Italicam, & campos Lavinios?*

*Navim*

NOTÆ.

217. *Subnexus.*) Ita emendo cum Gevartio, Elect. l. 1. c. 7. Olim legebatur *Subnixus*, literis vel ante Servii tempora male corruptis. Fruſtra quippe Servius interpretabatur, *crinem unguentatum ſubnixum habens*, vel *fiducia elatus*. Fruſtra Turnebus explicabat, *ſub mitra crinem ac mentum ſubjectum habens*. Utraque enim interpretatio ſenſu caret & acumine: noſtra rectior & ſimplicior.

218. *Famam inanem.*) Qua dicor filius tuus, rex Libyæ, conjux Didonis futurus.

219. *Araſque tenentem.*) Mos ſupplicantium ac ſacrificantium: unde Varro apud Macrobium l. 3. 2. ait *aras* dictas olim eſſe *aſas*, quaſi *anſas*, quibus vaſa teneri ſolent; quemadmodum *Valerii* & *Furii*, prius dicebantur *Valeſii* & *Fuſii*.

222. *Mercurium.*) De eo, infra v. 238. Æn. 1. 301. De *Zephyris*, ventis occidentalibus, Ecl. 5. 4. De *Dardaniis*, Trojanis, Æn. 1. 239. De *Tyria Carthagine*, ſupra in argumento.

228. *Bis vindicat armis.*) Æneam *Venus* bis e Græcorum armis eripuerat. *Primo*, quando Diomedes in Trojana obſidione Æneam ſaxo ita percuſſit, ut is in genua prolapſus haud dubie occidendus fuiſſet, niſi Venus eum peplo circumfuſum eripuiſſet morti, Iliad. 5. 315. *Secundo*, quando Æneas, matris conſilio & auxilio, e Trojano incendio ereptus, & ad fugam incitatus eſt, Æn. 2. 619. Neque enim iis aſſentior, qui explicant de ejus congreſſu cum Achille, ubi a Neptuno morti ereptus eſt, Iliad. 20. 290. Namque hanc ei opem non Venus, ſed Neptunus contulit.

229. *Gravidam imperiis.*) Variis regnis regibuſque diſtinctam ac plenam: qua forma dixit, Georg. 2. 5. *Pampineo gravidus autumno floret ager.* De *ſanguine Teucri*, Trojanorum parentis, Æn. 1. 239. De *orbis* imperio Trojanis Romaniſque promiſſo, Æn. 1. 282.

234. *Aſcanione, &c.*) De eo, Æn. 1. 271. Albam condidit, unde prodiit *Roma* per *Romulum*, Albanorum regum ſobolem, Æn. 1. 273. 278. De *Auſonia*, Italia, Æn. 3. 171. De *Lavinio*, ab Ænea condita urbe, Æn. 1. 6.

239. *Talaria.*) Calceamenta alata Mercurii: quæ Valerius Flaccus vocat *plantaria*; Statius *alas plantares*.

242. *Virgam.*) Quam dono viciſſim accepit ab Apolline Mercurius, cum ei lyram dediſſet. Hac inſtructus cum abiret in Arcadiam,



Naviget: hæc ſumma eſt, hic noſtri nuntius eſto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit,
Dat ſomnos adimitque, & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila. Jamque volans apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum aſſidue cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulſatur & imbri.
Nix humeros infuſa tegit: tum flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit; hinc toto præceps ſe corpore ad undas
Miſit: avi ſimilis, quæ circum litora, circum
Piſcoſos ſcopulos humilis volat æquora juxta.
Haud aliter terras inter cœlumque volabat,

Litus

*Navim conſcendat: hæc* eſt *ſumma, hic ſit* illi *nuntius* a *nobis. Sic loquutus erat. Mercurius præparabat ſe ad obediendum juſſis magni patris: & primo ſubligat talaria aurea, quæ ſeu ſupra mare, ſeu ſupra terram, ferunt pennis* eum *volantem pariter cum rapido vento. Deinde accipit virgam: per hanc ille educit ex inferis animas pallidas, alias dejicit ad triſtes inferos, præbet auferique ſomnos, & ex morte aperit oculos. Hac inſtructus pellit ventos & trajicit turbidas nubes. Jamque volans videt cacumen & excelſa latera duri Atlantis, qui capite ſuſtinet cœlum: Atlantis, cui caput piniferum, ſemper circumdatum nigris nubibus, tunditur ventis & pluviis. Nix ſuperjecta tegit humeros: præterea fluvii devolvuntur e mento ſenis, & barba horrida concreſcit glacie. Hic primo ſtetit Mercurius contendens alis æqualibus: hinc delapſus toto corpore ſe impulit ad undas: ſimilis volucri, quæ circa litora, circa rupes piſcoſas volat demiſſe prope mare. Non aliter proles Cyllenia veniens ab* Atlante *avo materno volabat inter cœlum & terram,*

*ſcin-*

NOTÆ.

diam, incidit in ſerpentes duos ad pugnam comparatos, projectaque virga ſtatim compeſcuit. Unde pacis ſymbolum evaſit virga illa duobus implexa ſerpentibus, quam Græci legatis ſuis dabant, ad pacem & ſecuritatem; vocabantque κηρύκειον quia *legati* κήρυκες; ex qua voce Latini virgam ipſam appellaverunt, cum aliqua literarum deformatione, *Caduceum*. De *Orco*, qui pro inferis ſumitur, Georg. 1. 277. De *Tartaro*, profundiſſimo inferorum loco, Georg. 1. 36.

244. *Lumina morte reſignat.*) I. Explicat Servius, *claudit*: male, cum opponantur *reſigno*, & *ſigno*, id eſt, *ſigillis munio*, *claudo*. II. Explicat Turnebus *aperit in buſto*: idque haurit e Plinio l. 11. 37. *Morientibus oculos operire, ruſuſque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu ſacrum eſt: ita more condito, ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit; & cœlo non oſtendi, nefas.* Hoc igitur officium tribuit Mercurio: ſed quia ſolebat id fieri a cognatis, antequam buſto cadaver imponerent, ideo III. explico, *aperit oculos ex morte*, id eſt *revocat e morte corpora*: quod quintum officium a primo diſtinguitur: primum enim eſt, *quod animas ex Orco evocet*, ſive ut Jovi ſiſtat, ſive ad alia miniſteria: quintum eſt, quod *corpora ipſa revocet a morte, oculoſque corporis aperiat*.

247. *Atlantis.*) *Atlas* mons Africæ maximus, nivoſo ſemper cacumine, Mauritaniam a Libya interiore dividens, & ad oceanum occidentalem deſinens: hujus longa ſeries dicitur ab Hiſpanis *montes claros*. In hunc dicitur Atlas rex Mauritaniæ commutatus a Perſeo, aſpectu Meduſei capitis, quod is eum excipere hoſpitio noluiſſet: cum autem eſſet idem Atlas aſtrologiæ peritiſſimus, cœlum dictus eſt humeris ſuſtinere. Hic a Virgilio deſcribitur, quaſi hominis figuram adhuc retinens.

252. *Cyllenius.*) Atlas hic ſeptem Plejadum pater fuit, Georg. 1. 138. Harum una *Maja* Mercurium peperit ex Jove, in vertice *Cyllenes*, Arcadiæ montis. Unde Atlas dicitur Mercurii *avus maternus*, id eſt, avus Mercurii ex parte matris.

254. *Avi ſimilis.*) Comparatio illa habitusque Mercurii eſt ex Homero Odyſſ. 5. 43. Avem vocat Homerus *Laron*, quæ vel eſt fulica, Ital. *folaga*, vel ciconia, vel alia, de ea enim varie diſputatur.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Litus arenoſum Libyæ ventoſque ſecabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Æneam fundantem arces, ac tecta novantem
Conſpicit: atque illi ſtellatus jaſpide fulva
Enſis erat, Tyrioque ardebat murice læna
Demiſſa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exſtruis, heu, regni rerumque oblite tuarum!
Ipſe Deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum & terras qui numine torquet:
Ipſe hæc ferre jubet celeres mandata per auras.
Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem;
Aſcanium ſurgentem, & ſpes heredis Iuli
Reſpice: cui regnum Italiæ, Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortales viſus medio ſermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Æneas aſpectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.
Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras,

Atto-

*ſcindebat aerem & litus arenoſum Libyæ. Statimatque alatis pedibus attigit caſas, vidit Æneam fundantem arces, & reparantem tecta: illi autem erat enſis interpunctus jaſpide fulva, & toga rubeſcebat ex Tyria purpura pendens ex humeris: quæ ornamenta fecerat opulenta Dido, & diſtinxerat telas ſubtili auro. Statim aggreditur* eum his verbis: *Tu nunc ſtatuis fundamenta altæ Carthaginis, & condis pulchram urbem uxori ſerviens, heu! immemor regni tui & rerum tuarum. Ipſe Rex Deorum, qui poteſtate* ſua *vertit cœlum & terras, miſit me tibi e cœlo ſplendido: ipſe imperat me portare hæc* ſua *mandata per levem aerem. Quid paras, aut qua ſpe perdis otia in Libyca regione? Si nullus ſplendor tantarum rerum te movet, nec ſuſcipis ipſe laborem ad tuam laudem; attende* ad *Aſcanium creſcentem, &* ad *ſpes heredis Iuli: cui imperium Italiæ & Romana terra debentur. Talibus verbis loquutus Mercurius fugit aſpectum humanum* in *medio ſermone, & procul abit ex oculis in levem aerem. At vero Æneas ſtupefactus viſu obmutuit, & capilli* præ *horrore arrecti* ſunt, *& vox ſtetit in gutture. Cupit exire fugiendo & deſerere gratam regionem,*

terri-

## N O T Æ.

259. *Magalia.*) Caſas paſtorum Libyæ, de quibus Georg. 3. 340.

261. *Stellatus jaſpide fulva.*) Capulus gladii cum vagina gemmis, quaſi ſtellis interpunctus. De *jaſpidis* pretioſi lapili coloribus multa Plinius l. 37. 9. Nulla tamen fulva tota agnoſcitur: ſed auro tantum diſtincta quaſi pulvere. *Fulvus* autem color mixtus eſt ex ruſo & viridi, qualis eſt in leonibus.

262. *Tyrio murice læna.*) *Læna* Nonnio veſtimentum eſt militare, quod ſupra omnia veſtimenta aſſumitur; ſed facile errare potuit, & *lænam* cum chlamyde confundere: ſiquidem Varroni, Feſto, atque aliis *læna* veſtimentum eſt duplex, inſtar duarum togarum; atque adeo oblongum, & bello parum commodum. Sacerdotalis fuit veſtis: unde Popilius *Lænas* appellatus eſt, quod ea indutus exiiſſet e ſacrificio ad ſeditionem ſedandam. Hyberna etiam videtur fuiſſe ob denſitatem: quare tum conveniens erat *Æneæ*, qui in hyeme verſabatur, infra v. 309. *Hyberno moliris ſidere claſſem*. Nomen vel a *lana* multa, juxta Varronem; vel juxta Plutarchū a Græca voce [illegible], quæ veſtis erat ejuſde uſus; [illegible] enim eſt *calefacio*. De *Tyrio murice*, purpura, Georg. 2. 506. De *Olympo*, Theſſaliæ monte, qui pro cœlo ſumitur, Ecl. 5. 56.

275. *Regnum Italiæ, Romanaque tellus.*) Tellus Romana olim dicenda; ſupra, v. 234.

288. *Mneſthea, &c.*) Accuſativus Græcus, pro Latino *Mneſtheum*. De eo, deque *Sergeſto*, & *Cloantho*, *Æn.* 5. v. 116.

301. *Bacchatur, &c.*) Didonem comparat Bacchi comitibus fœminis: quæ ipſum ex India victorem temulentæ ſequebantur, lynces ac tigres ejus currui ſubligatas commovebant, coronatæ pampino, thyrſis armatæ

ſive



Attonitus tanto monitu imperioque Deorum.
Heu! quid agat? quo nunc Reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia ſumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.
Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt.
Mneſthea, Sergeſtumque vocat, fortemque Cloanthum:
Claſſem aptent taciti, ſocioſque ad litora cogant,
Arma parent, & quæ ſit rebus cauſa novandis,
Diſſimulent: ſeſe interea, quando optima Dido
Neſciat, & tantos rumpi non ſperet amores,
Tentaturum aditus, & quæ molliſſima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio læti parent, ac juſſa faceſſunt.
At regina dolos (quis fallere poſſit amantem?)
Præſenſit, motuſque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens. Eadem impia fama furenti
Detulit armari claſſem, curſumque parari.
Sævit inops animi, totamque incenſa per urbem
Bacchatur: qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Æneam compellat vocibus ultro:
Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum

Poſſe

*territus tanto monitu & juſſu Deorum. Heu! quid faciat? quo alloquio audeat circumvenire Reginam amantem? unde capiat primum initium? & nunc huc, nunc illuc diſtrahit animum, & trahit in diverſas partes, & volvit per omnia. Hoc conſilium viſum eſt melius ponderanti. Vocat Mneſtheum, & Sergeſtum, & fortem Cloanthum:* jubetque *ut inſtruant claſſem ſecreto, & congregent ſocios ad litus, & præparent arma; & celent, quæ ſit cauſa mutandarum rerum: interim, dum bona Dido ignorat, & non ſuſpicatur abrumpi tantos amores, ſe quæſiturum aditus, & quæ tempora loquendi* erunt *commodiſſima, quæ via negotii conficiendi tutiſſima. Celeriter omnes obediunt læti mandato, & exequuntur juſſa. Sed Regina præſenſit fraudem (quis poſſit decipere amantem?) & cognovit prima tumultum futurum, metuens omnia* vel *tutiſſima. Eadem fama nuntiavit amanti claſſem inſtrui, & parari diſceſſum. Furit impos mentis & inflammata bacchatur per totam urbem: qualis Baccha incitata quaſſatis ſimulacris, quando orgia triennalia ſtimulant* eam *audito Baccho, & Cithæron invitat* eam *nocturno tumultu. Denique ultro alloquitur Æneam his verbis: Etiamne, o perfide, ſperaſti poſſe celare tantum*

cri-

## N O T Æ.

ſive haſtis pampino atque hedera implicatis. Hinc I. *Bacchæ* vocatæ ſunt & *Thyades*, a [illegible] *curro*, vel a [illegible] *ſacrifico*, *impetu feror*. II. Harum exemplo, ſacra ſibi a mulieribus fieri deinceps voluit, quæ dicta ſunt [illegible] *Orgia*, ab [illegible] ira, quia cum furore peragebantur. III. Cithæron ſacris illis celebris, mons Bœotiæ, pars Parnaſſi, ut quibuſdam videtur: & vero pars aliqua Parnaſſi dicata fuit Baccho, Ecl. 7. 25. IV. Sacra illa imprimis tertio quoque fiebant anno, & Athenienſes ante inſtitutas Olympiadas per Dionyſia ſive Bacchica feſta ſolebant tempora diſtinguere: vocabantque feſta illa [illegible] *trieterica*, id eſt, *triennalia*, a [illegible] & [illegible] *annus*. V. Noctu fiebant: unde dicebantur [illegible] *nyctelia*, a [illegible] *nox*. VI. *Commotis ſacris*: id eſt, vel quaſſatis thyrſis, ſacris Bacchi haſtis, de quibus Ecl. 5. 29. vel commoto, quod circumferebant, Bacchi ſimulacro: unde Horatius Od. l. 1. 18. 11. *Non ego te, candide Baſſareu, invitum quatiam.*

305. *Diſſimulare, &c.*) Tres habet partes hæc oratio. PROPOSITIONEM, qua conſtituit non eſſe Æneæ clam fugiendum, idque per interrogationem duobus primis verſibus comprehendit. CONFIRMATIONEM per quinque rationes. 1. Eſt *Amor*. 2. *Data dextera* & fides. 3. Pietas in morituram *crudeli funere*. 4. Incommoda itineris, *hyberno ſidere*. 5. Comparatio a majori ad minus: Non peteres Trojam hac tempeſtate, ergo multo minus *arva aliena* & *domos ignotas*. PERORATIONEM, ſive affectuum commotionem, in qua maxima vis eſt. Nam 1. Obſecrationes adhibet per ſacratiſſima & cariſſima quæque. 2. Commemorat beneficia, odiū exterorum & ſuorum, extinctum pudorem, famam amiſſam. 3. Exponit ſolitudinem ſuam & pericula, quibus ad morte certiſſime adigetur. 4. Videtur aliquid Æneæ concedere, ut viciſſim aliquid obtineat; precaturque ſaltē ut expectet, dum aliqua ſibi ſuperſit ex eo ſoboles.

Rr 2 310. *Aqui-*

Poſſe nefas, tacituſque mea decedere terra?
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hyberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis! Quid? ſi non arva aliena domoſque
Ignotas peteres, & Troja antiqua maneret,
Troja per undoſum peteretur claſſibus æquor?
Mene fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam te,
( Quando aliud mihi jam miſeræ nihil ipſa reliqui )
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes, Nomadumque tyranni
Odere, infenſi Tyrii: te propter eundem
Exſtinctus pudor, &, qua ſola ſidera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deſeris, hoſpes?
Hoc ſolum nomen quoniam de conjuge reſtat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Deſtruat? aut captam ducat Getulus Iarbas?
Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret;
Non equidem omnino capta aut deſerta viderer.
Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat
Lumina, & obnixus curam ſub corde premebat. Tan-

*crimen, & tacitus abire e mea regione? Nec te amor noſter, nec te dextra olim data, nec Dido retinet peritura crudeli morte? Imo etiam ſtruis claſſem hyemali tempore, & properas navigare per mare inter medios Aquilones, crudelis! Quid? ſi non quæreres regionem externam & ſedes incognitas,* ſed *ſi vetus Troja ſtaret,* an *claſſe peteretur* a te *Troja per mare procelloſum? An fugis me?* ego oro te *per has lacrymas, & dexteram tuam* (*ſiquidem ipſa nihil aliud reſervavi mihi jam miſeræ*), *per conjugium noſtrum, per nuptias inchoatas; ſi bene merui quicquam de te,* aut ſi *quicquam meum fuit gratum tibi: miſerere domus* meæ *cadentis: & ſi quis adhuc aditus* eſt *precibus, precor, depone hoc conſilium. Propter te populi Libyæ & reges Numidarum oderunt* me, *& Tyrii infenſi* ſunt mihi: *propter eundem te pudor periit, & prima fama,* per *quam unicam attingebam aſtra: cui relinquis me morituram, o hoſpes? ſiquidem hoc unum nomen ſupereſt de conjuge. Quid expecto? an ut Pygmalion frater diruat muros meos! aut Iarbas Getulus trahat* me *captivam! Saltem ſi ante fugam aliqua proles mihi ſuſcepta fuiſſet a te, ſi parvulus aliquis Æneas mihi luderet* in *aula, qui te tantummodo vultu repræſentaret, equidem non plane viderer decepta aut derelicta. Sic loquuta fuerat. Ille juſſu Jovis tenebat immotos oculos, & obſtinatus coercebat curam in animo.* Tan-

## N O T Æ.

310. *Aquilonibus.*) De iis ſeptentrionalibus ventis, Ecl. 7. 51. De *Hymenæo*, nuptiali Deo, Geor. 3. 60. De *Nomadibus*, qui & *Numidæ* dicuntur, ſupra v. 40. De *Pygmalione*, v. 44. De *Iarba*, v. 36.

333. *Ego te, quæ, &c.*) Tres habet partes Æneæ reſponſio. CONFESSIONEM acceptorum beneficiorum, pro quibus gratum animum pollicetur: idque locum habet exordii. NEGATIONEM furtivæ fugæ: immo & conjugii, quod legitimum non fuit, & ſine ſolemnibus cæremoniis, ſupra v. 166. EXCUSATIONEM, 1. Quia primum ipſius conſilium fuit Trojam inſtaurare in Phrygia: quo in flexu rerum, conjux Didonis eſſe non poterat. 2. Quia Dii in Italiam ipſum etiam repugnantem miſerunt; quod alterum fuit conjugii obſtaculum. 3. Comparatione a pari; quia ſi Diis ipſa paruit, & eorum juſſu Carthagine detinetur, quidni ipſe ſequatur Deos in Italiam? 4. Quia cogitur iis obſequi, & paternæ umbræ, & ipſius Mercurii admonito. 5. Quia fatis jubetur Aſcanio regnum parare, quo careret in Libya, ubi regnum ad ſuam ex Didone ſobolem pertineret. Fatendum tamen orationem illam, ſi Deorum juſſa excipias, ſane eſſe ſubfrigidam.

340. *Meis Auſpiciis.*) Mea voluntate atque ſponte, meo arbitratu. Mos enim erat veterum, ut gravius nihil, niſi prius captatis auſpiciis ſuſciperent. Atque ita non ſuis auſpiciis rem gerere, eſt non ſua voluntate.

344. *Re-*



Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, numquam, regina, negabo
Promeritam: nec me meminiſſe pigebit Eliſæ,
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.
Pro re pauca loquar. Nec ego hanc abſcondere furto
Speravi, ne finge, fugam: nec conjugis umquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas,
Urbem Trojanam primum dulceſque meorum
Relliquias colerem, Priami tecta alta manerent,
Et recidiva manu poſuiſſem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes:
Hic amor, hæc patria eſt. Si te Carthaginis arces
Phœniſſam, Libycæque aſpectus detinet urbis,
Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terra
Invidia eſt? Et nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchiſæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſurgunt,
Admonet in ſomnis & turbida terret imago:
Me puer Aſcanius, capitiſque injuria chari,
Quem regno Heſperiæ fraudo & fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres Divum, Jove miſſus ab ipſo,
( Teſtor utrumque caput ) celeres mandata per auras
Detulit: ipſe Deum manifeſto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus auſi. 360 De-

*Tandem repoſuit hæc pauca: Ego, o regina, numquam negabo te meruiſſe de me multa, quæ loquendo potes enumerare: nec me pœnitebit recordari Eliſæ, quamdiu ipſe recordabor mei, dum anima movebit iſta membra. Dicam pauca pro* ſtatu rei. *Nec ego ſperavi tegere ſilentio* hanc *fugam, ne fingas* id tibi; ſed etiam *numquam prætexui faces maritales, aut veni* huc *ad has nuptias. Si fata permitterent me tranſigere vitam mea voluntate, & conſtituere negotia meo arbitratu, primo venerarer Trojanam urbem & dulces reliquias meorum, & ſtarent alta palatia Priami, & manu condidiſſem victis Pergama caduca. Sed jam Grynæus Apollo magnam Italiam, Lycia oracula Italiam imperaverunt me quærere: hic eſt amor, hæc patria. Si munimenta Carthaginis & viſus Libycæ urbis retinet te Phœniſſam, quæ demum eſt* tibi *invidia*, quod *Trojani ſedeant in Italica terra? licet nos quoque quærere regna externa. Umbra aſpera Anchiſæ ſollicitat me in ſomnis, quoties nox tegit terras humidis tenebris, quoties lucida ſidera oriuntur.* Sollicitat *me puer Aſcanius, & injuria* facta *dilecto capiti ejus, quem privo regno Italiæ & terris fatalibus. Nunc etiam nuntius Deorum miſſus ab ipſo Jove* (*atteſtor utrumque Deum*) *portavit* ejus *juſſa per levem aerem: ipſe vidi Deum in luce perſpicua ingredientem muros, & excepi his auribus vocem* ejus. Ceſſa

## N O T Æ.

344. *Recidiva.*) Alii explicant *reſtituta*, & poſt excidium redeuntia: quomodo *recidivæ febres* dicuntur. Sed puto *recidivas febres* ideo dici, quia in eas *recidimus*; atque ita ſemper *caſum* ſignificare. Igitur *recidiva* ſimpliciter interpretor *caduca* ſive *cadentia*. Quod ſi *recidiva* caſum iteratum notant, puto alluſum ad geminam Trojæ expugnationem, primam ab Hercule, alteram a Græcis, Æn. 3. 476.

345. *Grynæus, &c.*) *Grynium*, in Æolide, Aſiæ minoris maritima regione, ad occidentem Lydiæ: ubi vetus oraculum, & templum Apollinis ſumptuoſum. Sic Strabo l. 13. De eo, Ecl. 6. 72. *Lycia*, ejuſdem Aſiæ minoris regio ad meridiem, urbem habuit *Pataram*, ubi celebre etiam oraculum Apollinis, de quo ſupra v. 143. Hinc Apollo *Grynæus* & *Patareus* dictus eſt; & quamquam Æneas Phœbi monita de quærenda Italia, neque Grynii, neque Pataræ accepiſſet, ſed in inſula Delo apud Anium regem Æn. 3. 97. & in Epiro apud Helenum regem Æn. 3. 381. per hæc tamen communia nomina *Grynæi* & *Lycii*, unus idemque Apollo, ejuſque oraculum, non locus ſignificatur. Sic in ipſo Delio templo Apollinē nuncupat *Thymbræum*, cum Thymbra ſit in Troade, Æn. 3. 85.

346. *Sortes.*) *Oracula*, quæ conſulentibus modo proſpera, modo adverſa, prout *ſors*, ſive fatum ferebat.

348. *Phœniſſam.*) Cum e Phœnicia oriunda ſis, Æn. 1. 450. De *Libya*, ſupra v. 36. De *Auſonia*, Italia, Æn. 3. 171. De *Heſperia*, Italia Æn. 1. 534.

Deſine, meque tuis incendere, teque querelis:
Italiam non ſponte ſequor.
Talia dicentem jamdudum averſa tuetur,
Huc illuc volvens oculos: totumque pererrat
Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur:
Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.
Nam quid diſſimulo? aut quæ me ad majora reſervo?
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?
Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.
Nuſquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi:
Amiſſam claſſem, ſocios a morte reduxi.
Heu! furiis incenſa feror. Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo
Interpres Divum fert horrida juſſa per auras.
Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello. I, ſe-

*Ceſſa commovere & me & te his queſtibus: non ſponte peto Italiam. Talia loquentem* Dido *jamdiu infenſa intuetur, rotans huc illuc oculos: & totum* Æneam *circumſpicit oculis tacitis, & ſic irata loquitur: Nec tibi mater* eſt *Dea, nec Dardanus auctor familiæ* eſt, *o perfide; ſed Caucaſus horribilis duris rupibus peperit te, & Hyrcanæ tigres præbuerunt* tibi *ubera. Quid enim diſſimulo? aut quæ graviora expecto? An gemuit ob fletum meum? an obvertit oculos? an emollitus fudit lacrymas, aut miſertus eſt amantis? Quæ quibus præferam? nunc nunc neque maxima Juno, nec pater Saturnius videt hæc juſtis oculis. Nuſquam certa eſt fides. Excepi* Æneam *expulſum e litore, egenum, & ſtulta conſtitui eum in parte regni; ſervavi naves amiſſas & ſocios a morte. Heu! rapior inflammata a furiis. Nunc Apollo vates, nunc oracula Lyciæ, nunc nuntius Deorum miſſus ab ipſo Jove portat per aerem dura mandata. Quaſi vero is eſſet labor Deorum, & ea cura vexaret* eos *tranquillos. Neque te retineo, neque refuto* quæ *dixiſti.* I, pe-

NOTÆ.

1. 534. De *Italia Aſcanio promiſſa*, Æn. 1. 270.

356. *Interpres Divum.* ) Mercurius, qui Græce Ἑρμῆς dicitur, quaſi ἑρμηνεὺς *interpres*.

360. *Incendere querelis.* ) Sic Æn. 10. 895. *Clamore incendunt cœlum.* Et Æn. 11. 147. *Mæſtam incendunt clamoribus urbem.*

362. *Averſa.* ) Vel *oculis averſa*, id eſt, torvis ac retortis oculis intuens: vel *averſa animo*.

365. *Nec tibi Diva parens, &c.* ) Erumpit Didonis furor in hanc ſupremam orationem, qua I. Negat ea quæ jactaverat v. 12. de divino Æneæ genere. II. Æneam incuſat, quod nec gemitu, nec aſpectu, nec fletu dignatus ſit flentem & amantem fuerit. III. Deos incuſat ipſos, quod hæc impune ſinant abire. IV. In Æneam iterum, ut in ingratum invehitur commemoratione beneficiorum quinque. V. Ut in mendacem, qui oracula, Deorumque juſſa fugæ prætexit: quod refutat, negando curam rerum mortalium Diis ineſſe. VI. Per correctionem, negat ſe velle mendacia illius refellere: tum addit conceſſionem deluſoriam, & comminationem futuri naufragii, perpetuarumque poſt mortem inimicitiarum. Ubi notandum, eam ex animi perturbatione Deos modo iniquos dicere, modò rerum humanarum negligentes incuſare, modo pios appellare, a quibus juſtam perfidiæ ultionem ſperet. VII. Denique ſequitur ex furore deliquium.

365. *Dardanus.* ) Auctor Trojanorum, Æn. 1. 239.

367. *Caucaſus, Hyrcanæque, &c.* ) *Caucaſus*, mons Aſiæ, præ cæteris altus & ſcopuloſus, inter mare Euxinum & Caſpium: *Hyrcania*, olim Parthiæ pars ad meridiem Caſpii maris, nunc *Tabareſtan*, ſub ditione Perſarum: regio pantheris ac tigribus infeſta.

371. *Quæ quibus anteferam?* ) Inter quæ omnia immanitatis ſigna, quænam aliis majora dicam?

*Jam jam nec, &c.* ) Sed qui mirum, ſi eſt in me iniquus Æneas: cum ne Juno quidem Carthaginis & conjugii perinde tutrix, ne Jupiter quidem ipſe Saturni filius & Junonis conjux, æquis oculis hæc in me ab illo commiſſa ſcelera aſpiciant.

373. *Nuſquam tuta fides.* ) Nec apud homines, qui eam temere violant; nec apud Deos, qui eam impune violari ſinunt.

380. *Neque dicta refello, &c.* ) Senſus eſt. Oracula quidem & juſſa illa a te ficta ſunt: poſſem fraudem tuam eaque refellere: ſed nec refello, nec te hic ultra retineo: *I, ſequere Italiam*, &c.



I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.
Spero equidem mediis, ſi quid pia numina poſſunt,
Supplicia hauſurum ſcopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. Sequar atris ignibus abſens:
Et, cum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, pœnas:
Audiam, & hæc manes veniet mihi fama ſub imos.
His medium dictis ſermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit: ſeque ex oculis avertit & aufert,
Linquens multa metu cunctantem & multa parantem
Dicere. Suſcipiunt famulæ, collapſaque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.
At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore:
Juſſa tamen Divum exequitur, claſſemque reviſit.
Tum vero Teucri incumbunt, & litore celſas
Deducunt toto naves: natat uncta carina;
Frondenteſque ferunt remos, & robora ſilvis
Infabricata, fugæ ſtudio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum Cum

*I, pete ventis Italiam, quære regna per mare. Equidem, ſi juſti Dii poſſunt aliquid, ſpero te luiturum pœnas in mediis ſcopulis, & ſæpe nomine appellaturum Didonem. Perſequar te nigris ignibus licet abſens: & poſtquam frigida mors ſeparaverit corpus* ab *anima, adero umbra cunctis locis: ſolves* mihi *pœnas, o improbe; audiam, & hæc fama* pœnarum tuarum *veniet ad me apud inferos profundos. His prolatis interrupit medium ſermonem, & afflicta fugit lucem, & ſe abducit & aufert ex aſpectu, relinquens* Æneam *metu tardantem* dicere *multa, & parantem dicere multa. Suſtinent* eam *famulæ, & reportant in marmoreum cubiculum membra dejecta, locantque* eam in *lecto. At pius Æneas, quamvis optet conſolando placare mœrentem, & pellere curas ſermonibus, multum gemens, & concuſſus animo* propter *amorem: tamen obſervat juſſa Deorum, & repetit claſſem. Tunc autem Trojani incumbunt* operi, *& detrahunt altas naves e toto litore: natant unctæ naves; &* nautæ *portant remos vireſcentes, & ligna e ſilvis adhuc informia, deſiderio fugiendi. Videas eos exeuntes, & erumpentes ex urbe tota. Et quemadmodum formicæ, quando deprædantur magnum cumulum frumenti,* pro-

NOTÆ.

383. *Supplicia hauſurum.* ) Pro *hauſurum:* id eſt, fluctibus ſubmergendum, ſuffocandum aquis, quibuſcum mortem hauriat. *Dido.* ) In accuſativo Græco.

384. *Sequar atris ignibus abſens.* ) Inſtar furiæ tibi adhærebit abſentis & derelictæ Didonis memoria.

385. *Anima, &c.* ) Tribuuntur Ovidio quatuor hi verſus:

*Bis duo ſunt homini: manes, caro, ſpiritus, umbra:*
*Quatuor iſta, loci bis duo ſuſcipiunt.*
*Terra tegit carnem, tumulum circumvolat umbra,*
*Orcus habet manes, ſpiritus aſtra petit.*

Ex quibus erui poteſt is hujus loci ſenſus: *Cum mihi mors* carnem a ſpiritu, *corpus ab anima ſeparaverit*, umbra *mea te ſemper inſequetur, & fama ſupplicii tui ſub terras perveniet ad* manes *meos*. Hæc fuſius, Æn. 6. 748.

398. *Uncta carina.* ) Pice aliaque pingui materia perlitæ naves, quarum trabs infima *carina* eſt.

399. *Frondentes remos.* ) Non elaboratos aut ſiccos; ſed adhuc recentes ex arbore, immo & frondibus veſtitos: hyems enim tunc deflectebat in vere: quam tamen hyemem ſimpliciter vocat Dido, Æneæ deterrendi cauſa, v. 309. *Hyberno moliris ſidere claſſem.* Verautem optime congruit cum iis quæ dicentur Æn. 5. 46. *Robora.* ) Duriora grandioraque ligna, ad malos conficiendos. De *robore*, quod aliquando pro ſpecie glandiferæ arboris ſumitur, ſæpius pro duriore quovis ligno, Georg. 1. 162.

402. *Ac veluti.* ) Trojanorum laborem cum formicarum ſedulitate comparat. *Parvula nam exemplo eſt magni formica laboris*, inquit Horat. Sat. l. 1. 1. Expreſſa eſt iſta cõparatio ex parænesi Phocylidis, quæ legitur apud Hortenſium. *Far.* ) plur. *farra*, frumenti ſpecies eſt puriſſimi.

405. *Cal-*

Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle anguſto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Caſtigantque moras: opere omnis ſemita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia ſenſus?
Quoſve dabas gemitus? cum litora fervere late
Proſpiceres arce ex ſumma, totumque videres
Miſceri ante oculos tantis clamoribus æquor.
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori:
Ne quid inexpertum, fruſtra moritura, relinquat.
Anna, vides toto properari litore circum:
Undique convenere: vocat jam carbaſus auras:
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.
Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero. Miſeræ hoc tamen unum
Exequere, Anna, mihi: ſolam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus;
Sola viri molles aditus & tempora noras.
I, ſoror, atque hoſtem ſupplex affare ſuperbum:
Non ego cum Danais Trojanam exſcindere gentem
Au-

*providæ in hyemem, & ſe ponunt* in *latebris: nigra turba incedit* per *agros, & ſubvehunt prædam anguſto tramite inter herbas: partim obnixæ humeris propellunt magna grana: partim colligunt turmas, & accelerant morantes: omnis ſemita fervet labore. Quis tunc ſenſus* erat *tibi, o Dido, ſpectanti talia? aut quos emittebas gemitus? cum ex alta arce ſpectares litora undique æſtuare, & aſpiceres coram oculis totum mare turbari tantis clamoribus. Improbe amor, quid non cogis* facere *animos hominum? cogitur rurſus deſcendere ad lacrymas, rurſus oppugnare Æneam precando, & ſupplicando ſubjicere animum amori: ne omittat quicquam intentatum,* antequam *fruſtra moriatur. Anna,* inquit, *cernis circum properari toto litore: undique collecti ſunt: jam vela invitant ventos, & nautæ hilares addiderunt puppibus coronas. Ego ſi potuiſſem præſentire tantam calamitatem, poſſem etiam eam ſuſtinere. Tamen, o Anna, fac iſtud ſolum mihi miſeræ: nam perfidus ille* ſolebat *te ſolam revereri, etiam tibi committere ſecretos ſenſus; ſola cognoſcebas tempora & commodos aditus ad illum. I, ſoror, & ſupplex alloquere hoſtem ferocem. Non ego juravi cum Græcis in Aulide evertere Trojanam gentem,* aut

## NOTÆ.

405\. *Callis.*) Eſt ſemita, quæ *callo* pedum induruit.

407\. *Semita.*) Anguſta via, quaſi *ſemiiter*.

*Caſtigantque moras.*) Accelerant, ac veluti increpant morantes.

409\. *Litora fervere.*) *Æſtuare*, nautis, Trojanis, aliis referta eſſe. Utraque translatio petitur ab æſtu, & aquis ferventibus, quæ dum ebulliunt, confertim ac tumultuoſo impetu miſcentur inter ſe, multiplicantur, intumeſcunt.

416\. *Anna, vides, &c.*) Dido jam Æneæ diriſſima quæque comminata atque imprecata fuerat, v. 381. Nunc ſuadet Annæ ut eum ſupplex adeat pro ſe: more amantum, qui nunc minis, nunc precibus agunt, jam furioſi, mox dejecti, nuſquam ſibi ſimiles. Oratio tres habet partes. I. Exponit præſens profectionis periculum. II. Rogat Annam ut Æneam adeat: tum quia colitur ab Ænea, tum quia novit ipſa pertentare ejus animum. III. Docet eam argumenta, quibus eum a profectione deterreat, eaque tria. 1. Quod nihil in eum hoſtile Dido commiſerit. 2. Quod nondum commoda ſit navigationi tempeſtas. 3. Quod non jam conjugium, ſed breve tantum tempus petat, ut dolori aſſueſcat ſuo, ejuſque abſentiæ.

417\. *Carbaſus.*) Plur. *Carbaſa*, lini genus, quo & vela, & veſtes etiam fiunt: in Hiſpania inventus eſt circa Tarraconem, ex Plin. l. 19. 1.

418\. *Coronas.*) Mos nautarum cum ſolverent, & appellerent, in ſignum lætitiæ. Georg. 1. 303. *Ceu preſſæ cum jam portum tetigere carinæ, Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.* Imponebant autem præcipue puppibus, quia in ea navis parte ſacrarium erat.

419\. *Hunc ego ſi potui, &c.*) *Si potuiſſem*: mutatio temporis, ut ſupra v. 27. *Ante pudor quam te violo*: id eſt, *violem*. Et ſenſus eſt: Quamvis non poſſim perferre, *tamen* hoc mihi ſolatium qualecumque exhibe, *I, ſoror, atque hoſtem affare*, &c.

426\. *Auli-*



Aulide juravi, claſſemve ad Pergama miſi:
Nec patris Anchiſæ cineres maneſve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? Extremum hoc miſeræ det munus amanti:
Expectet facilemque fugam, ventoſque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto, requiem ſpatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam: miſerere ſororis.
Quam mihi cum dederit, cumulatam morte remittam.
Talibus orabat, taleſque miſerrima fletus
Fertque refertque ſoror: ſed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit aures.
Ac veluti annoſo validam cum robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant; it ſtridor, & altæ
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes:
Ipſa hæret ſcopulis: & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud ſecus aſſiduis hinc vocibus heros
Tunditur, & magno perſentit pectore curas:
Mens

*aut miſi naves adverſus Trojam: nec effodi cineres & umbram patris Anchiſæ. Cur abnuit excipere ſtabilis auribus meos ſermones? Quo vadit? Concedat ultimum hoc munus miſeræ amanti: expectet commodam fugam, & ventos opportunos. Non jam peto antiquum conjugium, quod violavit: nec ut abſtineat pulchro Latio, & deſerat regnum. Peto tempus leve, quietem & moram ad amorem* extinguendum; *donec ſors mea me devictam aſſueſaciat* huic dolori. *Hoc precor ab illo beneficium ultimum: miſerere ſororis: cum mihi hoc dederit, dimittam illum expletum etiam morte mea. Talibus* verbis *precabatur, & ſoror miſerrima fert ac refert Æneæ tales fletus: ſed ille nullis fletibus movetur, & nulla verba audit exorabilis. Fata obſtant, & Deus occludit Æneæ benignas aures. Et veluti quando Boreæ Alpini nunc hinc, nunc illinc, conantur inter ſe evertere flatibus quercum validam antiquo robore,* tunc *ſtridor auditur, & trunco profunde commoto folia tegunt terram; ipſa* quercus *hæret rupibus, & tantum radice progreditur ad inferos, quantum cacumine in cœleſtem aërem. Non aliter heros verberatur hinc atque hinc continuis ſermonibus, & magno animo ſentit dolores;* ani-

## NOTÆ.

426\. *Aulide juravi.*) *Aulis*, Tanagræorum pagus eſt, in ora Bœotiæ, loco ſaxoſo, ad euripum Eubœæ appoſitus, non longe a Chalcide: portum habet duplicem; quo convenit Græcorum claſſis navium mille, ad Trojanam expeditionem proficiſcens. Hic cum in illo Græcorum conventu Agamemnon rex Mycenarum cervam, Dianæ Aulidenſi ſacram, inter venandum occidiſſet; ventis adverſis detenta claſſis fuit, donec admonitus a Calchante Agamemnon Iphigeniam filiam ſuam Dianæ immolaret, Æn. 2. 116. De *Danais*, Græcis Æn. 1. 34. De *Pergamis*, arce Trojæ, Æn. 1. 470.

427\. *Anchiſæ cineres maneſve.*) Grave crimen apud veteres, violare mortuorum ſepulcra. De *manibus* ſupra, v. 387. De *Latio*, Italiæ parte, Æn. 1. 10.

435\. *Veniam.*) Favorem ac beneficium. Æn. 1. 523.

*Miſerere ſororis.*) Extremum hoc ab illo beneficium peto: miſerere igitur ſororis, & fac ut illud obtineam.

436\. *Quam mihi cum dederit, cumulatam morte remittam.*) Ita, collatis exemplaribus, hunc verſum, totius operis difficillimum & maxime laxatum, emendo: & ſenſus eſt: *Hoc beneficium moræ paulo longioris, hanc gratiam extremam cum mihi contulerit, remittam illum, dimittam, ſinam abire, & mortem meam quaſi cumulum votis ejus adjiciam.* Eſtque hæc amantum locutio, qui perfidis amantibus munus conferre morte ſua exiſtimant: qualis ille paſtor Ecl. 8. 59. *Præceps aerii ſpecula de montis in undas deferar: extremum hoc munus morientis habeto.* Habent alii codices: *Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam*, vel, *cumulata in morte relinquam*; nullo, vel abſurdo ſenſu.

442\. *Alpini Boreæ.*) De *Borea*, vento ſeptentrionali, Ecl. 7. 51. Hic numero plurali, ut paſſim *Aquilones* & *Auſtri*. Dicuntur *Alpini*,



quia

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cœli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,
Horrendum dictu! latices nigreſcere ſacros,
Fuſaque in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.
Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſorori.
Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis & feſta fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Viſa viri, nox cum terras obſcura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipſe furentem
In ſomnis ferus Æneas: ſemperque relinqui
Sola ſibi, ſemper longam incomitata videtur
Ire

*animus* tamen *perſtat immutabilis, inutiles lacrymæ defluunt. Tunc autem miſera Dido territa fatis rogat mortem: tædet* eam *aſpicere concava cœli. Ut magis perficiat conſilium, & abjiciat vitam, vidit, cum imponeret munera altaribus* ubi *thus crematur*, rem *horribilem dictu, ſacrum liquorem nigreſcere, & vinum effuſum mutare ſe in fœdum ſanguinem. Nulli elocuta* eſt hoc *prodigium, ne ipſi* quidem *ſorori. Præterea fuit in ædibus ſacrarium primi mariti e marmore, quod venerabatur mirabili cultu, cinctum vittis albis & feſtivis foliis. Verba & voces mariti appellantis viſa* ſunt *hinc audiri, cum opaca nox obtegeret terras: & bubo ſolus* viſus *eſt e tectis ſæpe queri funeſto cantu, & protrahere longas voces in* modum *fletus. Et præterea vaticinia veterum vatum terrent* eam *monitis horrendis. Ipſe crudelis Æneas turbat furentem per ſomnia: &* ipſa ſibi *videtur ſemper deſeri ſola, ſemper ire* per *longum iter incomitata*,
*& quæ-*

NOTÆ.

quia flant a ſeptentrione: ager autem Mantuanus, unde Virgilius erat, & magna pars Italiæ, Alpibus a ſeptentrione & occidente cingitur. De *Alpibus* Ecl. 10. 47.

451. *Convexa, &c.*) *Tædet cœlum videre*, id eſt, *vivere*. *Convexa* dixit, id eſt, *concava*; concavam enim cœli ſuperficiem duntaxat videmus, non convexam, Æn. 1. 314.

454. *Latices nigreſcere, &c.*) Per *latices*, lac & aquam intelligit, quæ cum alba vulgo ſint, novo prodigio nigreſcebant: tum vina in cruorem vertebantur. Hæc enim offerebantur in ſacrificiis, vina præſertim, ad libationem, de qua Æn. 1. 740.

457. *Templum.*) *Sacrarium*, locus in privata domo, ubi ſtatuam ſervabat Sichæi, primi conjugis: ornatam frondibus, & velleribus niveis, iiſque laneis, quæ *vittæ* dicebantur: ornamenta non ſacerdotum tantũ, ſed & ſtatuarum & victimarum, Ecl. 8. 64. Æn. 2. 133.

462. *Sola bubo.*) *Guſo*; vulgo maſculini generis, hic fœminini: idque notat Nonnius Marcellus; idemque legit *fera*, non *ſola*: utrumque apte, cum *fero* ſub noctem canat, & loca *ſola* plerumque incolat.

469. *Eumenidum veluti, &c.*) Furorem Didonis comparat cum furore Penthei & Oreſtis. *Pentheus*, Echionis filius, Cadmi nepos ex Agave filia, rex Thebarum in Bœotia: cũ cives a Bacchi veneratione averteret, ipſumque Bacchum, ad ſe ſub Acœtæ forma adductum a famulis, carcere includi juſſiſſet: tum in Cithæronem, Bœotiæ montem, ad orgia diſturbanda cucurriſſet, a matre & materteris orgia celebrantibus laceratus eſt. Ita Ovid. Metam. 3. 700. Ita fere & Euripides in Bacchis; ubi ait Pentheum, antequam in montem abiret, furore immiſſo vexatum a Bacchο fuiſſe v. 843. ipſumque inducit Pentheum ita loquentem v. 916. Καὶ μὴν ὁρᾷν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, Δισσὰς δὲ Θήβας. *Et vero videre mihi duos quidem Soles videor, duplicesque Thebas.* Addit Virgilius etiam *agmina Eumenidum*, ſive Furiarum, quæ tres tantummodo ſunt. De quibus Georg. 1. 278.

471. *Oreſtes.*) Agamemnonis filius, propter occiſam matrem Clytemneſtram agitatus ab ejus umbra & Furiis, quæ ſemper ei cum facibus imminere videbantur, Delphos adiit ad conſulendũ Apollinem: a quo cum audiſſet ſe Athenis in templo Minervæ expiandũ, Furiiſque templi limen obſidentibus ne exiret, exiit tamen; & Athenas profectus, Minervæ judicio cauſam adverſus Furias obtinuit. Hinc dixit Virgilius *in limine*. Ita fere Eſchylus in Eumenidum Tragœdia: qua de re cum aliæ ab Euripide aliiſque poetis Tragœdiæ ſcriptæ ſint, ideo dicitur *ſcenis agitatus Oreſtes*.
Cæ-



Ire viam, & Tyrios deſerta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas:
Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem & ſerpentibus atris
Cum fugit, ultriceſque ſedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori: tempus ſecum ipſa modumque
Exigit, & mœſtam dictis aggreſſa ſororem,
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat:
Inveni, germana, viam, gratare ſorori,
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.
Oceani finem juxta, Solemque cadentem,
Ultimus Æthiopum locus eſt: ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos,
Heſperidum templi cuſtos, epulaſque draconi
Quæ dabat, & ſacros ſervabat in arbore ramos,
Spar-

*& quærere Carthaginenſes* in *locis deſertis. Quemadmodum Pentheus inſaniens videt turmas Furiarum, duoſque Soles, & duas Thebas ſe offerre* ipſi: *vel* quemadmodum *Agamemnonis* filius *Oreſtes*, tam ſæpe *jactatus* in *theatris: quando fugit matrem armatam facibus & nigris anguibus, &* quando *Furiæ vindices ſtant ad januam. Igitur poſtquam* Dido *ſuccumbens dolori ſuſcepit* animo *furias, & ſtatuit mori: ſecum ipſa meditatur tempus & modum, & compellans verbis triſtem ſororem, celat conſilium ſub vultu, & exhilarat frontem ſpe* ſimulata. *O ſoror*, inquit, *gratulare ſorori: reperi artem, quæ reſtituet illum mihi, vel me amantem liberabit ab illo. Prope terminos Oceani & Solem occidentem, extrema eſt regio Æthiopum: ubi magnus Atlas vertit humeris cœlum confixum aſtris fulgentibus. Inde* oriunda *oſtenſa eſt mihi ſaga Maſſylæ nationis, cuſtos templi Heſperidum: & quæ præbebat cibum draconi, & ſervabat ſacros ramos in arbore*,
*fun-*

NOTÆ.

Cætera de eo, Æn. 3. 331. De *Scena*, parte theatri, Georg. 2. 381. & 3. 24. De *Diris*, Furiis, Æn. 3. 211. Georg. 1. 278. Georg. 3. 552.

480. *Oceani finem juxta, &c.*) *Heſperides* tres, *Ægle*, *Arethuſa*, *Heſperethuſa*: patrem habuerunt, vel Heſperum Atlantis fratrem: vel Atlantem ipſum, ex Heſperide. Is hortos filiabus attribuit, ubi mala fuere aurea: eoſque cuſtodiendos dedit pervigili draconi: inde Hercules, ab Euryſtheo juſſus, occiſo dracone, mala diripuit. Præter draconem addit Virgilius *ſacerdotem & templum*, fortaſſe Veneris, cui mala dicata erant. Situs hortorum a Virgilio deſcribitur juxta communiorem opinionem in Mauritania Tingitana, extrema Africæ parte ad occidentem, circa Lixum oppidum: vel in continenti, juxta aliquos: vel in inſula, juxta alios. Hic locus ad orientem habet *Maſſylos* ſive *Maſæſylos*; ad meridiem *Æthiopas* occidentales, & *Atlantem* montem, de quo v. 247. qui mons cum variis nominibus ad Ægyptum uſque pertineat, & Africam univerſam dividat in ſeptentrionalem & meridionalem; ideo veteres poetæ quicquid erat fere gentium ad meridiem Atlantis, Æthiopum nomine comprehendebant, dividebantque in orientales & occidentales. De *Æthiopia* proprie dicta diximus Ecl. 10. 68.

Alii Heſperidum hortos collocant in parte Africæ plane oppoſita, nempe ad orientem in orientali ora Syrtis majoris: quorum errorem refellit Salmaſius ad Solinum. *Mala* porro hortorum, alii *oves* pretioſiſſimi velleris ajunt fuiſſe; quæ ut & *mala*, Græcis dicuntur μῆλα; alii *mala* illa exiſtimant, quæ vel *citrea* vel *aurantia* appellamus; inde ab Hercule exportata in Græciam. *Hortos* vero putant inſulas eſſe *fortunatas*, nunc *Canarie*, infra Lixum quidem, ſed Atlanti proximas, & a littore non admodũ diſſitas. Alii volunt eas eſſe, quæ ab antiquis *Heſperides & Gorgades* appellatæ ſunt, nunc *Iſola di Capo verde*; ſed illæ multo ad meridiem accedunt magis, & ab Atlante recedunt ad oſtia nigri fluvii, a quibus leucis totis centum & quinquaginta diſſitæ ſunt. *Draconem* denique exiſtimant flexuoſum maris fretum fuiſſe, quo horti a continente dividebantur.

482. *Stellis ardentibus aptum.*) Hæc locutio ter reperitur in Ennii fragmentis, unde Virgilius eam hauſit. *Aptum* autem hic, *fixum & connexum* eſt a Græco ἅπτω *ligo*: Ecl. 7. 13. Sic Lucret. l. 5. 538. *Ex ineunte ævo conjunctam atque uniter aptam.* Et v. 1205. *Stelliſque micantibus æthera fixum*: id eſt, *in quo ſtellæ micantes fixæ ſunt*. Ita: *Stellis ardentibus aptum*, id eſt, *in quo ſtellæ ardentes aptæ & junctæ ſunt*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver.
Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes
Quas velit; aſt aliis duras immittere curas,
Siſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retro:
Nocturnoſque ciet manes. Mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.
Teſtor, chara, Deos, & te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu ſecreta pyram tecto interiore ſub auras
Erige: & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuviaſque omnes, lectumque jugalem,
Quo perii, ſuperimponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monſtratque ſacerdos.
Hæc effata ſilet: pallor ſimul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera ſacris
Ger-

*fundens liquida mella & ſomniferum papaver. Hæc pollicetur ſe carminibus reſolvere animos, quos velit; aliis vero injicere triſtes curas, retinere aquam in fluviis, & retro agere ſidera; & evocat infernas umbras. Videbis terram reboare ſub pedibus, & ornos delabi e montibus. O dilecta ſoror, atteſtor Deos, & te, tuumque jucundum caput, me coactam præparari ad magicas artes. Tu tacita, ſub aere, in interiore domo, extrue rogum: & ſuperpone arma Æneæ, quæ ſceleratus reliquit ſuſpenſa in cubiculo, & omnes veſtes, & lectum conjugalem in quo perii. Placet delere omnes reliquias peſſimi hominis, & ita docet ſaga. Hæc locuta tacet; ſimul pallor invadit vultum. Tamen Anna non putat ſororem celare mortem ſuam ſub illis novis cæremoniis;*
*nec*

## NOTÆ.

486. *Soporiferumque papaver.*) Si pervigil eſſe debuit draco, quomodo ſoporifero papavere ſacerdos eum alebat? Hic multa interpretes. Ego hæc duo. I. Non ſignificat poeta ſopitum draconem a ſacerdote, ſed nutritum cibis delicatiſſimis. Erat autem in deliciis menſarum ſecundarum apud veteres maſſa quædam dulciaria, toſto ſemine papaveris & melle condita: ex Plin. l. 19. 8. nihilque apud eos ſoremeliſſimum erat, quod non eſſet ſparſum etiam papavere. II. Forte vult illius ſagæ potentiam extollere, quæ artem etiam ſciret ſopiendi pervigilis draconis: ut Medea apud Ovid. Met. 7. 150. De *manibus*, animis mortuorum, Georg. 4. 469. De *ornis*, fraxinis ſilveſtribus, Ecl. 6. 71.

493. *Accingier artes.*) Pro *accingi ad artes*: ſuppreſſa præpoſitione, & voce triſyllaba in quadriſyllabam prolata, more Græcorum: qui infinitivis attexunt ſyllabas. *Accingi*, pro *parari*: morem eorum innuit, qui fluentem veſtem colligunt & cingunt, ut ſint ad opus expeditiores. Cur autem opus erat hoc apparatu? nonne ſibi necem conſciſcere poterat Dido clam ſorore? Poterat enimvero. Sed ſperare etiam poterat, apparatus illius inſolentia Æneam fore commovendum. Et pompam illam ex arte adhibuit Virgilius, ut hiſtoriæ aliquomodo ſerviret, quæ Didonem erecto rogo ſibi vitam ademiſſe teſtatur, licet honeſtiorem ob cauſam, ſupra v. 36.

494. *Pyram.*) Struem lignorum ad comburenda cadavera: *Rogus* dicitur, antequam ardeat; vel a ῥωγὴ *fiſſura*, ex Marſilio; vel potius a *rogando* Diis, qui cadavere impoſito rogabantur, ex Perotto. *Pyra* dicitur, cum jam ardere cœpit a πῦρ *ignis*. *Buſtum*, cum ardere deſiit, vel quaſi bene uſtum ex Feſto; vel potius, ex Voſſio, ab antiquo *buro*, unde *comburo*, quod eſt a Græco πυρῶ.

*Tecto interiore ſub auras.*) Non quidem ſub *tecto*, quod inde arſiſſet: ſed in intimo regiæ receſſu, aperto loco, *ſub auras*. *Tectum* igitur hic pro domo ſumitur, pars pro toto.

495. *Arma, thalamo, &c.*) Et infra v. 507. *enſem relictum*. Itaque immerito culpant nonnulli Virgilium, quod enſis ab Ænea Didoni, a viro mulieri dono datus ſit. At non ait *datum*, ſed caſu relictum in cubiculo. Nec obſtat, quod eum *munus* appellet, v. 647. Sic enim ait: *non hos quæſitum munus in uſus*, id eſt, *non hos in uſus quæſitum & comparatum ab Ænea; cui, muneris loco, datus ab aliquo alio fuerat.*

496. *Exuvias.*) Spolia, veſtes, ab *exuo*.

505. *Tædis atque ilice.*) *Tæda*, arbor pinguis e *picearum* genere, ex qua faces ſiebant, quæ ideo *tædæ* vocabantur; *Ilex*, arbor glandifera e quercuum genere. Ital. *leccio*.

506. *Intenditque locum ſertis, &c.*) Vel pyram, vel parietes loci ubi ſtabat pyra. *Funerea fronde*, verbena ex funeſtis arboribus, cupreſſo, taxo, &c. De *verbenis*, Ecl. 8. 65.

508. *Effigiemque toro &c.*) Ad amoris affectum, ut ne in morte quidem ab Ænea ſepararetur; in ſpeciem tamen, ac magica ſacra, quibus adhibebantur effigies eorum, in quos illa parabantur,
tur,



Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sichæi.
Ergo juſſa parat.
At Regina pyra, penetrali in ſede, ſub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice ſecta,
Intenditque locum ſertis, & fronde coronat
Funerea: ſuper exuvias, enſemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum; & crines effuſa ſacerdos
Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaoſque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.
Falcibus & meſſæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.
Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus
Et matri præreptus amor.
Ipſa

*nec ſuſpicatur animo tantam rabiem, aut timet atrocius quicquam, quam in nece Sichæi. Igitur præparat, quæ mandata fuerant. Sed Regina extructo rogo, e tædis & ilicibus ſectis, ſub aere, in interiore domo, cingitque locum ſertis, & coronat funebribus foliis: ſuperponit lecto veſtes, & enſem relictum, & imaginem Æneæ, non inſcia futuri caſus. Altaria ſtant circum, & ſaga ſoluta crinibus tonat ore trecentos Deos, & Erebum, & Chaos, & Hecaten triplicem, tria capita virginis Dianæ. Aſperſerat quoque fictas aquas lacus Averni. Et conquiruntur lanuginoſæ herbæ, ſuccisæ falcibus æreis ad Lunam, cum ſucco nigri veneni. Conquiritur etiam Hippomanes, amor equæ ſubductus, & evulſus e fronte pulli naſcentis.*
*Ipſa*

## NOTÆ.

tur, præſertim ceræ, Ecl. 8. 75. De *toro*, lecto, Æn. 3. 224.

509. *Sacerdos.*) Maſſyla, de qua v. 483. De *crinium in ſacris effuſione*. Æn. 3. 370.

510. *Tercentum tonat ore Deos.*) Vel juxta Hortenſium, ſonat *tercentum Deos*, id eſt, *innumeros*: certo numero, pro incerto. Vel juxta Servium, *Ter tonat centum Deos*, id eſt centum numina Hecates, quæ ſic dicta ab ἑκατὸν *centum*, quia centum varias habere dicebatur poteſtates, & centum victimis placabatur, et centenarius numerus ipſis ſacer erat.

*Erebum.*) Vel Deus eſt inferorum ex Chao & Caligine prognatus, paterque Noctis, juxta Hyginum: vel profundiſſima inferorum ſedes, ab ἔρεβος *tego*.

*Chaos.*) Vel antiquiſſimus Deorum eſt, unde cæteri propagati, juxta Heſiodum in Theog. v. 116. Vel prima rerum omnium & confuſa moles, unde orbis eductus eſt, Georg. 4. 347.

511. *Tergeminam Hecaten, &c.*) Sororem Apollinis, triplici nomine: quippe *Luna* in cœlo, *Diana* in terra, *Proſerpina* in inferis appellabatur. At præterea *Hecate*. Ergo nomine quadruplici, non triplici. Immo *Hecate* nomen non fuit, ſed cognomen, de quo proxime diximus. Eadem quoque tribus capitibus pingebatur, dextro equino, ſiniſtro canino; medio, vel humano, vel ſuillo, variant enim auctores. Tum colebatur in triviis. *Virgo* dicitur, quia virginitatis amans, idcirco ulviſtres mores & venatum coluit. Igitur poeta per *Hecaten & Dianam*, idem dixit, diverſe tamen expreſſit.

512. *Simulatos fontis Averni.*) *Lacus* proprie, non *fons eſt*, in Campania Italiæ, per quem deſcenſus eſſe dicitur ad inferos, Georg. 2. 161. Cujus aquæ ad magica ſacra celebres dicuntur apud Latinos: an item apud Barbaros & Græcos, non perinde liquet. Fortaſſe *Averna* generatim dicuntur lacus omnes, quorum halitus putris & gravior avibus infeſtus eſt: inde enim *Avernus* nomen habuit, quaſi ἄορνος ab α *privativo*, & ὄρνις *avis*, Æn. 6. 237. Conjecturam firmat Lucret. l. 6. 738. *Nunc age, Averna tibi quæ ſint loca cumque, lacuſque.* Aquam autem ejuſmodi a magis ubique expetitam, quippe fœdam & graveolentem, veriſimile eſt. Addit *ſimulatos*, quia communem aquam hoc nomine Dido appellabat, ad fallendam ſororem.

513. *Falcibus &, &c.*) *Ad Lunam*, quia putabatur in herbas deſpumare, & inſervire rebus magicis; quippe eadem atque Hecate, Ecl. 8. 69. *Pubentes herbæ*, vel villoſæ & lanuginoſæ, vel grandiores & adultæ, quibus vis inſit major; non teneræ. *Ahenis falcibus*, id eſt æreis, quia id ea in arte ſolemne. Ovid. Met. 7. 228. de Medea: *Partim ſuccidit curvamine falcis ahenæ.*

514. *Nigri lacte veneni.*) Vel *lac* dixit, pro quolibet ſucco: *nigrum venenum*, pro infauſto, diro, ut Georg. 2. 130. *Membris agit atra venena.* Vel, *lac nigri veneni*, pro ſucco nigri coloris.

515. *Naſcentis equi, &c.*) Plin. l. 8. 42. *Conſent equis innaſci amoris veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, co-*
*lore*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Ipſa mola manibuſque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta,
Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati
Sidera: tum, ſi quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet juſtumque memorque, precatur.
Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſilvæque & ſæva quierant
Æquora: cum medio volvuntur ſidera lapſu:
Cum tacet omnis ager; pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aſpera dumis
Rura tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infelix animi Phœniſſa, neque umquam
Solvitur in ſomnos, oculiſve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curæ, rurſuſque reſurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æſtu.
Sic adeo inſiſtit, ſecumque ita corde volutat:
En quid ago? rurſuſne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes atque ultima Teucrum
Juſſa ſequar? quiane auxilio juvat ante levatos,

Et

Ipſa Dido *moritura, exuta calceamentis* circa *unum pedem, in veſte ſuccincta, prope altaria, teſtatur mola & manibus piis Deos*, & ad ſuum *fatum concurrentia ſidera: præterea, ſi aliquis Deus æquus & memor curam gerit amantum non æquali nexu* junctorum, hunc *implorat. Nox erat, & corpora fatigata ſomnum capiebant in terris, ſilvæque & aſpera maria quieverant: quando aſtra vertuntur in medio curſu: quando omnis campus ſilet, beſtiæ, & verſicolores aves, & quæ incolunt late lacus liquidos, & quæ agros rubis horridos, jacentes ſub nocte tacita mulcebant ſomno curas & corda oblita laborum. Non vere* mulcebat curas *Phœniſſa animo miſera, nec umquam reſolvitur in ſomnum, aut oculis, aut pectore noctem admittit: angeſcunt curæ, & iterum renaſcens amor furit, & agitatur magno motu irarum. Sic adeo inſtat* ſibi, & *ſic apud ſe cogitat: Quid nunc faciam? an viciſſim contemnenda tentabo primos amatores, & ſupplex flagitabo nuptias Numidarum, quos ego jam toties dedignata ſum accipere conjuges? An ergo ſequar naves Trojanas, & ſuprema imperia Trojanorum? an quia* mihi *prodeſt eos prius* a me *recreatos eſſe ſubſidio*,

& quia

*quia gratia* illius *antiqui facti manet* adhuc *in bene gratis* eorum animis? *Fac autem* me *velle* eos ſequi, *quis* eorum *mihi permittet? & navibus admittet irriſam? Heu! neſciſne, miſera, necdum ſentis perjuria Trojanæ gentis? Quid tum* ſi hoc accidat? *an ſola fugiendo ſequar nautas* eorum *triumphantes? an cincta Carthaginenſibus, & omni turba meorum perſequar eos? & iterum trabam in mare, & jubebo committere vela ventis* eos, *quos difficile extraxi ex urbe* Tyro, *Sidoniæ* vicina? *Morere potius, ut digna es, & expelle enſe dolorem. Tu, o ſoror, commota meis lacrymis, tu prima oppreſſiſti amantem his miſeriis & exponis* me *hoſti. Nonne fas erat ducere vitam immunem nuptiarum*, in *modum feræ, nec tangi talibus curis? Non eſt ſervata* a me *fides jurata cineribus Sichæi. Illa emittebat e pectore tantas querelas. Æneas jam certus abeundi capiebat ſomnum in alta puppe, jam bene præparatis rebus. Species Dei redeuntis* ſub *eadem figura obtulit ſe illi per ſomnum, & iterum viſa eſt ita increpare illum, ſimilis Mercurio* per *omnia, & vocem, & colorem, & flavos capillos, & membra pulchra juventutis. Fili Veneris*, inquit, *poteſne capere ſomnum in hoc caſu?*

*nec*



Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, ſinet? ratibuſque ſuperbis
Irriſam accipiet? neſcis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ ſentis perjuria gentis?
Quid tum? ſola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis, omnique manu ſtipata meorum
Inſequar? & quos Sidonia vix urbe revelli,
Rurſus agam pelago, & ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrymis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hoſti.
Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ, tales nec tangere curas?
Non ſervata fides cineri promiſſa Sichæo.
Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.
Æneas celſa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat ſomnos, rebus jam rite paratis.
Huic ſe forma Dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in ſomnis, rurſuſque ita viſa monere eſt,
Omnia Mercurio ſimilis, vocemque, coloremque,
Et crines flavos, & membra decora juventæ:
Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?

Nec

## NOTÆ.

*lore nigro, quod ſtatim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit, ſi quis præreptum habeat*. Eadem fere Ariſtoteles & Ælianus. Ideo Hippomanes *matris amor* dicitur, quia primo expetitur ab equa, eique pullum chariorem reddit. Nomen ab ἵππος *equus*, & μανία *furor*. Hoc autem hippomanes quæri jubet Dido, ut ſorori perſuadeat, ſacra illa, ad conciliandum Æneam, non ad mortem ſibi quærendam inſtitui.

517. *Ipſa mola manibuſque, &c.*) Ipſa Dido, non ſacerdos, Deos atteſtatur: *ſpargens molam*, ſive placentam ſalſam ſuper aras, eaſque *tenens manibus*. De *mola*, ejuſque ſpargendæ conſuetudine, Æn. 8. 82. De *tenendis aris* inter ſupplicandum, ſupra v. 219.

518. *Unum exuta pedem vinclis, &c.*) Sagarum habitus: Talis Medea apud Ovid. Met. 7. 182. *Egreditur tectis, veſtes induta recinctas, Nuda pedem, nudis humeris infuſa capillos*. Siniſtrum *pedem* fuiſſe exiſtimat Cerdanus. *Vincla* explicat Pontanus, *calceamenta*, ex Tibul. l. 6. 30. *Vinclaque de niveo detrahit ipſe pede*.

*In veſte recincta.*) Explicant omnes, *diſcinctam, ſolutam, ac fluentem* veſtem, quia, inquit Naſcimbænus, nihil in ſacrificiis non ſolutum eſſe oportebat. Ego *ſuccinctam & collectam*, ut pes nudus appareret, & commodior eſſe ad circuitionem habitus. Et vero tres poetarum principes reperio hæc tria in magico habitu deſcripſiſſe, nudos pedes, effuſos capillos, & veſtem recinctam. Virgilium quidem hoc loco de Didone. Ovid. M. 7. 182. de Medea: *Egreditur tectis, veſtes induta recinctas, Nuda pedem, nudis humeris infuſa capillos*. Horat. S. l. 1. 8. 23. de Canidia: *Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla Canidiam, pedibus nudis, paſſoque capillo*. Tutius igitur puto Virgilii & Ovidii interpretem adhibere Horatium, & *recinctam* explicare *ſuccinctam, accinctam*, præſertim cum antea v. 493. Dido dixerit: *Magicas invitam accingier artes*, & in pleriſque aliis verbis *re*, non neget, ſed augeat, ut in *recido, recipio*, in pleriſque utramque vim

ha-

habeat, ut in *recanto*, & *recino*, quæ ſignificant incantationem & diſſolvere & iterare; ſic erit in *recingo* utraque vis.

520. *Non æquo fœdere amantes.*) Amantes, non æquali affectu, non pari fide conjunctos: quales erant Dido & Æneas; illa multum, hic leviter amans.

529. *Phœniſſa.*) Hic *Phœnix*, hæc *Phœniſſa*: oriunda e Phœnicia, Æn. 1. 450.

*Infelix animi.*) Græca locutio, ut Georg. 4. 491. *Victuſque animi*. Georg. 3. 498. *Infelix ſtudiorum, &c.*

534. *En quid ago? &c.*) Deliberat noctu Dido, quid factura ſit. Quinque ſibi proponit conſilia. I. Procos priores adire precibus, ut per eos læſum amorem ulciſcatur. II. Trojanorum navibus, & fidei ſe committere. III. Solam Trojanos fugientes ſequi. IV. Eos totius regni ſui viribus perſequi. V. Rejectis his omnibus, mori. Denique miſeriarum cauſam in ſororem refert: cujus blanditiis impulſa eſt, ut datam Sichæo falleret fidem. De *Nomadibus*, vel Numidis ſupra, v. 41.

538. *Quiane.*) An quia? Et ironia eſt, hoc ſenſu: *An quia jam nihil prodeſt mihi, quod eos olim juverim: ideo eorum naves ſequar, eorum imperio me ſubjiciam?* De gente *Laomedontea*, ejuſque perjuriis, Georg. 1. 502.

551. *More feræ, &c.*) Id eſt ſolitariam vitam degere, & minime ſociabilem, & quaſi feram. Fruſtra enim nonnulli ad *lynces* reſpexiſſe exiſtimant, quas ajunt amiſſo conjuge numquam deinceps alteri ſociari. *Tangere curas.*) Dictum, pro *tangi curis*, ut Æn. 1. 13. *volvere caſus*, pro *volvi caſibus*.

552. *Cineri Sichæo.*) Adjective pro *Sichæio*: niſi legatur, ut in antiquis pleriſq; cod. *Sichæi*.

560. *Nate Dea.*) Secunda Mercurii ad Æneam legatio, qua ſuadet, ut etiam noctu fugiat. Duplici ratione utitur. I. Petitur ab imminentibus periculis. II. A commoda tempeſtate. Pericula deinde exponit, in eo poſita, quod nunc quidem Dido ſtatuerit mori; ſed cum ſit *varium ac mutabile fœmina*, fieri poſſit,

ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nec, quæ circumſtent te deinde pericula, cernis?
Demens! nec zephyros audis ſpirare ſecundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque iratum fluctuat æſtu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Jam mare turbari trabibus, ſævaſque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis:
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eja age, rumpe moras: varium & mutabile ſemper
Fœmina. Sic fatus nocti ſe immiſcuit atræ.
Tum vero Æneas, ſubitis exterritus umbris,
Corripit e ſomno corpus, ſociosque fatigat:
Præcipites vigilate viri, & conſidite tranſtris:
Solvite vela citi: Deus æthere miſſus ab alto
Feſtinare fugam tortoſque incidere funes
Ecce iterum ſtimulat. Sequimur te, ſancte Deorum,
Quiſquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adſis o, placiduſque juves, & ſidera cœlo
Dextra feras. Dixit: vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes ſimul ardor habet: rapiuntque, ruuntque;
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus æquor:
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

Ec

*nec vides pericula, quæ mox te circumſtabunt? inſane! nec audis ventos propitios flare? Illa* Dido, *certa moriendi, meditatur animo fraudes, & ſævum crimen, & agitatur variis motibus irarum. Nec fugis hinc feſtinus, quamdiu poteſtas* eſt *feſtinandi? Mox videbis mare agitari remis, & ſplendere funeſtis facibus; mox litora accendi flammis: ſi Aurora invenerit te tardantem in his regionibus. Age ergo, amputa moras: mulier* res eſt *ſemper varia & mutabilis. Ita locutus confudit ſe cum nigris tenebris. Tunc autem Æneas territus ſubito ſimulacro, eripit corpus ſomno, & increpat ſocios: Expergiſcimini celeriter, o ſocii, & ſedete in ſcamnis: explicate vela cito: ecce Deus miſſus ex alto cœlo rurſus hortatur celerare fugam, & ſecare tortos funes. Sequimur te, o ſancte Deus, quicumque es, & rurſus læti obtemperamus mandatis. Adſis o, & nos benignus adjuves, & reddas e cœlo ſidera propitia. Dixit: & eripit e vagina gladium coruſcantem, & ſtricta acie ſecat funes. Idem ardor occupat ſimul omnes; & rapiunt, & ruunt: reliquerunt litora; mare tegitur ſub navibus; adniſi convolvunt* fluctus *ſpumoſos, & trajiciunt cærulea* ſpatia.

Et

## N O T Æ.

ut noliſ ſimulta mori, & poſtera die fugientem armata claſſe perſequatur.

562. *Zephyros.*) Commodum quemlibet ventum: nam ex Africa in Italiam ſolventibus Auſtro meridionali, non Zephyro occidentali opus eſt, Ecl. 5. 5.

566. *Jam mare turbari trabibus.*) Carthaginenſium navibus, a Didone immittendis. Sic Æn. 3. 191. *Cava trabe currimus æquor.* De *Aurora*, Georg. 1. 249.

573. *Tranſtris.*) Scamnis nauticis, ubi remiges ſedent.

576. *Sancte Deorum, quiſquis es.*) Sumpſit ex Ennio: *Reſpondit Juno Saturnia, ſancta Dearum*, qui forte ex Græcis, apud quos illa dicitur δῖα θεάων: Alii ſic interpungunt. *Sequimur te, ſancte, Deorum quiſquis es.*

577. *Quiſquis es.*) Non enim videtur iterum veniſſe Mercurius armatus caduceo & talaribus ut v. 239. ſed colore tantum & voce ſimilis v. 559.

*Ovantes.*) Læti, Æn. 3. 189.

579. *Dextra ſidera.*) Propitia. De uſu vocis hujus, & cur ſæpe *læva* etiam proſpera ſint, Ecl. 1. 16.

585. *Tithoni croceum, &c.*) Tithonus Laomedontis Trojani regis filius, ex Strymone: ob formam raptus ab Aurora, ab eadem immortalitatem obtinuit; ſed oblitus perpetuam juventam etiam petere, cum demum conſenuiſſet, tædio affectus mortalitatem petiit; quæ reſtitui cum non poſſet, in cicadam ab Aurora mutatus eſt. De *Aurora*, Georg. 1. 249. *Croceus* color, qui proprius eſt *croci* floris, Ital. *zafferano*.

586. *E ſpeculis.*) Locis editioribus, unde *ſpeculari* procul poterat abeuntes: inſomnis enim tota nocte, eo ſe Dido amoris impatientia contulerat.

590. *Proh Jupiter, &c.*) Erumpit in hanc orationem Reginæ furor. *Imprecatoria* eſt, habetque partes ſeptem. I. Exclamationem abruptam, qua Jovem appellat, quaſi violati hoſpitii vindicem, quemadmodum cum in excipiendo primum hoſpite appellaverat, Æn. 1. 735. II. Juſſa aſpera & concitata, quibus Carthaginenſes in fugaces Trojanos commovet. III. Correctionem amentiæ ſuæ, qua ſe abſentibus ſtulta imperare cognoſcit: tum enim ſola loquebatur e ſpeculis. IV. Exprobrationem fictæ Æneæ pietatis in Deos, in patrem. V. Dolorem amiſſæ ultionis, quam in Æneam, ejuſque filium, & gentem, exercere potuiſſet. VI. Obteſtationem Deorum, tam ſuperorum, quam inferorum; ut ſibi adeſſe ultores velint. VII. Diram imprecationem, tam in Æneam, quam in ejus poſteros; quæ æterna Carthaginenſibus & Italis inter ſe odia portendit.

595. *Quæ mentem inſania mutat?*) Olim quippe ſervabas Æneam ejuſque naves a Pœnorum furore Æ. 1. 566. nunc eos in illum immittis? Olim ſceptra dabas Æneæ, nunc ejus vitam petis?

596. *Nunc te fata impia tangunt.*) Nunc inſtant tibi fata ultima, dura ſors, ſuprema dies: & jam tibi mentem & conſilium, mox vitam quoque eripient.

597. *Tum decuit, cum, &c.*) Decuit hæc, quæ nunc jubes, tum jubere, & Trojanos habere hoſtiliter, cum eos hoſpitio, eorum ducem in regni partem accepiſti, cum ei ſceptra tua, teque adeo tradidiſti.

598. *Penates.*) De *Penatibus*, quos Trojano incendio Æneas eripuerat, deque *Anchiſa* ſublato in humeros, Æ. 2. v. 717. & ſequentibus.

600. *Abreptum divellere corpus.*) Quemadmodum Bacchæ Orpheum, & Pentheum diſcerpſerunt, Georg. 4. 520. & ſupra v. 469.

602. *Patriis epulandum, &c.*) Quemadmodum Atreus, Thyeſtæ fratris filios, ipſi ad epulas coctos appoſuerat: Procne & Philomela Tereo Itym, Ecl. 6. 78.

605. *Foros.*) Vel ſpatia in navibus aperta, ut tabulata in quibus inceditur, vel concava navium latera, quæ onus *ferunt*, Georg. 4. 250.

606. *Exſtinxem.*) Syncope, pro *extinxiſſem*, infra v. 682.



Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina e ſpeculis ut primum albeſcere lucem
Vidit, & æquatis claſſem procedere velis,
Litoraque & vacuos ſenſit ſine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flaventeſque abſciſſa comas: Proh Jupiter! ibit
Hic, ait, & noſtris illuſerit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur,
Diripientque rates alii navalibus? ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido! nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cum ſceptra dabas. En dextra fideſque!
Quem ſecum patrios ajunt portare Penates,
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem.
Non potui abreptum divellere corpus, & undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſque epulandum apponere menſis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna! fuiſſet.
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem:
Impleſſemque foros flammis: natumque, patremque
Cum genere exſtinxem: memet ſuper ipſa dediſſem.

Sol,

*Et jam prima Aurora, deſerens croceum lectum Tithoni, illuſtrabat terras nova luce. Statim atque Regina vidit e ſpecula diem albeſcere, & claſſem progredi velis paribus; & animadvertit litora & portus vacuos abſque remigibus: percutiens ter & quater manu pulchrum pectus, & evellens flavos capillos: Proh Jupiter! inquit: abibit ille advena, & illuſerit noſtro regno?* Cives *non educent arma, nec* eum *inſequentur ex urbe tota, nec alii extrahent naves e ſtationibus? Ite celeres, injicite faces, immittite vela, agitate remos. Quid dico, aut ubi ſum? quæ amentia turbat mentem? miſera Dido, nunc fata crudelia te urgent. Tunc decebat hæc* facere, *cum tradebas ſceptra* tua Æneæ. *En dextra, &* data *fides: en ille, quem dicunt ferre ſecum patrios* Penates, *quem ſuſtentaſſe humeris patrem annis effœtum. Nonne potui lacerare correptum corpus & ſpargere* in *aquas? nonne occidere gladio ſocios, nonne ipſum Aſcanium, & offerre* eum *in menſa patris comedendum? At dubius fuiſſet exitus* illius *pugnæ! fuiſſet. Quem timebam* ego *moritura? immiſiſſem faces in caſtra: & implevissem ignibus naves: exſtinxiſſem patrem & filium cum gente: ipſa me præcipitaſſem ſuper* illos.

Sol,

Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum intrerpres curarum, & conſcia Juno,
Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Diræ ultrices, & Dii morientis Eliſæ:
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et noſtras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt;
Et ſic fata Jovis poſcunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus & armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera: nec, cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum ſanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, ſtirpem & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,

Qui

*Sol, qui luce circumſpicis omnia terrarum opera: tuque Juno, conciliatrix & particeps nuptialium negotiorum: & tu Hecate inclamata per urbes in triviis nocturnis; & Furiæ vindices, & Dii morientis Didonis: audite hæc, & applicate huc numen meritum a ſceleratis; & excipite noſtras preces. Si neceſſe eſt Æneam, ſceleratum* illud *caput, attingere portus, & appelli terris: & ſi voluntas Jovis* id *exigit*, & *hic terminus ſtat: ſaltem agitatus & bello & armis fortis populi, exul e finibus* ſuis, *abſtractus a complexu Aſcanii, imploret auxilium, & cernat indignas mortes ſuorum: &, cum ſubmiſerit ſe conditionibus pacis onerosæ, non potiatur regno, aut vita deſiderata; ſed moriatur ante tempus, &* ſit *inſepultus* in *media arena. Hæc imprecor: emitto hæc ultima verba cum ſanguine. Vos etiam, o Carthaginenſes, perſequimini odiis ſtirpem* ejus *& omnem gentem futuram. & offerte hæc dona meis cineribus: nullus amor, nulla concordia ſit* inter hos *populos. Naſcere, o vindex aliquis, e noſtris oſſibus,*

*qui*

N O T Æ.

607. *Sol, qui, &c.*) *Solem* obteſtatur, vel quaſi altorem vitæ, quam relictura eſt: vel ut, qui luſtrat omnia, ſuæ mortis & alienæ perfidiæ teſtis eſſe velit. *Junonem*, ut pronubam & conciliatricem interpretemque nuptiarũ, propter quas moritur, ſupra v. 59. *Hecaten*, ut præſidem ſacrorum magicorum, quorum ſimulatione moritur, ſupra v. 511. *Diras*, ſeu *Furias*, ut infeſtæ ſint Æneæ, cujus ſcelere moritur, Æn. 3. 212. Georg. 3. 552. *Deos* denique, vel tutelares urbis ſuæ, ut inter illam atque Italos odia æterna ſuſcitent; vel mortis præſides, ut facilem ſibi mortem præbeant. De voce *luſtro*, pro *circumeo*, Æn. 1. 612.

611. *Meritum malis, &c.*) Advertite & applicate hoc numen veſtrum, id eſt, poteſtatem illam & vim ulciſcendi ac puniendi, qua mali coerceri atque opprimi meruerunt. De *fatis*, eorumque diſpenſatore Jove, Æn. 1. 243.

615. *At bello, &c.*) Volunt interpretes hanc imprecationem aliquatenus exitum habuiſſe. Nam Æneas I. appulſus in Italiam, vexatus eſt armis Turni regis. II. Avulſus eſt ab Juli complexu, cum ab eo diſceſſit, ut apud Evandrum quæreret auxilium, Æn. 8. 80. III. Vidit indigna ſuorũ funera variis in præliis Æn. 10. 11. 12. Præſertim cædem Pallantis, Æ. 10. 489. IV. Pacem, ajunt, iniquis conditionibus Latino rege ſancivit; quia propriæ gentis amiſit nomen, & commune Latinorũ nomen accepit, Æn. 1. 10. V. Cecidit ante diem, & inhumatus jacuit: quia dicitur, tertio imperii anno cum Mezentio pugnans, in Numici fluminis ripa, nuſquam comparuiſſe: alii tamen aliter, Æn. 1. 270. VI. Nullus amor populis, nec fœdera fuerunt; ſiquidem tria Romanos inter & Carthaginenſes orta ſunt Punica bella, ex Pœnorum perfidia, qui nulla fœderum religione coerceri poterant. VII. Exortus ex ipſius gente Annibal novem annos natus ab Amilcare patre ad aras Deorum jurejurando adactus eſt, ut, quamprimum poſſet, hoſtis Romanorum foret. Idem bellum Punicum ſecundum Romanis intulit, in ipſum Italiæ ſinum; illudque octodecim annis geſſit. Victus denium a Scipione Africano majore, in Africa apud Pruſiam Bithyniæ regem veneno ſe ipſe interemit, ne in manus Flaminii Romanorum legati traderetur.

620. *Cadat ante diem, &c.*) Cadere dicuntur



Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos.
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipſique nepotes.
Hæc ait: & partes animum verſabat in omnes,
Inviſam quærens quamprimum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi,
Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum & monſtrata piacula ducat.
Sic veniat, tuque ipſa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus: finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. Illa gradum ſtudio celerabat anili.
At trepida & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculiſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit

Dar-

*qui perſequaris ferro & flamma colonias Trojanas. Nunc*, & *olim*, & *quocumque tempore offerent ſe vires, imprecor litora inimica litoribus, maria maribus, arma armis: certent etiam ipſi poſteri. Dixit hæc, & convertebat animum in varias partes, quærens quam citiſſime abrumpere vitam odioſam. Tunc breviter allocata eſt Barcen nutricem Sichæi, nam nigra humus tenebat ſuam* nutricem *in veteri patria: O nutrix dilecta, accerſe huc mihi Annam ſororem. Mone ut feſtinet aſpergere corpus aqua fluminea, & ſecum adducat pecudes ac piacula præſcripta. Sic veniat, & tu ipſa cinge caput ſacra vitta. Mens eſt mihi abſolvere ſacrificia, quæ inchoata deſtinavi Jovi inferno: & ponere terminum miſeriis: & dare igni buſtum Trojani ducis. Sic locuta eſt. Illa urgebat greſſum ſenili affectu. At Dido tremens, & efferata horridis conſiliis, rotans oculos ſanguineos, & infecta maculis* circa *malas trementes, & pallens* ob *mortem imminentem, ingreditur interiorem partem domus, & furens conſcendit altam pyram, & educit gladium*

*Tro-*

N O T Æ.

tur ante diem, qui non præfixo juxta communem naturæ ordinem tempore, ſed violenta, aut fortuita, aut immatura morte pereunt. De *Tyriis*, Carthaginenſibus Tyro oriundis, Æn. 1. 16. De *Dardaniis*, Trojanis, Æn. 1. 239.

623. *Cinerique hæc mittite, &c.*) Alludit ad munera, quæ ſepulcris mortuorum imponebant, infundebantque; *lac, vinum, ſanguinem*, Æn. 3. 62. Quorum loco petit *odia*, & inimicitias cum Trojana ſtirpe.

628. *Litora litoribus, &c.*) Nam Carthaginis litus Italiæ litori ſitu oppoſitum eſt, Æn. 1. 17. *Carthago Italiam contra*. Sic odiis quoque.

635. *Fluviali ſpargere lympha.*) De ablutione veterum, ante ſacrificia, pura & fluviali in aqua, Æn. 2. 719. Notant autem Interpretes, ad ſacra ſuperorum Deorũ ablutionem adhibitã; ad ſacra inferorũ ſolam aſperſionem. Sic Æn. 6. 636. Æneas ramum Proſerpinæ figens apud inferos: *Corpuſque recenti ſpargit aqua*. At idem Æn. 2. 720. Penates attingere non audens ait: *Donec me flumine vivo abluero*.

636. *Monſtrata piacula.*) Res ad expiandos neceſſarias. Cur autem? quia fidem juratam Sichæo novo & fatali conjugio violaverat. Quæ autem illa piacula? Nempe nigræ victimæ, quæ Diis inferis immolabantur, Æn. 6. 153. *Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto*. Et multa mandat vetulæ nutrici, ut ea diutius abſente, ſe ipſam facilius interimat: adſtantibus paucis dumtaxat, iiſque inferioris ordinis mulierculis, de quibus v. 664. *Collapſam aſpiciunt comites*: non auſæ nimirum ad eam propius accedere. De *vittis* & tæniis a capite pendentibus ad ſacra myſteria, Æn. 2. 133.

638. *Jovi Stygio*) Plutoni, Saturni filio, Jovis fratri: cui, in diviſione univerſi imperii, ſorte inferi obtigerunt. Dictus a *Styge*, inferorum fluvio, Æn. 6. 323.

640. *Dardaniique rogum capitis.*) Rogum extructum ad abolenda monumenta omnia exuviaſque Æneæ Trojani, ejuſque amorem exſtinguendum, ut a ſaga ſibi præſcriptum eſſe fingebat, v. 495. De *rogo*, buſto, v. 494.

646. *Enſem, non hos, &c.*) De enſe illo, ſupra v. 495. De *toro*, lecto, Æn. 3. 224.



651. *Dul-*

Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.
Hic poſtquam Iliacas veſtes notumque cubile
Conſpexit, paullum lacrymis & mente morata,
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:
Dulces exuviæ, dum fata Deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exſolvite curis.
Vixi, &, quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Urbem præclaram ſtatui: mea mœnia vidi:
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix! ſi litora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.
Dixit, & os impreſſa toro: Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait: ſic, ſic juvat ire ſub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.
Dixerat: atque illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus. It clamor ad alta
Atria, concuſſam bacchatur fama per urbem,
Lamentis gemituque & fœmineo ululatu
Tecta fremunt, reſonat magnis plangoribus æther.
Non aliter quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque Deorum.

An-

*Trojanum, munus non comparatum in hos uſus. Poſtquam vidit veſtes Trojanas & lectum* ſibi *cognitum, paullulum illic morata flendo & cogitando, abjecit ſe in lectum, & protulit hæc ultima verba: Reliquiæ dulces, dum fata & Dii permittebant, excipite hanc animam, & liberate me his curis. Vixi, & perfeci curſum, quem fortuna* mihi *dederat: & nunc ſimulacrum meum deſcendet illuſtre ſub terras. Condidi urbem egregiam, vidi meos muros, vindicavi maritum, exegi pœnas ab inimico fratre. Fortunata, heu nimis fortunata! ſi tantummodo Trojanæ naves non attigiſſent noſtra litora. Dixit* hæc, *& ore incumbens in lectum:* An *moriemur inultæ? ſed tamen moriamur, inquit: ſic, ſic dulce eſt deſcendere ad umbras. Crudelis Trojanus e mari videat oculis has flammas, & auferat ſecum ſigna noſtræ mortis. Dixerat: & in medio talium* verborum *famulæ vident eam collapſam, & gladium ſpumantem ſanguine, & manus* eodem *tinctas. Clamor ſpargitur in profundam aulam, fama furit per urbem commotam, domus fremunt gemitu & ululatu fœminarum, aer ſonat magnis planctibus. Non aliter ac ſi tota Carthago, aut Tyrus antiqua, ſubvertatur irrumpentibus hoſtibus; &* ſi *flammæ furentes ſpargantur per tecta, & Deorum, & hominum.*

*Au-*

## N O T Æ.

651. *Dulces exuviæ, &c.*) In hac ſuprema Didonis oratione tres elucent præcipue ſenſus; *Amoris, gloriæ, ultionis*. I. AMORIS: cum Æneæ imagini, jugalique lecto vitam ſuam animamque committit: & in iis exuviis non tam præſentem intuetur acerbitatem, quam præteritæ dulcedinis recordatur; *dulces, dum fata, &c.* II. GLORIÆ: cum ſe ſperat illuſtrem fore, tam apud inferos, *magna mei ſub terras, &c.* quam inter homines; apud quos & præclaram urbem fundavit, munivitque, & Sichæum ulta eſt, raptis Pygmalionis opibus: illuſtrior ac felicior futura, ſi nunquam Æneas Carthaginem appulſus eſſet. III. ULTIONIS: cum os lecto imprimens rabie quadam furoris inultam ſe mori dolet: mox perpenſis quaſi rerum momentis, & ſecum exiſtimans duo eſſe quæ morte quærere poſſit, ultionem, & miſeriarum finem; ſtatuit ſibi eſſe moriendum, ſaltem ut finem illum & quietem conſequatur; *ſic, ſic juvat, &c.* maxime cum aſpectus incenſi rogi permovere Æneæ animum poſſit, & ultionem inchoare. De *Exuviis*, ſpoliis, v. 496.

654. *Imago.*) Umbra, manes. Æn. 5. 81.

656. *Ulta virum.*) Quia opes Pygmalioni, cum ſuas, tum eas, propter quas Sichæum occiderat, fugiens eripuit, Æn. 1. 363. 368. De *Dardanio & Dardanis*, Trojanis, Æn. 1. 239.

666. *Atria.*) Proprie *atrium* eſt *area ſubdialis* ante ædes, quaſi αἴθριον, unde etiam ad primam ædium ipſarum partem ſignificandam traductum eſt. Ab eo non longe aberat culina: in eoque cœnabant veteres,

& ma-



Audiit exanimis, trepidoque exterrita curſu,
Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deſerta querar? comitemne ſororem
Spreviſti moriens? eadem me ad fata vocaſſes,
Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tuliſſet.
His etiam ſtruxi manibus, patrioſque vocavi
Voce Deos, ſic te ut poſita crudelis abeſſem?
Exſtinxti me, teque, ſoror, populumque, patreſque
Sidonios, urbemque tuam. Date, vulnera lymphis
Abluam; &, extremus ſi quis ſuper halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaſerat altos,
Semianimemque ſinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros ſiccabat veſte cruores.
Illa graves oculos conata attollere, rurſus
Deficit: infixum ſtridet ſub pectore vulnus.
Ter ſeſe attollens cubitoque innixa levavit,
Ter revoluta toro eſt: oculiſque errantibus alto
Quæſivit cœlo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miſerata dolorem,
Difficileſque obitus, Irim demiſit Olympo,
Quæ luctantem animam nexoſque reſolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat;

Sed

*Audit* hoc *ſoror exanimata; & pavefacta feſtino curſu, lacerans vultum unguibus & pectus pugnis, irrumpit inter medios, & inclamat morientem nomine: Hoc ipſum fuit, o ſoror? fallebas me hoc dolo? hoc parabat mihi pyra iſta, hoc ignes, & altaria? qua de re primum conquerar ego derelicta? an moriens aſpernata es ſororem te comitari?* ſi *me invitaſſes ad eadem funera, idem dolor atque eadem hora ſuſtuliſſet utramque gladio. Erexi etiam his manibus meis, & voce appellavi patrios Deos, ut ego inhumana abeſſem a te ſic jacente? Perdidiſti, o ſoror, & me, & te, & populum, & cives Phœnicios, & tuam urbem. Date, abluam aquis plagas; & ſi aliquis ultimus ſpiritus adhuc vagatur,* illum *ore colligam. Sic locuta pervenerat ad ſummos gradus, & gremio complexa ſororem ſemimortuam, fovebat* eam *cum gemitu, & abſtergebat veſte nigrum ſanguinem. Illa conata erigere tardos oculos, deficit iterum: ſtridet ſub pectore plaga infixa. Ter erexit ſe efferens & innitens cubito, ter relapſa eſt in lectum: & vagis oculis quæſivit lucem ex alto cœlo, & ingemuit* poſt lucem *repertam. Tunc Juno omnipotens, miſereſcens longi doloris & difficilis mortis, miſit Irim e cœlo, quæ ſepararet animam pugnantem & membra eidem conjuncta. Nam, quia nec moriebatur* ex *natura, neque morte merita;*

*ſed*

## N O T Æ.

& majorum imagines diſponebant; quæ cum a fumo culinæ non longe abeſſent, ideo appellabantur *fumoſæ*; ipſumque atrium, ut frigide argutatur Servius, dictum etiam inde volunt quaſi *atrum*. De voce *bacchatur* pro *furit*, a furioſis Bacchi comitibus fœminis deducta, ſupra v. 301. De Carthagine in argumento. De *Tyro*, Æn. 1. 16.

681. *Sic te ut poſita.*) Sic *depoſita*, ſic *jacente*: vox funebris, de qua Æ. 2. 644. Et ſenſus loci eſt: *Itane vero ſtruxi hunc rogum meis manibus, & ad hæc ſacra Deos vocavi: ut eorum particeps non eſſem; ut abeſſem, dum tu te occidiſti?*

682. *Extinxti, &c.*) Pro *exſtinxiſti*, syncope; ut ſupra, 606. *Exſtinxem*, pro *exſtinxiſſem*: & Æn. 1. 205. *Acceſtis*, pro *acceſſiſtis*. Ita legunt Valerius Probus, Cariſius, &c. Veteres tamen plurimi codices habent *Exſtinxi*, prima perſona: ita ut culpam omnem damnumque commune Anna in ſe unam conferat. De *Sidoniis*, unde oriundi Carthaginenſes, Æn. 1. 450.

685. *Ore legam.*) Mos Romanorum veterum, ut amici & cognati, admoto ad os morientis ore, extremum ejus ſpiritum quaſi excipere & haurire velle viderentur. Moris etiam illius apud Græcos aliqua reperit veſtigia Cerdanus in hunc locum.

696. *Nec fato, merita, &c.*) Triplex diſtinguit genus mortis: quæ *fato*, quæ *merito*, quæ *caſu* contingit. Contingit *fato*, quæ naturalis eſt; *merito*, quæ propter ſcelera, aut intemperantiam accidit; *caſu*, quæ nec

na-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore:
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo Sole colores,
Devolat, & ſupra caput aſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat: omnis & una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

*ſed miſera ante tempus, & inflammata ſubito furore: nondum Proſerpina eripuerat illi flavum capillum, nec damnaverat ejus caput Stygio Orco. Igitur Iris rorifera, ducens ex oppoſito Sole mille colores varios, devolat per cœlum croceis alis, & ſtetit ſupra ejus caput: Ego juſſa offero Plutoni hunc* crinem *ſacrum, & libero te iſto corpore. Sic dixit, & dextra abſcindit crinem: & ſimul omnis calor effuſus* eſt, *ac vita abiit in aerem.*

## N O T Æ.

natura, nec merito. In primis duabus fatalem crinem ſecari denuit Virgilius, in tertia negat; quaſi *fata* tantum, hominumque *merita*, ſub Deorum providentiam caderent, *cujus* eam falleret. At Dido cadit ante diem, non *fato* & natura, ſupra v. 620. Cadit *miſera*, non rea, nec merita. Igitur *caſu*. Quare crinis ipſi non amputatur.

698. *Flavum Proſerpina crinem.*) Credebant Græci Romanique, mori neminem poſſe, niſi Proſerpina morientis crinem abſtuliſſet, quaſi ſacras ſibi inferiſque primitias. Hujus opinionis multa ſunt in poſterioribus poetis veſtigia: nonnulla etiam in antiquioribus: in Euripidis Alceſtide v. 74. Θάνατος, ſive *Mors*, crinem ſacrum Alceſtidi amputat, pro conjuge Admeto morituræ. Hic Iris officio illo fungitur. Mos forte repetitus e ſacrificiis: ubi ſetas aliquot e media victimarum fronte decerpere, & in ignem conjicere ſolebant, Æn. 6. 245. Ita & in hominibus putabant fieri, quos Orco quaſi victimas mors demittebat. De *Junone*, cuſtode Carthaginis Dea, Æn. 1. 19. De *Proſerpina*, inferorum Dea, Plutonis conjuge, Georg. 1. 39. De *Styge*, inferorum fluvio, Æn. 9. 323. De *Orco*, Deo inferorum, Georg. 1. 277.

700. *Iris croceis, &c.*) *Iris*, Deorum, & Junonis præcipue nuncia, Thaumantis & Electræ dicitur filia: quia arcus eſt cœleſtis, qui maximam colorum varietate admirationem facit: & *admiror*, Græce dicitur θαυμάζω. Eſt autem cœleſtis arcus, Solaris lucis pictura, in adverſa nube; eaque *roſcida*; id eſt, mox in pluviam ſolvenda. Colores refert varios, pro majori minorique nubis denſitate: præcipue purpureum, cæruleum, viridem, croceum, qui *crocum* florem refert, *zaffarano*. De *Dite*, Plutone, inferorum Deo, Georg. 4. 467.





# P. VIRGILII MARONIS
# ÆNEIDOS
## LIBER V.

### ARGUMENTUM.

*Æneas, e Libya in Italiam navigans, deflectere in Siciliam vi tempeſtatis cogitur: ubi ab Aceſte Trojano benevole exceptus, patri, quem illic ſuperiore anno mors abſtulerat, anniverſarium celebrat ſacrum, ludoſque quatuor, curſum navalem, ac pedeſtrem, ceſtuum pugnam, ſagittarum ejaculationem, quibus addit Aſcanius equeſtrem decurſum. Interim Trojanæ mulieres, Junonis impulſu, hortatu Iridis, tædio navigationis, incendunt naves: quarum quatuor exuruntur, ceteræ immiſſa a Jove pluvia ſervantur. Quare ſuadet Æneæ Nautes, ut avecto ſecum juvenum flore, ſenes ac mulieres in Sicilia relinquat. Firmat id conſilium Anchiſes in ſomnis: idemque ſuadet Æneæ, ut appulſus in Italiam adeat Sibyllam, eaque duce deſcendat ad inferos, ubi poſterorum ſeriem & eventus docebitur. Paret Æneas patris monitis, & condita in Sicilia urbe Aceſta, Neptuno per Venerem conciliato, ſolvit in Italiam: quo in curſu Palinurus navis gubernator dormiens in mare excutitur. Delineatus eſt hic liber ad exemplum libri Iliad. 23. ubi ludi ab Achille ad tumulum Patrocli celebrantur.*

INTEREA medium Æneas jam claſſe tenebat
Certus iter, fluctuſque atros Aquilone ſecabat,
Mœnia reſpiciens, quæ jam infelicis Eliſæ
Collucent flammis. Quæ tantum accenderit ignem,
Cauſa latet; duri magno ſed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid fœmina poſſit,
Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Oc-

## INTERPRETATIO.

*Interim Æneas jam tenebat navibus medium iter, certus* eundi, *& vento findebat fluctus nigros, reſpectans* ad *urbem, quæ jam ſplendet ignibus miſeræ Didonis. Ignoratur cauſa, quæ excitaverit tantum incendium: ſed acerbi dolores, violato magno amore, & id, quod furens mulier poteſt* facere, *cognitum* Trojanis, *deducunt animos Trojanorum in triſtia auguria. Poſtquam naves attigere* altum *mare, nec jam ulla terra amplius*
*appa-*

## N O T Æ.

1. *Medium.*) Non præciſe *mediam* itineris partem, Africam inter & Siciliam; hinc enim rogi flammas videre non potuiſſet: ſed *medium*, id eſt, *plenum mare*: quemadmodum Polyphemus Æn. 3. 665. *Graditurque per æquor jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.*

2. *Certus.*) Vel *certus eundi*, & ad petendam Italiam obſtinatus, ut Æn. 3. 554. *Celſa in puppi jam certus eundi carpebat ſomnos.* Vel *certus & gnarus itineris*, quod jam ſemel confecerat, Drepano in Italiam ſolvens, indeque tempeſtate retro actus in Africam, Æn. 1. 1.

*Aquilone.*) *Vento* generatim: neque enim Aquilone ſeptentrionali vento impelli ex Africa in Italiam potuit, ſed Auſtro potius, Aquiloni oppoſito: Ecl. 7. 51. De *Eliſa*, altero Didonis nomine, in argumento lib. 4. De *augurio*, quod hic pro præſagio univerſim ſumitur, Æn. 2. 703. De *Teucris*, Trojanis, Æn. 1. 239.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore:
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo Sole colores,
Devolat, & ſupra caput adſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat: omnis & una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

*ſed miſera ante tempus, & inflammata ſubito furore: nondum Proſerpina eripuerat illi flavum capillum, nec damnaverat ejus caput Stygio Orco. Igitur Iris rorifera, ducens ex oppoſito Sole mille colores varios, devolat per cœlum croceis alis, & ſtetit ſupra ejus caput: Ego juſſa offero Plutoni hunc crinem ſacrum, & libero te iſto corpore. Sic dixit, & dextra abſcindit crinem: & ſimul omnis calor effuſus eſt, ac vita abiit in aerem.*

N O T Æ.

natura, nec merito. In primis duabus fatalem crinem ſecari denuit Virgilius, in tertia negat; quaſi *fata* tantum, hominumque *merita*, ſub Deorum providentiam caderent, cujus eam falleret. At Dido cadit ante diem, non *fato* & natura, ſupra v. 620. Cadit *miſera*, non rea, nec merita. Igitur *caſu*. Quare crinis ipſi non amputatur.

698. *Flavum Proſerpina crinem.*) Credebant Græci Romanique, mori neminem poſſe, niſi Proſerpina morientis crinem abſtuliſſet, quaſi ſacras ſibi inferiſque primitias. Hujus opinionis multa ſunt in poſterioribus poetis veſtigia: nonnulla etiam in antiquioribus: in Euripidis Alceſtide v. 74. Θάνατος, ſive *Mors*, crinem ſacrum Alceſtidi amputat, pro conjuge Admeto morituræ. Hic Iris officio illo fungitur. Mos forte repetitus e ſacrificiis: ubi ſetas aliquot e media victimarum fronte decerpere, & in ignem conjicere ſolebant, Æn. 6. 245. Ita & in hominibus putabant fieri, quos Orco quaſi victimas mors demittebat. De *Junone*, cuſtode Carthaginis Dea, Æn. 1. 19. De *Proſerpina*, inferorum Dea, Plutonis conjuge, Georg. 1. 39. De *Styge*, inferorum fluvio, Æn. 9. 323. De *Orco*, Deo inferorum, Georg. 1. 277.

700. *Iris croceis, &c.*) *Iris*, Deorum, & Junonis præcipue nuncia, Thaumantis & Electræ dicitur filia: quia arcus eſt cœleſtis, qui maximam colorum varietate admirationem facit: & *admiror*, Græce dicitur Θαυμάζω. Eſt autem cœleſtis arcus, Solaris lucis pictura, in adverſa nube; eaque *roſcida*; id eſt, mox in pluviam ſolvenda. Colores refert varios, pro majori minorique nubis denſitate: præcipue purpureum, cæruleum, viridem, croceum, qui *crocum* florem refert, *zaffarano*. De *Dite*, Plutone, inferorum Deo, Georg. 4. 467.





# P. VIRGILII MARONIS
# ÆNEIDOS
## LIBER V.

### ARGUMENTUM.

*Æneas, e Libya in Italiam navigans, deflectere in Siciliam vi tempeſtatis cogitur: ubi ab Aceſte Trojano benevole exceptus, patri, quem illic ſuperiore anno mors abſtulerat, anniverſarium celebrat ſacrum, ludoſque quatuor, curſum navalem, ac pedeſtrem, ceſtuum pugnam, ſagittarum ejaculationem, quibus addit Aſcanius equeſtrem decurſum. Interim Trojanæ mulieres, Junonis impulſu, hortatu Iridis, tædio navigationis, incendunt naves: quarum quatuor exuruntur, cæteræ immiſſa a Jove pluvia ſervantur. Quare ſuadet Æneæ Nautes, ut avecto ſecum juvenum flore, ſenes ac mulieres in Sicilia relinquat. Firmat id conſilium Anchiſes in ſomnis: idemque ſuadet Æneæ, ut appulſus in Italiam adeat Sibyllam, eaque duce deſcendat ad inferos, ubi poſterorum ſeriem & eventus docebitur. Paret Æneas patris monitis, & condita in Sicilia urbe Aceſta, Neptuno per Venerem conciliato, ſolvit in Italiam: quo in curſu Palinurus navis gubernator dormiens in mare excutitur. Delineatus eſt hic liber ad exemplum libri Iliad. 23. ubi ludi ab Achille ad tumulum Patrocli celebrantur.*

INTEREA medium Æneas jam claſſe tenebat
Certus iter, fluctuſque atros Aquilone ſecabat,
Mœnia reſpiciens, quæ jam infelicis Eliſæ
Collucent flammis. Quæ tantum accenderit ignem,
Cauſa latet; duri magno ſed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid fœmina poſſit,
Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla



INTERPRETATIO.

*Interim Æneas jam tenebat navibus medium iter, certus* eundi, *& vento findebat fluctus nigros, reſpectans* ad *urbem, quæ jam ſplendet ignibus miſeræ Didonis. Ignoratur cauſa, quæ excitaverit tantum incendium: ſed acerbi dolores, violato magno amore, &* id, *quod furens mulier poteſt* facere, *cognitum* Trojanis, *deducunt animos Trojanorum in triſtia auguria. Poſtquam naves attigere* altum *mare, nec jam ulla terra amplius*



N O T Æ.

1. *Medium.*) Non præciſe *mediam* itineris partem, Africam inter & Siciliam; hinc enim rogi flammas videre non potuiſſet: ſed *medium*, id eſt, *plenum mare*: quemadmodum Polyphemus Æn. 3. 665. *Graditurque per æquor jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.*

2. *Certus.*) Vel *certus eundi*, & ad petendam Italiam obſtinatus, ut Æn. 3. 554. *Celſa in puppi jam certus eundi carpebat ſomnos.* Vel *certus & gnarus itineris*, quod jam ſemel confecerat, Drepano in Italiam ſolvens, indeque tempeſtate retro actus in Africam, Æn. 1. 1.

*Aquilone.*) *Vento* generatim: neque enim Aquilone ſeptentrionali vento impelli ex Africa in Italiam potuit, ſed Auſtro potius, Aquiloni oppoſito: Ecl. 7. 51. De *Eliſa*, altero Didonis nomine, in argumento lib. 4. De *augurio*, quod hic pro præſagio univerſim ſumitur, Æn. 2. 703. De *Teucris*, Trojanis, Æn. 1. 239.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Occurrit tellus, cœlum undique & undique pontus;
Olli cæruleus ſupra caput aſtitit imber,
Noctem hyememque ferens; & inhorruit unda tenebris,
Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus,
Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis,
Obliquatque ſinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non, ſi mihi Jupiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.
Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus: ſuperat quoniam fortuna, ſequamur;
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portuſque Sicanos:
Si modo rite memor ſervata remetior aſtra.

Tum

*apparet*, ſed *undique cœlum & undique mare: cærulea pluvia incubuit illi in caput, invehens noctem ac tempeſtatem: & aqua inhorruit tenebris. Ipſe gubernator Palinurus ex alta puppe* exclamat: *Heu! quare tanti nimbi circumdederunt cœlum? quidve præparas* nobis, *o pater Neptune? Sic locutus, deinde imperat* eos *ſumere arma* nautica, *& incumbere fortibus remis, & tendit oblique vela ad ventum, & talia dicit: Generoſe Ænea, etiam ſi auctor Jupiter mihi promitteret, non ſperarem attingere Italiam hac cœli* temperie. *Venti mutati e tranſverſo fremunt, & flant ab obſcuro occidente; & aer denſatur in nubes. Nec nos poſſumus obluctari contra*, ac *ne progredi quidem: obſequamur, ſiquidem fortuna vincit: & convertamus iter, quo* nos *vocat. Et puto non procul* eſſe *fida regna Erycis fratris* tui, *& portus Siculos: ſi modo bene memor remetior ſidera* jam *obſervata.*

Tunc

N O T Æ.

11. *Noctem hyememque.*) *Tempeſtatem cum nocte.* Nocte enim hanc tempeſtatem contigiſſe hinc patet, quod aſtra tum obſervari poterant, infra v. 25. *Si modo rite memor ſervata remetior aſtra.* Porro *hyemem ſumi* pro tempeſtate diximus Æn. 1. 126. Habentur hæc duo carmina etiam Æn. 3. 194. 195.

13. *Quianam.*) Jovianus Pontanus reſcribit: *quinam tanti*. Sed contra codices omnes, atque interpretes. Et vero vox Enniana eſt; *Heu! quianam dictis noſtris ſententia flexa eſt?* quam antiquitatis cauſa affectatam a Virgilio ait Quintilianus. De *Neptuno*, Æn. 1. 129. 134.

15. *Colligere arma, &c.*) *Arma* cujuslibet artis inſtrumenta ſunt, ut vidimus Æn. 1. 181. Atque ita ſupellex omnis nautica, *vela, rudentes, remi*. Obnixe tamen contendit Cerdanus, *arma*, in re nautica, nihil ligneum ſignificare; atque adeo non *remos*, ſed *vela* tantum & his affinia. Quod quanquam curioſius notatum puto, tamen favet ipſi vox *colligere*, quæ proprie de velis dicitur. Erit igitur hic ſenſus, juxta ipſum: *Jubet colligi & contrahi vela*, ne tranſverſi venti e curſu dejiciant: *jubet incumbi remis*; ut quantum eos e recto itinere ventorum vis amovebit, tantum labor atque induſtria provehat; *jubet vela, non omnino contrahi, ſed obliquari*; ut aura venti ſaltem aliqua captetur, quæ remigantes adjuvet. De illa *obliquatione*, infra v. 830. De *Italia*, Æn. 1. 534.

19. *Tranſverſa.*) Neutrum plurale, pro adverbio: Græco more. Sic Æn. 9. 125. *Amnis rauca ſonans.*

*Veſpere.*) *Occidente.* Cauſam habes Æ. 1. 534. Et miror dici ab accuratis interpretibus, Taubmanno, Cerdano, curſum Æneæ tum ad occidentem fuiſſe: manifeſtum enim eſt, Carthagine ſolventibus Italiam, quo tunc Æneæ curſus erat, eſſe ad ſeptentrionem. Itaque verba hæc, *veſpere ab atro conſurgunt venti*, ſuperiora explicant, *mutati tranſverſa fremunt*; erat enim tum tranſverſus Æneæ ventus occidentalis, & plane in Siciliam propellebat; unde concludit Palinurus, *quoque vocat, vertamus iter*, ſcilicet in Siciliam.

24. *Fraterna Erycis.*) *Eryx* filius *Butæ* communem creditus eſt cum Ænea matrem habere *Venerem*; reipſa *Lycaſten* Siculam meretricem, quæ ob formæ elegantiam, uſitato veteribus ſermone *Venus* appellata eſt. Avum habuit *Amycum*, regem Bebrycum circa Pontum, qui ceſtuum certamine occiſus eſt a Polluce: quapropter fugiens Butes regnũ in Sicilia conſtituit: Eryx pariter ab Hercule ceſtibus occiſus eſt, infra v. 411. Ex eo nomen datum *Eryci* monti atque urbi circa Lilybæũ occidentale Siciliæ promontoriũ, de quo Æ. 3. 706. quo nunc

iter



Tum pius Æneas: Equidem ſic poſcere ventos
Jamdudum, & fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An ſit mihi gratior ulla,
Quoque magis feſſas optem dimittere naves,
Quam quæ Dardanium tellus mihi ſervat Aceſten,
Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?
Hæc ubi dicta, petunt portus, & vela ſecundi
Intendunt zephyri: fertur cita gurgite claſſis;
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelſo miratus vertice montis
Adventum, ſociaſque rates, occurrit Aceſtes,
Horridus in jaculis & pelle Libyſtidis urſæ:
Troia Crimiſo conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, & gaza lætus agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera cum primo ſtellas oriente fugarat

Clara

*Tunc pius Æneas* ait: *Certe video ventos petere hoc jamdiu, & te incaſſum contra obniti. Detorque iter velis. An ulla terra* poteſt *eſſe mihi gratior, &* ad *quam potius cupiam appellere naves feſſas, quam quæ ſervat mihi Trojanum Aceſten, & continet ſinu oſſa patris Anchiſæ? Poſtquam ea dicta* ſunt, *tendunt* ad *portum, & zephyri faventes inflant vela: claſſis velox mari provehitur, ac demum læti applicantur noto litori. At Aceſtes eminus ex alto cacumine montis admiratus adventum ſociarum navium, venit obviam, terribilis ob jacula, & pellem urſæ Libycæ: hunc mater Trojana peperit conceptum e Crimiſo fluvio. Ille, non oblitus veterum patrum, gratulatur reverſis, & lætus excipit pro ruſtica opulentia, & reficit fatigatos amicis opibus. Cum poſtera dies clara pepuliſſet ſtellas e primo oriente,*

Æneas

N O T Æ.

iter Trojani deflectunt. De *Sicanis*, antiquis Siciliæ populis, Æn. 3. 687.

25. *Remetior.*) Nota enim erant jam inde maria illa Palinuro, ut modo diximus.

36. *Aceſtes, &c.*) De hujus genere multa e Græcis afferunt admodum ambigua Hortenſius & Cluverius. Ex iis iſta colligo. Laomedon, rex Trojanus, offenſus viro nobili, cujus fraude coactus erat Heſionem filiam ſuam marinæ belluæ exponere, viciſſim tres ejus filias Siculis nautis tradidit, vel mari ſubmergendas, vel quo luberet avehendas. His in Siciliam appulſis, una e Trojanis tribus puellis filium ſuſcepit, vel ex adoleſcente Trojano, qui ſe illis præ amore comitem addixerat, juxta Dionyſium Halicarnaſſeum; vel ex Crimiſo amne in canem converſo, juxta Lycophronem. Hic hujus filius, reverſus Trojam Priami temporibus, inde iterum poſt Trojæ excidium in Siciliam regreſſus eſt, & ſecum Elymum advexit. Ibi recepti a Sicanis, & agris donati, mox Æneam eodem appulſum exceperunt, & cum eo varias illic ſtatuerunt urbes ad occidentalem Siciliæ partem, de quibus infra v. 755. Porro pater puellarum trium a Lycophrone *Phœnodamas*, a Servio & Pomponio *Hippotes* appellatur. Hujus filia Crimiſi uxor, a Servio & Pomponio *Egeſta*. Egeſtæ filius, de quo hic agitur, a Stephano *Egeſtus*, a Dionyſio *Ægeſtus*, a Tzetze *Ægeſtes*, a Virgilio & Silio *Aceſtes*. Fluvius pater, ex Lycophrone *Crimiſſus*, ex Diodoro *Cremiſſus*, ex Plutarcho *Crimeſus*, ex Cornelio Nepote *Crimiſſus*, ex Virgilii variis exemplaribus *Crimiſus*, *Crimniſus*, & omnino emendatiſſime, ut contendit Cluverius in Sicilia l. 2, 2. *Crimiſus*. Hic modo, ut idem luculenter probat, non eſt brevis ille fluvius, ad Segeſtam urbem in mare Tyrrhenum influens, vulgo *Freddo*, ut multi putant; ſed major alius, ex agro Panormitano & ſeptentrionali Siciliæ parte in meridionalem decurrens, qui cum *Hypſa* fluvio denique commixtus, cum eo in mare Libycum devolvitur ad Selinuntem urbem, cum Hypſa communi dictus nomine *Belici*, aut *Belici deſtro*, qua in dextram Hypſæ ripam influit.

37. *Horridus in, &c.*) *In* præpoſitio adhibetur hoc modo ad ſignificandum habitum Æn. 4. 518. *In veſte recincta*. *Pellium* antiquiſſimus uſus eſt ad veſtes, tamen poſt arborum folia. *Urſos* Plinius negavit naſci in Africa, ob calidiorem cœli temperiem: Cerdanus tamen multis defendit Virgilium, inprimis auctoritate Solini c. 29. *Numidici urſi forma cæteris præſtant, villis profundioribus*. Lipſius urſos Numidicos & Libycos a Romanis dictos putat non veros *urſos*, ſed *leones*; quemadmodum *elephantos*, ab iiſdem *boves lucas*, ob inſolitam formam, cui nomen ex notiore animali imponebant. *Lybiſtidis*, a *Lybiſtis*, gentile nomen eſt per pleonaſmum formatũ



a pro-

Clara dies, ſocios in cœtum litore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto a ſanguine Divum,
Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique oſſa parentis
Condidimus terra, mœſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adeſt; quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic Dii voluiſtis, habebo.
Hunc ego Getulis agerem ſi Syrtibus exul,
Argolicove mari deprenſus, & urbe Mycenæ:
Annua vota tamen, ſolemneſque ordine pompas
Exequerer, ſtrueremque ſuis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipſius & oſſa parentis,
Haud equidem ſine mente, reor, ſine numine Divum,
Adſumus, & portus delati intramus amicos.



*Æneas advocat ſocios in concionem e toto litore, & ex ſummitate tumuli ſic loquitur: Trojani magni, gens e nobili ſanguine Deorum, completur annuus circulus menſibus tranſactis, ex quo mandavimus terræ reliquias & oſſa divini patris, & dedicavimus altaria funebria. Et jam niſi decipior, adeſt dies; quem ſemper exiſtimabo mæſtum, ſemper colendum; ſic voluiſtis, o Dii. Ego ſi hunc diem tranſigerem exul in ſyrtibus Getulis, aut interceptus mari Argolico, vel in urbe Mycenis: tamen celebrarem annua vota, & ſolemnes cæremonias juxta ritum, & cumularem altaria congruis muneribus. Nunc libenter adſumus ante cineres & oſſa ipſius patris, certe non ſine conſilio & ſine voluntate Deorum,* ut puto: & vento *impulſi ingredimur portus amicos.*



NOTÆ.

a proprio *Libys*. Legunt tamen aliqui *Libyſſidis*: ut ſit a *Libys*, *Libyſſa*; a *Libyſſa*, *Libyſſis*, *Libyſſidis*. De *gaza*, opibus, Æn. 1. 123.

44. *Tumuli aggere.* ) *Agger*, aggeſtio eſt, vel lapidum, vel terræ, unum in locum. *Tumulus*, eſt terræ *tumor*, ex illa aggeſtione: unde tam pro *ſepulcro*, quam pro *colle* uſurpatur: hic pro *colle*.

45. *Dardanidæ*.) A Dardano Jovis filio orti; ideo *a ſanguine Divum*.

46. *Annuus exactis, &c.*) Anniverſarius recurrit dies, Anchiſæ morte conſignatus. Igitur Anchiſes vere ineunte, hyeme exeunte, obierat. Patet id, quia I. tempus hoc ipſum adhuc hybernum vocat Dido, Æn. 4. 309. *Hyberno moliris ſidere claſſem*. II. in ipſa profectione Trojani *frondentes ferunt ramos*, Æn. 4. 399. ex Africa autem in Siciliam curſus vix duorum triumve dierum eſt. III. Incerta tum erat cœli temperies, qualis primo vere: ſolvit Æneas ex Africa ſudo cœlo, mox tempeſtas oritur, nunc dubitat utrum ſubſequens dies nona ſerena futura ſit, v. 64. *Si nona diem &c.* IV. Terra tum veſtita erat gramine & floribus, v. 76. *Purpureoſque jacit flores*, v. 287. *Tendit gramineum in campum*. Nec tamen inde ſequitur Æneidos opus annuum ſpatium prætergredi, ut notavimus in argumento Æneidos.

48. *Condidimus terra.*) Non totum ipſum cadaver, qui ſepulturæ noſtræ mos eſt: ſed combuſti corporis *reliquias*, *oſſa*, *cineres*, quæ e buſto collecta tumulo deinde ac terræ mandaverit. Etſi enim apud veteres in uſu fuerit, cadavera unguentis condita terræ mandare, uſitatius tamen comburere, præſertim virorum illuſtrium apud Græcos: ſic Patroclus ab Achille comburitur, ac deinde tumulatur, Iliad. 23. Sic Miſenus ab Ænea, Æn. 6. De *aris geminis* ad ſepulcra ſtruendis, Æn. 3. 62. De *Getulis* Africæ populis, qui ad *Syrtes* uſque pertinent, Æn. 3. 40. De *Syrtibus*, importuoſis litoris Africani oris, Æn. 1. 115.

52. *Argolico mari.* ) *Argolico ſinu*, qui pars eſt Ægæi maris ad orientem Peloponneſi. *Urbe Mycenæ*: ut Æn. 1. 251. *Urbem Patavi*. Habent aliqui codices *Mycene*, *Mycena*, *Mycenis*. *Argos* & *Mycenæ*, urbes Peloponneſi, Æn. 1. 288.

54. *Strueremque ſuis altaria donis.* ) *Struerem*, explicat Taubmannus *cumularem*: unde *ſtructor* dicebatur in re coquinaria, qui fercula ſtruebat, ſcite componebat, cumulabat. *Suis donis*, congruis; congrua autem erant mortuis dona, *lac*, *vinum*, *mel*, *ſanguis*: ut diximus Æn. 3. 63. & mox videbitur v. 76.

56. *Sine mente, ſine numine.* ) Sine conſilio, & voluntate Deorum. De *numine* hoc ſenſu, Æn. 1. 137.

59. *Poſcamus ventos.* ) Ab ipſo Anchiſa, quem ut Deum colere inſtituit. *Divinique oſſa parentis*. Hujus autem divini cultus notæ ſunt *aræ*, *ſacra*, *ludi*, *templa dicata*, *vota* pro ventis obtinendis. Quorum tamen aliqua in communibus mortuorum omnibus funeribus uſurpabantur.

62. *Adhibete Penates.* ) De *Penatibus*, Æn. 2. 717. Quomodo *adhiberentur epulis*, Æn. 3. 177.





Ergo agite, & lætum cuncti celebremus honorem:
Poſcamus ventos, atque hæc me ſacra quotannis
Urbe velit poſita templis ſibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in naves: adhibete Penates
Et patrios epulis, & quos colit hoſpes Aceſtes.
Præterea, ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiiſque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis.
Quique pedum curſu valet, & qui viribus audax,
Aut jaculo incedit melior, leviburſque ſagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere ceſtu;
Cuncti adſint, meritæque expectent præmia palmæ.
Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.



*Agite igitur, & omnes lætum ſacrificium peragamus: petamus ventos* ab eo, *& ut patiatur me urbe condita ſingulis annis perſolvere hæc ſacrificia* in *templis ſibi dedicatis. Aceſtes oriundus Troja donat vobis corpora boum duo numero per naves* ſingulas: *invitate ad epulas penates, & patrios, & eos, quos hoſpes Aceſtes veneratur. Inſuper, ſi nona Aurora protulerit hominibus diem ſerenum, & luce detexerit orbem, proponam Trojanis pugnam velocium navium. Et qui valet curſu pedum, & qui incedit fidens viribus, aut ſolertior jaculo, vel levibus ſagittis, ſive* qui *audet conſerere pugnam duro ceſtu: hi omnes adſint, & expectent præmia merita victoriæ. Favete omnes linguis, & circumdate caput ramis. Sic loquutus, tegit caput myrto matris* ſuæ.



NOTÆ.

64. *Si nona, &c.* ) *Si*, aliis *dubitantis* eſſe videtur, qui ideo *almum* interpretantur *ſerenum*: & ſenſus erit: *ludi nona die celebrabuntur, ſi ſudum erit*; ſin minus, in aliam diem remittentur. Aliis videtur eſſe *affirmantis*: & abſolute ſenſus eſt: *cum aurora extulerit nonum diem*. Sic explicuimus Æn. 1. 603. *Si qua pios reſpectant numina*. Per *nonam diem*, alludit ad novendialia Romanorum ſacra pro mortuis: ſervabantur enim domi cadavera ſeptem dies, octavo cremabantur, nono reliquiæ ſepulcro mandabantur.

66. *Ponam certamina.* ) Vox in ea re ſolemnis, *ponere*. Sic apud Græcos, ludorum ejuſmodi deſignator dicebatur ἀγωνοθέτης ab ἀγὼν *certamen*, & τίθημι *pono*.

68. *Incedit.* ) Sic Æn. 1. 50. *Divum incedo Regina*. Quæ quamquam ad majeſtatem inceſſus pertinere videri poſſunt, occurrit tamen mihi, *incedo* a poeta dici pro *ſum*. Sic uſurpatur & *venio*, Georg. 1. 29. *An Deus immenſi venias maris*. De *ceſtu*, chirotheca e corio bubulo *crudo*, infra v. 405.

71. *Ore favete omnes.* ) Paſſim apud alios auctores, *Favete linguis*. Quibus formulis dubium eſt, *ſilentium*, an *plauſus* & acclamatio indicatur. Pro *ſilentio* facit locus Senecæ lib. de vita beata c. 27. *Quoties mentio ſacrarum literarum intervenerit, favete linguis. Hoc verbum, non ut plerique exiſtimant, a favore trahitur; ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi poſſit ſacrum, nulla voce mala obſtrepente*. Pro *plauſu* & acclamatione facit Ovid. Met. 15. 677. *En Deus eſt, Deus eſt, animis, linguiſque favete. Quiſquis adeſt viſum veneratur numen, & omnes Verba ſacerdotis referunt geminata, piamque Æneadæ præſtant & mente & voce ſalutem*. Idem in Ibin v. 96. *Quiſquis ades, ſacris ore favete meis. Quiſquis ades, ſacris lugubria dicite verba*. Hæc ut conciliem, exiſtimo, non perpetuum *ſilentium* indici, neque perpetuam *acclamationem*; ſed omnino *attentionem* ad ſacra, ut ea tantum dicant, quæ ſacrorum ritu dicenda ſunt: a cæteris omnibus verbis abſtineant. Interpretationem adjuvat Ovidius loco citato, cum dicit, *animis linguiſque favete*; quibus eumdem *animis* ac *linguis* exhiberi favorem jubet. At non jubet, nihil omnino animis interim ac mente cogitari, ſed ea duntaxat quæ ad Deos, & ſacra pertineant; ita nec omnino nihil dici, ſed ea quæ eo etiam ſpectent. Et vero Seneca vocem tantum *malam* & *obſtrepentem* arcet; Horatius Od. l. 3. 1. tantum *profanum vulgus*, id eſt, profanis ſermonibus indulgens: Ovidius loquentes inducit ea ſolum, quæ ſacrificio conveniant, ut patebit ſuperiora exempla relegenti. Latins autem veteres hujus auctores formulæ, cum eam vocibus ambiguis expreſſerunt, *favete ore*, *linguis*; non autem *favete verbis*, *ſermone*, *ſilentio*; indicare videntur voluiſſe tempeſtivas illas loquendi ac tacendi vices.

72. *Materna myrto.* ) Veneri, Æneæ matri, dicata arbore. Unde ad coronas aſſumi ab Ænea decuit, ut deinde a Romanis in ovatione, Ecl. 2. 52.

73. *Elymus.* ) Hic, ex Strabone, Dionyſio, Lycophronis interprete Iſaaco Tzetze,

Hoc Elymus facit, hoc ævi maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cætera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro:
Purpureoſque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, ſancte parens: iterum ſalvete, recepti
Nequicquam cineres, animæque, umbræque paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Auſonium, quicumque eſt, quærere Tybrim.
Dixerat hæc, adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapſuſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo Sole colores.

90 Obſtu-

*Elymus idem facit, idem Aceſtes grandior natu, idem puer Aſcanius: quos reliqua juventus imitatur. Æneas cum multis millibus ibat e concione ad ſepulcrum medius in magna turba circumfuſa. Illic juxta ritum effundit ſtillans in terram duo pocula puri vini, duo lactis recentis, duo ſanguinis ſacri: ſpargitque flores purpureos, & profert talia: Salve, ſancte pater: ſalvete rurſus, fruſtra recuperati cineres, & anima, & umbra paterna. Non fas fuit quærere tecum regionem Italam, & agros fatales, nec Auſonium Tybrim, quiſquis ille ſit. Hæc protulerat, cum ſerpens lubricus, ingens, eduxit ex intimis penetralibus* ſepulcri *ſeptem ſinus, ſeptem plexus; tranquille circumdans ſepulcrum, & labens inter aras: cui maculæ cæruleæ illuſtrabant dorſum, & fulgor auro interpunctus ſquamas: quemadmodum arcus* in *nubibus concipit mille diverſos colores, Sole oppoſito.*

*Æneas*

## N O T Æ.

fuit Trojanus. Poſt excidium Trojæ in Siciliam ab Acceſte advectus fuit, ut diximus v. 36. Addit Tzetzes, fuiſſe ſpurium Anchiſæ filium. Teſtatur Dionyſius, regio genere ortum eſſe: ideoque novos illos Siciliæ incolas Trojanos, univerſim ſuo nomine *Elymos* appellaſſe. Negare videtur Virgilius fuiſſe Trojanum Anchiſæ filium, & regio ſanguine oriundum: ſiquidem eum conceptis verbis Siculum teſtatur v. 300. *Tum duo Trinacrii juvenes, Elymus, Panopeſque.* Deinde nullam ei laudem ab Æneæ conſanguinitate, & regia origine tribuit: quod certe non omiſiſſet, qui eodem loco v. 297. Diorem commendat a *ſtirpe Priami*, & v. 24. Erycem *fratrem Æneæ* appellavit. Itaque hoc unum fatetur v. 391. Elymum fuiſſe *comitem ſenioris Aceſtæ*: cui ſe comitem adjungere tam in ipſa Sicilia, quam in Troade potuit.

77. *Carcheſia Baccho.*) De *Carcheſiis*, poculis Georg. 4. 380. De *Baccho*, vino, Ecl. 5. 69. De *ſacris funebribus*, lacte, vino, ſanguine, Æn. 3. 62.

78. *Purpureos flores.*) Vel roſas intelligit, flores dicatos Veneri, Anchiſæ amatrici; vel generatim flores quoſcumque purpureos.

80. *Iterum ſalvete recepti.*) *Iterum ſalvete*: non autem, *iterum recepti. Iterum*, inquit; ſive quia jam anno ſuperiore exequiis patrem honoraverat, ſalutaveratque funebri more; ſive quia modo dixit, *ſalve, ſancte parens*; ergo *iterum ſalve*: ter enim extrema illa ſalutatio repetebatur in Romanorum funeribus *vale*; cui ſynonymum eſt *ſalve*, ex Varrone apud Servium: non quod ſalutem iis valetudinemque optarent, qua frui ultra non poterant; ſed pacem ſaltem & gaudium in altero ſtatu. *Recepti nequicquam cineres.*) Per *cineres*, ait Servius, patrem intelligit, quem e Trojano excidio fruſtra liberaverat. Immo, *cineres*, ipſos intelligit, quos anno ſuperiore reliquerat in Sicilia, nunc autem recipit reditu ſuo, ac reviſit; *nequicquam tamen*; quia non confert reditus, ut cum eo adire Italiam liceat. *Animæque umbræque.*) Vel plurali numero uſus eſt pro ſingulari, ut paſſim poetæ: vel reipſa plures putavit eſſe animas, de quibus commodius diſſeremus Æn. 6. v. 724. & ſequentibus.

82. *Fines Italos.*) De *Italia*, Æn. 1. 534. De *Auſonia*, Italiæ nomine, Æn. 3. 171. De *Tybri*, Italiæ fluvio, Æn. 1. 17. De *adytis*, locis intimis, Æn. 2. 297. De *ſquamis*, Georg. 4. 13. De *arcu*, ſeu *Iride*, Æn. 4. 700. De *agmine*, in ſerpentibus, Georg. 3. 423. De verbo *libavit*, deguſtavit, Æn. 1. 740.

93. *Depaſta altaria.*) Non ab igne, victimas conſumente, nondum enim cæſæ fuerant victimæ, ſed ab ipſo ſerpente, qui prima dona libaverat.

94. *Inſtaurat.*) Renovat incepta ſacrificia; jam



Obſtupuit viſu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras & levia pocula ſerpens,
Libavitque dapes, rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores:
Incertus, Geniumne loci, famulumne parentis
Eſſe putet: cædit quinas de more bidentes,
Totque ſues, totidem nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos.
Necnon & ſocii, quæ cuique eſt copia, læti
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii: fuſique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viſcera torrent.
Expectata dies aderat, nonamque ſerena
Auroram Phaethontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos & clari nomen Aceſtæ

Excie-

*Æneas videns ſtupefactus eſt: ille demum repens longo tractu inter pateras poculaque polita, & deguſtavit cibos, & innocuus rediit iterum* in *profundum ſepulcrum, & reliquit aras deguſtatas. Tanto magis Æneas perficit ſacra inchoata* in honorem *patris: dubitans, an* Genium *loci, an famulum patris exiſtimet eum eſſe: mactat juxta conſuetudinem quinque oves, & totidem ſues, totidem juvencos nigros tergoribus: & effundebat vinum e pateris; & appellabat animam magni Anchiſæ, & manes* ejus *emiſſos* ex *inferis. Pariter & ſocii offerunt læti munera* ſecundum *facultatem, quæ eſt unicuique: & onerant altaria, & immolant juvencos. Alii diſponunt ærea* vaſa per *ordinem, & ſtrati ſuper herba ſupponunt prunas verubus, & torrent viſcera. Dies optata advenerat, & jam equi Phaethontis advehebant nonam Auroram ſereno lumine: & fama ac nomen illuſtris Aceſtæ eduxerat vicinos:*

*occu-*

## N O T Æ.

jam enim fuderat vina v. 78. moxque iterum fundit v. 98. Quid ita? an quia ſacrificia ſerpentis occurſu turbata eſſe putabat? At bono erat omini ſerpentis occurſus. An quia cum prævia ſacrificia e floribus & liquoribus, quaſi mortuo homini obtulerit; nunc viſo ſerpente, majora offerenda exiſtimat, quaſi heroi, inter Deos admiſſo? Certe non admodum diverſa ab his ſacrificia Plutoni, Proſerpinæ, Diiſque inferorum aliis offert, Æ. 6. 243.

95. *Geniumne loci, famulumne, &c.*) *Genii* & cuſtodes locis, urbibus, domibus attribui ſolebant; ut & hominibus ſingulis attribui ſolitos diximus Ecl. 4. 63. *Famulos* item majoribus Diis ſuos aſſignabant, eoſque e brutis animantibus plerumque aſſumptos. Sic Æn. 6. 190. columbæ miniſtræ ſunt Veneris, ut Æneam ad auream arborem deducant. Sic ex Silio Italico l. 13. 124. apud Capuam: *Numen erat jam cerva loci, famulamque Dianæ credebant.* Sic aquila Jovi, ſic ex Plutarcho in Cleomene dracones heroibus ſacri putabantur: unde hic *anguis* Anchiſæ famulus.

96. *Cædit quinas de more bidentes.*) Vel *cædit de more*, id eſt, non per ſeipſum, ſed per famulos, more pontificum Romanorum. Vel *oves de more bidentes*, id eſt, *biennes*, aut *ambidentes*, de quibus Æn. 4. 57. Vel *quinas, de more* cœleſtibus Diis adhibito; quibus numero impari victimæ cædebantur, quia *numero Deus impare gaudet*: inferis autem numero pari, Æn. 6. 243. Igitur offert Æneas patri quinque pecudes, ut jam cœleſti Divo, eaſque nigrantes, ut ex inferis aſſumpto. Notatque Turnebus ejuſmodi ſacrificia Romanis *ſuovetaurilia* dicta eſſe; quæ *ſue, ove, & tauro* fiebant.

98. *Animamque vocabat, &c.*) Non ſimpliciter inclamat, invitatque ad ſepulcrales aras, ut ſacrificiorum ſanguine paſcatur: quemadmodum paſcuntur animæ mortuorũ, imprimiſque Tireſiæ apud Homer. Odyſſ. 11. 95. quemadmodum Achilles tota nocte circa Patrocli rogum vina fundit, animam ejus vocans, Iliad. 23. 221. Non ita inquam. Sed *invocat*, ut ſibi adſit propitius pater, cujus *manes Acheronte remiſſos* putat, & inter Deos vitam degere. De *Acheronte*, inferorum fluvio, Æn. 6. 242. De *manibus* Georg. 4. 469.

101. *Ahena.*) Vaſa ærea: vel ad lavanda corpora, vel ad elixandas carnes. Licet enim Homerus heroibus ſuis elixas carnes non paret, ut notat Plato de rep. l. 3. has tamen prius etiam illis temporibus in uſu fuiſſe notavimus, Æn. 1. 215. De *epulis* poſt ſacrificia plura vide Æn. 8. 180.

105. *Auroram Phaethontis equi.*) *Phaethon* hic, vel Solis eſt filius, qui cum a patre diurnum regimen currus extorſiſſet precibus, & equos inſcite regeret, ex iis a Jove in

Erida-

Excierat: læto complerant litora cœtu;
Viſuri Æneadas, pars & certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio: ſacri tripodes, virideſque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus; armaque, & oſtro
Perfuſæ veſtes, argenti aurique talenta:
Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor ex omni delectæ claſſe carinæ.
Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin;
Mox Italus Mneſtheus, genus a quo nomine Memmi:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus; triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt, terno conſurgunt ordine remi.

Serge-

*occupaverant litus hilari multitudine, partim viſuri Trojanos, partim etiam parati certare. Primo præmia ſtatuuntur ob oculos & in medio circo: ſacri tripodes, & virentes coronæ, & palmæ, dona victoribus* deſtinata; *& arma, & veſtes intinctæ purpura, pondera argenti & auri: & medio e tumulo tuba canit indictos ludos. Quatuor naves, pares vaſtis remis, electæ e tota claſſe, incipiunt primum certamen. Mneſtheus agitat fortibus remigibus celerem Priſtin; Mneſtheus*, inquam, *mox Italus, a quo nomine oritur familia Memmii: & Gyas magnam Chimæram, magna mole, opus* inſtar *urbis; quam juvenes Trojani triplici verſu impellunt*, cui *remi ſurgunt triplici ordine.*

*Et*

## N O T Æ.

Eridanum Italiæ fluvium fulmine excuſſus eſt: Ovid. Met. 2. Vel potius *Sol* ipſe eſt, qui dicitur ab Homero Odyſſ. 11. 320. Ἥλιος φαέθων, *Sol Phaethon*, id eſt, *ſplendens*. Ejus equi quatuor, *Pyrois* a πῦρ *ignis*; *Eous*, ab ἠὼς *Aurora*; *Æthon*, ab αἴθω *uro*; *Phlegon*, a φλέγω *inflammo*. De *Aurora*, Georg. 1. 249.

110. *Tripodes &c.* ) *Tripus* proprie ſellæ menſæque ſpecies, tribus nixæ pedibus; cui quandoque inſidebantur, ſæpe imponebantur lebetes cratereſque ad libamina, Æ. 3. 359. *Sacer* dicitur, quia in templo Delphico, reque omni divina magni erat uſus; tum viris fortibus donabatur in præmium, unde Horat. Od. l. 4. 8. *Donarem tripodas præmia fortium Grajorum.*

111. *Et palmæ, pretium victoribus.* ) Id eſt, pretium ſolemne & vulgare victoribus omnibus. Quærit enim Plutarchus Sympoſ. l. 8. quæſt. 4. *Cur ſacrorum certaminum aliud aliam habeat coronam, palma ſit communis omnibus.* Reſpondetque hoc ideo uſu veniſſe, quod virto forti palma perſimilis, non deprimatur onere, ſed contra magis obluctetur. De *oſtro*, oſtreo, ſive conchylio, unde purpura exprimitur, Georg. 2. 506.

112. *Talenta.* ) Τάλαντον, a ταλάω *ſuffero*: quia primo libram ſignificavit, qua pondera appenduntur: tum quodvis magnum auri argentique pondus; denique certum determinatumque pondus, varium tamen apud varias gentes. Celebratiſſimum Atticum talentum, quod ſic deſcribitur a Rhemnio Fannio:

*Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum,*
*Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas,*
*Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.*

Porro *drachma* Attica, *denario* Romano, & *gros* Francico æquiparatur. *Groſſus* pars eſt *marcæ* ſexageſima quarta. *Marca* ſignati argenti hoc anno 1714. Ludoviceos argenteos capit octo; hoc eſt, libras noſtras ſive Francicos quadraginta. Groſſus igitur valet octo ſolidos cum denariolis paullo minus ſex: qui groſſi ſexies millies repetiti Francicos conficiunt 2550. Et hic valor eſt *argentei talenti* Attici ad modum noſtrum revocati. *Aurei* autem *talenti* valorem conjicies, habita auri cum argento comparatione: aurum enim Græcum Romanumque duodecies argenti valorem; Francicum ſexies etiam ac decies & amplius nunc ſuperat. *Cætera*, infra v. 248.

114. *Prima pares, &c.* ) I. LUDUS, *navium decurſus*. Cujus exemplum in Homero non habuit Virgilius; nec vero voluit curſum illius equeſtrem imitari, quia Homerus in eo plus operæ ſtudiique poſuerat; ludos alios imitatus eſt, quos ille minus diligenter ſcripſerat, Iliad. 23.

116. *Priſtin, &c.* ) Naves quatuor, æquales magnitudine ac robore, ſuis inſignit nominibus, quæ e pictis in puppi monſtris repetit. Primæ *Priſtis* appicta erat marina bellua, e balænarum genere, de qua Æn. 3. 427. Secundæ *Chimæra*, ignivomum ac triforme monſtrum: quod ex Ovid. Metam. 9. 649. *mediis in partibus hircum, pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat*. De ea Æn. 6. 288. Tertiam ornabat *Centauri* pictura ex equina & humana ſpecie conflata, de quo genere Georg. 2. 456. Quartam *Scyllæ*,

mari-



Sergeſtuſque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna: Scyllaque Cloanthus
Cærulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra
Litora; quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt ubi ſidera Cori:
Tranquillo ſilet, immotaque attollitur unda
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit, ſignum nautis, pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.
Tum loca ſorte legunt: ipſique in puppibus auro
Ductores longe effulgent oſtroque decori:

Cætera

*Et Sergeſtus, a quo familia Sergia trahit nomen, vehitur Centauro magna: & Cloanthus, unde tibi origo eſt, o Cluenti Romane, vehitur Scylla cærulea. Procul in mari, adverſus ſpumoſum litus, eſt rupes, quæ aliquando merſa verberatur fluctibus, quando hyemales Cori abſcondunt aſtra: at tranquillo* tempore *ſilet, & erigitur ex immotis aquis*, veluti *campus, & perfugium gratiſſimum mergis apricantibus. Illic pater Æneas ponit metam e frondoſa ilice*, quæ eſſet *ſignum nautis: a qua ſcirent redire, & circa quam flectere longos circuitus. Deinde ſorte capiunt loca: & ipſi duces e puppibus procul reſplendent, inſignes auro & purpura:*

*reli-*

## N O T Æ.

marini in freto Siculo monſtri, effigies, quam explicuimus Æn. 3. 427.

117. *Mox Italus Mneſtheus, &c.* ) Ut nobilibus Romanorum familiis gratificetur, eas a Trojanis deducit, a Mneſtheo *Memmios*, a Sergeſto *Sergios*, a Cloantho *Cluentios*. Addunt alii etiam, a Gya, *Geganios*: quod tamen Virgilii teſtimonio caret.

119. *Urbis opus.* ) *Urbis inſtar*; in qua tantum operis fuerat, quantum in urbe poſitum. Sic apud Cicer. Ac. in Ver. 5. 88. *Erat illa navis conſtrata, & ita magna, ut ſi in prædonum pugna verſaretur, urbis inſtar haberi inter illos pyraticos myoparones videretur.*

*Triplici verſu, &c.* ) *Triremem* ſignificat navem: qualem tamen Trojanis temporibus nondum fuiſſe probabile eſt; ſed Poetæ ut multa alia, ſic & illud per anticipationem dicere licuit. Quid ſit autem in navibus *verſus* & *ordo* remorum duplex, triplex, quadruplex, unde *biremes*, *triremes*, *quadriremes*, *&c.* appellantur; valde ambiguum eſt. Quia tamen ex Virgilio, *triplici conſurgunt ordine remi*, conſtat in utroque navis latere remigum ordines ſurrexiſſe alios aliis ſuperpoſitos: non ita tamen, ut ſuperiorum remigum pedes inferiorum capitibus imperderent, perpendiculari, ut ajunt, rectaque linea; ſic enim latera navium extruenda altius fuiſſent: ſed ita, ut ſcamnis, quæ & *juga* & *tranſtra* dicuntur, oblique a ſummo ad imum inſtar graduum diſpoſitis inſiſterent remiges, quorum ſuperior ordo ibi figebat pedes, ubi ordo inferior inſidebat. Porro ſeries illæ remigum, a ſummo latere ad imam carinam oblique numeratæ, *ordines* dicebantur; & pro multiplici *ordine* navis erat *biremis*, *triremis*, *quadriremis*, a Ptolomæo Philopatore extructa etiam *quadraginta ordinum*; at eædem ſeries, a prora ad puppim numeratæ, dicebantur *verſus*, & ſic in ſingulis lateribus *verſus* aliquando viginti quinque, aliquando plures; & in Ptolomæi navi, quæ quadraginta *ordinum* fuit & quater mille remigum, *verſus* quinquaginta fuere. Igitur Chimæra hæc Virgiliana, quæ *triplici verſu*, *triplici ordine* inſtructa erat, remiges in ſingulis lateribus novem, tota nave octodecim capiebat.

125. *Olim.* ) *Aliquando*, indefinite. Sic Georg. 3. 303. *Cum frigidus olim jam cadit.*

126. *Hyberni Cori, &c.* ) *Corus* ventus flat ab occaſu æſtivo. *Hybernus* dicitur, ſeu frigidus, quia ſitu maxime ad ſeptentrionales ventos accedit. *Condit ſidera* nimbis inductis. Scribitur etiam *Caurus*.

128. *Apricis mergis.* ) Avibus aquaticis, *ſmergo*, quæ cum frequenter ſe aquis immergant, amant ad Solem ſiccare ſe in locis *apricis*, id eſt, Soli expoſitis. De voce *apricis* Ecl. 9. 49.

129. *Metam.* ) *Meta* eſt *extremitas*, *terminus*: ſive in agris, ſive in circo: vulgo e lapidibus oblongis, in acumen ac pyramidem erectis. Talis erat Romano in circo figura metarum, quas in extremo decurſu ſepties quadrigæ circumflectebant: eo alludit Virgilius; & quamquam ilicis ramus hanc figuram non refert, refert tamen quomodocumque ipſa rupes, cui ramus infigitur. De *oſtro*, purpura, Georg. 2. 506. De *populo*, Ital. *pioppo*, Georg. 2. 13. De *ilice*, Ital. *leccio*, Ecl. 1. 18.

135. *Oleo.* ) Ad membra roboranda: unde etiam eo luctaturi ungebantur, Æn. 3. 280.

Cætera populea velatur fronde juventus,
Nudatoſque humeros oleo perfuſa niteſcit:
Conſidunt tranſtris, intentaque brachia remis
Intenti expectant ſignum: exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans, laudumque arrecta cupido.
Inde ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, proſiluere ſuis: ferit æthera clamor
Nauticus, adductis ſpumant freta verſa lacertis.
Infindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit
Convulſum remis roſtriſque tridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus.
Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora
Concuſſere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plauſu fremituque virum ſtudiiſque faventum
Conſonat omne nemus, vocemque incluſa volutant
Litora, pulſati colles clamore reſultant.
Effugit ante alios, primuſque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Conſequitur, melior remis; ſed pondere pinus
Tarda tenet. Poſt hos æquo diſcrimine Priſtis
Centauruſque locum tendunt ſuperare priorem.
Et nunc Priſtis abit; nunc victam præterit ingens
Centaurus; nunc una ambæ junctiſque feruntur
Frontibus, & longa ſulcant vada ſalſa carina.

Jam-

*Reliqui juvenes coronantur populeis foliis, & renident uncti oleo per nudos humeros: ſedent in tranſtris, & expectant ſignum obnixi* ſecundum *brachia remis intenta: & metus pulſans, atque arrectum deſiderium gloriæ, fatigat corda ſubſultantia. Deinde quando clara tuba emiſit ſonum, non eſt mora, omnes e terminis ſuis proruperunt: nauticus clamor pulſat cœlum, fluctus turbati adductis brachiis ſpumant: pari* impetu *imprimunt ſulcos* in aquis, *& totum mare erutum remis & roſtris trifidis aperitur. Non tam celeres currus invadunt campum* in *certamine bigarum, & erumpunt emiſſi e carcere. Nec ita aurigæ immiſſis jugis quatiunt habenas ſinuoſas, & proni extendunt ſe ad verberandum* equos. *Tunc omnis ſilva reſonat plauſu & fremitu hominum & acclamationibus faventium, & litora volvunt murmur incluſum: colles icti clamoribus,* eos *remittunt. Gyas primus abit ante alios, & evadit per undas inter fremitum multitudinis: quem deinde Cloanthus ſequitur, melius* inſtructus *remis, ſed navis gravior mole* ipſum *retinet. Poſt illos æquali intervallo Priſtis & Centaurus conantur attingere priorem locum. Et nunc Priſtis præit; nunc magna Centaurus præcedit* eam *victam; nunc ambæ currunt ſimul æquatis proris, & longis carinis ſecant ſalſos fluctus.*

Et

NOTÆ.

280. De *tranſtris*, ſcamnis remigum, ſupra v. 119.

137. *Haurit corda pavor &c.*) Verſum jam explicuimus, Georg. 3. 105.

143. *Roſtriſque tridentibus.*) Paſſim legebatur olim *ſtridentibus*; ſed obſtat menſura primæ ſyllabæ, quæ ubique longa eſt. Sed a viris doctis Academiæ Neapolitanæ profecta eſt ſuperiore ſæculo illa correctio, qua uſi ſumus; utpote cum antiqua navium ſpecie veteribuſque nummis ac picturis convenientiſſima, quarum in prora roſtrum trifidum ex ære bifidumve addebatur, ad hoſtiles naves in incurſu vulnerandas.

144. *Bijugo certamine &c.*) Curſu *bigarum & quadrigarum*: de quibus Georg. 1. 512. De *carceribus*, infra v. 288. *Juga*, ligna tranſverſa, quibus equi temoni currus alligabantur: hic vero, juxta aliquos, pro ipſis *jugalibus equis* uſurpantur.

149. *Vocemque incluſa volutant litora.*) Commutatio eſt pro, *vocemque incluſam volutant*.

162. *Mihi dexter abis.*) *Mihi abis*: Abundat hic *mihi*, ut alibi ſæpe, & Georg. 3. 16. *In medio mihi Cæſar erit*.

163. *Litus ama.*) *Accede propius ad litus*: Sic Horat. Od. l. 1. 25. 3. *Amatque janua limen*. Jubet igitur ut navem admoveat propius litori, non Siciliæ equidem, ſed rupis & metæ, ne latiore curſu eam circumeundo ab aliis inſequentibus ſuperetur.

*Palmula.*) Pars extrema remi planior & in modum humanæ palmæ protenſa. Catull. in Phaſelo v. 4. *Sive palmulis opus foret volare ſive linteo*.





Jamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant,
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige curſum,
Litus ama, & lævas ſtringat ſine palmula cautes:
Altum alii teneant. Dixit: ſed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diverſus abis? iterum, pete ſaxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce Cloanthum
Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ ſcopuloſque ſonantes
Radit iter lævum interior, ſubituſque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens,
Nec lacrymis caruere genæ: ſegnemque Menœten,
Oblitus decoriſque ſui ſociumque ſalutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter;
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo eſt
Jam ſenior, madidaque fluens in veſte Menœtes,
Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.
Illum & labentem Teucri, & riſere natantem;
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis ſpes eſt accenſa duobus,
Sergeſto Mneſtheoque, Gyan ſuperare morantem.

Ser-

*Et jam appropinquabant ſcopulo, & attingebant terminum, cum Gyas,* qui *primus* erat, *& victor medio in mari, increpat* his *verbis Menœten gubernatorem navis* ſuæ: *Quo tantum recedis mihi ad dextram? huc flecte curſum, adhære litori* rupis, *& permitte* ut *remi radant ſiniſtra ſaxa: alii currant pleniore mari.* Sic *dixit: ſed Menœtes metuens occulta ſaxa, detorquet proram ad undas maris. Quo recedis diverſus? iterum revocabat* eum *Gyas* repetens *cum clamore: Pete ſaxa, o Menœte: & interim videt Cloanthum imminentem dorſo, & tenentem proxima* ſpatia. *Ille* Cloanthus *interior radit ſiniſtram viam inter navem Gyæ & ſaxa ſonantia, & repentinus prætergreditur* Gyam, qui modo fuerat *prior, & tenet ſecurum mare metis præteritis. Tunc autem ingens dolor accenſus eſt in medullis juvenis, & genæ non caruerunt lacrymis, & immemor dignitatis ſuæ & vitæ ſociorum dejicit tardum Menœten ex alta puppe pronum in mare. Ipſe ſuccedit gubernaculo moderator, ipſe magiſter* navis: *& hortatur nautas, & vertit clavum ad litora metæ. Sed Menœtes, poſtquam gravatus undis, ægre tandem emiſſus eſt ex imo fundo, jam ſenior, fluens humida in veſte; conſcendit ſummitatem rupis & ſedit in arido ſaxo. Trojani riſerunt illum, & cadentem, & natantem: & rident revomentem e pectore ſalſam aquam. Tunc bona ſpes ſuperandi Gyam tardantem orta eſt ultimis duobus,*

Ser-

NOTÆ.

170. *Interior.*) Quicquid ſit de hujus vocis ſignificatione in hominum conſeſſu & inceſſu, *dextram* an *ſiniſtram* partem notet: certum eſt in decurſu circenſi interiorem partem *ſiniſtram* eſſe: quia, cum in circo *meta* ad ſiniſtram curruum eſſet, brevior circa eam flexus *ſiniſter* erat, iſque meta propior atque *interior*: *dexter* autem *exterior* atque a meta remotior. Igitur, cum navalis hic ludus circenſem imitetur, hic *interior* eſt *ſiniſter*. De *circo* & *metis*, infra v. 288.

171. *Tuta.*) Nempe a periculo ſaxorum, quæ metam circumſtabant: nondum tamen omnino tuta, quia nondum victoria parta erat: poſt metam quippe ſuperatam, & aliqua ex parte circuitam, in portum ſiniſtro curſu redeundum erat, ut dicemus infra v. 235.

174. *Decoris ſui, ſociumque, &c.*) *Decoris ſui*, quia indignum eſt principem virum ab aliquo pœnam ſuis manibus exigere. *Socium ſalutis*, id eſt, *ſalutis ſociorum*, quæ amiſſo gubernatore periclitabatur. Nec placet Cerdanus, qui *ſocium* agnoſcit accuſativo caſu; tum quia mutatur verbi regimen, *oblitus decoris, ſociumque*: tum quia non video, qui dici poſſit Menœtes *ſocius ſalutis*.

177. *Clavumque.*) Pars in ſummo gubernaculo tranſverſa, inſtar capuli, qua gubernaculum regitur. *Gubernaculum* vero, remus erat longior latiorque ad puppim religatus,

Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior, partem roſtro premit æmula Priſtis.
At media ſocios incedens nave per ipſos
Hortatur Mneſtheus: Nunc, nunc inſurgite remis
Hectorei ſocii, Trojæ quos ſorte ſuprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis ſyrtibus uſi,
Ionioque mari, Maleæque ſequacibus undis.
Non jam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo.
Quamquam o! ſed ſuperent, quibus hoc, Neptune, dediſti.
Extremos pudeat rediiſſe: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque ſolum: tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: ſudor fluit undique rivis.
Attulit ipſe viris optatum caſus honorem.
Namque furens animi dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo,
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.
Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illiſaque prora pependit.

Con-

*Sergeſto & Mneſtheo. Sergeſtus anticipat ſpatium, & appropinquat rupi: nec tamen ille prior eſt, tota navi præcedente: prior eſt* ex *parte, & æmula Priſtis urget roſtro* alian *partem. Sed Mneſtheus ambulans media in nave inter ipſos ſocios,* eos *hortatur: Nunc, nunc inſurgite in remos, o Trojani ſocii, quos in extremo exitio Trojæ elegi comites: nunc exerite illud robur, illam fortitudinem, qua uſi* eſtis *in ſyrtibus Getulis, & mari Ionio, & infeſtis aquis Maleæ. Non jam peto prima* loca *ego Mneſtheus* modo victor, *neque contendo vincere. Tamen o* utinam poſſem! *Sed vincant quibus hoc conceſſiſti, o Neptune. Pudeat nos ultimos reverti: hoc ſuperate, o cives, & impedite* hoc *dedecus. Illi ſumma contentione incumbunt* in remos: *navis ærata tremit magno ſucceſſu, & æquor ſubducitur: tunc frequens anhelitus concutit membra & ſicca ora* remigum: *ſudor fluit undique* in *rivos. Ipſa fortuna attulit viris gloriam cuptiam. Nam dum Sergeſtus ardens animi impellit proram ad ſcopulos, inter* ſcopulos & Mneſtheum, *& elabitur ſpatio anguſto, miſer adhæſit ſcopulis protenſis* ſub aqua. *Rupes commotæ* ſunt, *& remi impacti in acutum ſaxum crepuerunt, & prora alliſa* ſtetit *ſuſpenſa* in ſcopulis.

*Con-*

## N O T Æ.

quo curſum navis gubernator moderabatur. De *Teucris*, Trojanis, Æ. 1. 239.

186. *Carina,*) Ima trabs eſt, navis totius fabricam fulciens, & inſtar ſpinæ a prora ad puppim decurrens. De *roſtro*, v. 143. De *Getulis*, Æn. 4. 40. De *Syrtibus*, Æn. 1. 115. De *Ionio mari*, Æn. 3. 210.

193. *Maleæque ſequacibus undis.*) *Malea* promontorium eſt Peloponneſi, ſinum inter Argolicum & Laconicum, nunc *Capo Malio di S. Angelo*: procellis infeſtum; unde *ſequaces* ejus dicuntur undæ, quaſi nautas inſequerentur. Superatum autem ab Ænea fuit, cum e Sporadibus & Cycladibus inſulis ad Strophades iter fecit, Æn. 3.

195. *Quamquam o! ſed, &c.*) Duplex affectus. I. Victoriæ optatio: *Non vincere certo: quamquam o! velim, ſcilicet, vincere.* II. Correctio. *Sed tamen vincant illi, quibus hoc, Neptune, dediſti.* De *Neptuno*, Æn. 1. 129.

199. *Subtrahiturque ſolum.*) Subſtrata magis aqua non ſecari, ſed quaſi per vim ſubtrahi videtur retro, tanto impetu navis porro impelitur: *ſolum* enim eſt quicquid alteri ſubſternitur, ut oſtendimus Ecl. 6. 35.

203. *Interior.*) *Inter* Mneſtheum & metam, flexum breviorem & *ſiniſtrum* captans; ſupra v. 170.

205. *Murice.*) Saxo acuto, aſpero ac prominente; ſic dicto a *murice*, oſtreo, unde purpureus liquor exprimitur; cujus conchylium faſtigiatum & acutum eſt.

208. *Sudes... contos, &c.*) Perticas, quæ Tacito *trudes* appellantur: quibus vado inhærens impellitur navis, aut iners alia moles promovetur. Monetque Iſidorus *cuſpidem conti*, ferro non armatam eſſe, ſed tantum ex ipſo ligno acuminatam.

211. *Agmine remorum.*) Actu motuque remorum ordinato, & per quandam ſucceſſionem continuo. De illa voce, Georg. 3. 423.

212. *Prona maria.*) Secunda, facilia, ſine ullo jam obſtaculo; curſu tam facili, ut non in plano æquore, ſed in declivi loco pro-

nus



Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur:
Ferrataſque ſudes & acuta cuſpide contos
Expediunt, fractoſque legunt in gurgite remos.
At lætus Mneſtheus ſucceſſuque acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis,
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis ſpelunca ſubito commota columba,
Cui domus & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aere lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat ultima Priſtis
Æquora, ſic illam fert impetus ipſe volantem.
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, brevibuſque vadis, fruſtraque vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis.
Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimæram
Conſequitur: cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus jamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, & ſummis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis: reſonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus & partum indignantur honorem,

230 Ni

*Conſurgunt nautæ, & magno cum clamore ſiſtunt: & adhibent ferratas trudes, ac perticas acuminata cuſpide: & colligunt e mari remos fractos. At Mneſtheus gaudens & ardentior* ex *illo ſucceſſu, veloci impulſu remorum, & invocatis ventis, ſecat undas faciles, & navigat patenti mari. Qualis columba, cui domus & nidi ſunt in cavo ſaxo, repente excita e ſpelunca fugit in campos volans, & territa dat alis ictum ingentem domui* ſuæ: *mox elapſa in aerem tranquillum, ſecat viam tenuem, nec movet celeres alas. Sic Mneſtheus, ſic ipſa* ejus *Priſtis findit fugiens extremum* ſpatium aſſignati *maris: ſic ipſe impetus provehit* illam *volantem. Et primo præterit Sergeſtum, connitentem adverſus rupem altam & vada humilia, fruſtraque implorantem auxilium, & tentantem enatare fractis remis. Deinde conſequitur Gyam, & ipſam* ejus *Chimæram vaſtæ magnitudinis: vincitur* illa*, quia orbata eſt gubernatore. Et jam unus Cloanthus reſtat* vincendus *prope ipſum terminum: hunc* Mneſtheus *ſequitur, & premit contendens totis viribus. Tunc vero invaleſcit clamor, & omnes favore incitant inſequentem, & aer ſonat fragoribus. Illi indignantur, niſi conſervent gloriam propriam, & honorem* jam *comparatum;*

*& vi-*

## N O T Æ.

nus ac præceps currere videatur. Pl. l. 2. 70. *In alia adverſo, in alia prono mari.*

214. *Pumice.*) *Pumex* lapis eſt levis, ſpongioſus, ad ſcabra leviganda aptiſſimus: hic pro cavernoſa rupe ſumitur per tapinoſim; ut v. 209. *Gurges* pro mari, quemadmodum diximus Æn. 1. 122. Eſt autem hæc, navim inter & columbam, ſcite inſtituta comparatio, cum *navium* & *volatus* magna cognatio ſit, ut diximus Æn. 1. 228. & mox Mneſthei navem appellet *volantem*, v. 219.

218. *Ultima æquora.*) Ultimam aſſignati maris partem, ultra metam. De *brevibus vadis*, Æn. 1. 115.

225. *Supereſt in fine Cloanthus.*) Mneſtheus de victoria contendit cum Cloantho. At Cloanthus tamen jam a verſu 171. *metis tenet æquora tuta relictis.* Hæc ut conciliem, exiſtimo præmium ei propoſitum fuiſſe, non qui duntaxat metam attingeret primus, ſed qui præterea circumita meta primus ſiniſtro curſu rediret in portum, unde dextro curſu naves exierant. Idque manifeſtum eſt I. Quia hæc tria proponit Æneas certaturis v. 130. *Conſtituit ſignum nautis pater, unde reverti Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.* II. Quia mox v. 243. navis Cloanthi tum victoriam obtinet, cum *ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.* At in rupe, quæ metæ loco fuit, *portus*, iſque *altus* fuiſſe non poteſt; cum eſſet objecta portui, & tantum *ſtatio gratiſſima mergis*. Hic igitur jam & Mneſtheus & Cloanthus metam prætergreſſi putandi ſunt: *Cloanthus* quidem, quia *metis tenet æquora tuta relictis*; Mneſtheus vero, quia *fuga ſecat ultima æquora*. Cloanthus autem *ſolus ipſo ſupereſt in fine*: id eſt, in extremo recurſu, reditu a meta ad portum: quo in reditu eum ſuperare, aut ſaltem æquare Mneſtheus contendit.



228. *Fra-*

Ni teneant, vitamque volunt pro laude paciſci.
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris,
Ni palmas ponto tendens utraſque Cloanthus
Fudiſſetque preces, Divoſque in vota vocaſſet:
Dii, quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopeaque virgo;
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit: illa Noto citius volucrique ſagitta
Ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.
Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in naves, ternos optare juvencos,
Vinaque, & argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:

Vi-

*& vellent pacto mutare vitam cum victoria. Hi animantur ſucceſſu: poſſunt* vincere, *quia videntur* ſibi *poſſe. Et fortaſſe meruiſſent* paria *præmia, navibus ex æquo* victricibus: *niſi Cloanthus tendens* ad *mare ambas palmas* manuum, *emiſiſſet preces, & Deos invocaſſet per vota, O Dii, quibus eſt regnum maris, quorum decurro ſpatia, ego vobis offeram lætus in hoc litore ante altaria candidum taurum, voto obligatus, & projiciam viſcera in ſalſos fluctus, & effundam vina pura.* Dixit: *& ex intimis fluctibus audiit eum omnis turba Nereidum, & Phorci, & virgo Panopea, & ipſe pater Portunus magna manu impulit* navem *currentem: illa celerius vento & pennata ſagitta currit ad terram, & immittit ſe* in *portum intimum. Tunc filius Anchiſæ, vocatis omnibus juxta conſuetudinem, declarat magna voce præconis Cloanthum victorem, & coronat* ejus *caput viridi lauro: datque ipſi eligendos tres juvencos, & vina, & magnum talentum argenti poſſidendum,* quæ erant *munera pro navibus. Ipſis* vero *ducibus tribuit ſingularia dona:* *Victori*

## NOTÆ.

228. *Fragoribus.*) Ita ex manuſcriptis cum N. Heinſio emendamus. Olim *clamoribus*: ſed parum exacte, cum ſuperiori verſu dixerit, *Ingeminat clamor*.

237. *Voti reus.*) Voto obligatus. Sic Ecl. 5. 80. *Damnabis tu quoque votis*: ubi hæc verba explicuimus.

238. *Porriciam in fluctus, &c.*) *Porro & procul jaciam in fluctus.* Verbum eſt in ſacrificiis ſolemne. Sic apud Livium l. 29. 27. Scipio e Sicilia in Africam navigaturus, *cruda exta, cæſa victima, uti mos eſt, in mare porricit: tubaque ſignum dedit proficiſcendi.* *Libationis* vero par exemplum habemus apud Thucyd. lib. 6. ubi Nicias, Lamachus, & Alcibiades, e Piræeo Athenienſi portu ſolventes, aureis argenteiſque pateris vinum in mare fudiſſe dicuntur.

240. *Nereidum Phorcique chorus, &c.*) *Phorcus* ſive *Phorcys*, marinum numen, Ponti ac Terræ filius; filias habuit Gorgonas tres, Meduſam, Euryalen, & Sthenyo. *Chorus* ejus marina alia numina. *Nereides*, Nymphæ maris, Nerei & Doridis ejus ſororis filiæ. *Panopea*, Nereidum una, de qua Georg. 1. 437. ubi de *Portuno* quoque diximus, cui a *portu* vel *portandis* navibus nomen eſt. De *Noto* vento meridionali, Ecl. 2. 58.

245. *Præconis.*) *Præco*, non *tubicen*, quia apud Livium l. 33. 18. *Romani ad ſpectaculum conſederant, & præco cum tubicine, ut mos eſt, in medium arenam proceſſit.* Præco igitur, qui voce, non cantu, populum, vel ad ludum, vel ad alia *prædicebat*: ut enim, inquit Voſſius, *concio* eſt populus, qui per præconem *concietur* & convocatur; ita *præco*, qui *præciet*, & ante conventum excitat populum ut veniat.

248. *Talentum.*) Conſtat ex comparatione cum aliis præmiis inſtituta, *talentum*, neque hic, neque v. 112. ſumi poſſe pro *talento Attico*. Conſtat idem ex Homero, qui Il. 23. præmium ſtatuit equeſtris curriculi, primum quidem, fœminam cum lebete; ſecundum, equam prægnantem; tertium, lebetem; quartum, duo auri talenta. Igitur vel *talentum* pro quolibet auri argentique pondere hic ſumendum eſt, ut diximus v. 112. Vel pro *talento Siculo* veteri, quod minimum quid valuiſſe ait Pollux l. 9. Et ex

ipſius



Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit,
Intextuſque puer frondoſa regius Ida
Veloces jaculo cervos curſuque fatigat,
Acer, anhelanti ſimilis; quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad ſidera tendunt
Cuſtodes, ſævitque canum latratus in auras.
At, qui deinde locum tenuit virtute ſecundum,
Levibus huic hamis conſertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto,
Donat habere viro, decus & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagariſque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleus curſu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiaque argento perfecta atque aſpera ſignis.
Jamque adeo donati omnes, opibuſque ſuperbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Cum ſævo e ſcopulo multa vix arte revulſus,
Amiſſis remis, atque ordine debilis uno,

Irri-

*Victori* Cloantho *chlamydem auro intextam, circa quam Melibœa purpura denſa excurrit gemino flexu, & regius puer* Ganimedes in ea *intextus, ardens, ſimilis anhelanti, perſequitur curſu & jaculo cervos celeres in Ida ſilvoſa; quem volans armiger Jovis pedibus uncis rapuit ab Ida in ſublime. Fruſtra ſenes cuſtodes tendunt palmas ad aſtra, & latratus canum* videtur *furere in aerem. At poſtea huic* Mneſtheo, *qui viribus obtinuit locum ſecundum, donat habendam loricam, compactam hamis &* ornatam *triplici licio auri*, ut ſit ipſi *decus & armatura in bello: Æneas ipſe victor hanc abſtulerat Demoleo juxta rapidum Simoenta, & prope altam Trojam. Vix miniſtri Phegeus & Sagaris obnixi humeris portabant illam multiplici* textu denſam: *Demoleus autem* illa *olim armatus agitabat fuga* Trojanos *vagos. Tertia præmia dat* Gyæ, *duos lebetas ex ære, & pocula conflata argento atque ſcabra figuris. Jamque adeo omnes remunerati, & glorianteſ opibus, incedebant coronati rubris vittis* circa *caput: cum Sergeſtus multo labore vix extractus e ſcopulo, remis amiſſis, & ſpoliatus uno* remorum *ordine,*

*pro-*

## NOTÆ.

ipſius verbis colligit Budæus fuiſſe *ſex drachmarum*, hoc eſt, ſolidorum noſtrorum Franciſcorum vixdum unius & quinquaginta. Homerus autem ſi non Siculo talento, ſimili ſaltem aliquo uſus eſt.

251. *Purpura Mæandro, &c.*) De *Chlamyde*, *ſopraſberga*, Æn. 4. 137. Fuit hæc aureo textu *aurata*: ſed extrema in ora geminum habuit ſinuoſum flexuoſumque limbum, *plurima purpura*, id eſt, denſiore diſtinctum. *Mæander* fluvius minoris Aſiæ maximus, e Phrygia majore naſcens, tum inter Cariam & Ioniam in mare Myrtoum, quæ pars eſt Ægæi, ad Heracleam urbem influens, nunc *Madre* appellatur: tot flexibus in ſe quaſi recurrens, ut pro quibuſcumque flexibus metaphorice ſumatur. *Melibœa*, Theſſaliæ urbs ad radices montis Oſſæ purpurei oſtrei piſcatu ac tinctura celebris. De *purpura* denſiore ac *dibapha*, Georg. 2. 506.

252. *Puer regius Ida.*) In chlamyde textus acu *Ganymedes*, Trois regis filius, de quo Æn. 1. 32. De *Ida* Troadis monte, Æn. 2. 801. Et diviſam quidem hanc picturam fuiſſe neceſſe eſt duas velut in partes: quarum altera venantem Ganymedem exprimeret, altera raptum ejus & comitum ſtuporem.

255. *Jovis armiger.*) Ex Plinio l. 2. 55. Fulmen non percutit e volucribus aquilam, quæ ideo miniſtra fulminis Jovisque a poetis fingitur. De *hamis & lorica auro trilice*, Æn. 3. 467.

260. *Demoleo.*) Demoleus, Græcorum dux aliquis, ab Ænea occiſus. *Simois*, fluvius Troadis, Æn. 1. 104. *Ilio alto*, Græco more corripit vocalem longam ante aliam abſque vocalium eliſione, ut Georg. 1. 281. *Imponere Pelio Oſſam*. De *Ilio*, Troja, Æn. 1. 5. De *lebetibus* dono datis, Æn. 3. 466. De *Cymbiis*, vaſculis, Æn. 3. 66.

269. *Puniceis tæniis.*) Vittis laneis, ſeu lemniſcis e laurea corona pendentibus, quæ coronæ *lemniſcatæ* dicebantur. *Tæniis*, vox diſyllaba per contractionem, ut paſſim *aureis*. De *puniceo*, ſive rubicundo & roſeo colore, Ecl. 5. 17.

273. *Viæ*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,
Ærea quem obliquum rota tranſiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit ſaxo lacerumque viator:
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardenſque oculis, & ſibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodos, ſeque in ſua membra plicantem.
Tali remigio navis ſe tarda movebat:
Vela facit tamen, & plenis ſubit oſtia velis.
Sergeſtum Æneas promiſſo munere donat,
Servatam ob navem lætus ſocioſque reductos.
Olli ſerva datur, operum haud ignara Minervæ,
Creſſa genus, Pholoe, geminique ſub ubere nati.
Hoc pius Æneas miſſo certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant ſilvæ, mediaque in valle theatri
Circus erat, quo ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit, exſtructoque reſedit.
Hic qui forte velint rapido contendere curſu,

Invi-

*provehebat navem irriſam ſine gloria. Qualis ſæpe interceptus in eminentia viæ anguis, quem rota ærea obliquum trajecit, vel quem viator graviter feriens reliquit ſemimortuum & laceratum ſaxo: fruſtra fugiens movet corpore longos flexus: parte* ſui *ferox, & micans oculis, & ſublimis erigens colla ſibilantia; pars debilis vulnere retardat* eum *torquentem nodos, & involventem ſe in ſua membra. Navis tarda movebat ſe talibus remis: tamen velis utitur, & intrat portum velis tumentibus. Æneas* gaudens *propter navem & ſocios reductos, donat Sergeſtum promiſſo præmio. Datur illi ſerva, haud inſcia artis Minervæ, Creſſa* ſecundum *genus,* nomine *Pholoe, & bini filii ad* ejus *ubera. Pius Æneas, dimiſſo hoc ludo, procedit in campum virentem: quem ſilvæ* in *collibus curvatis* politæ *claudebant undequaque; & in ima valle erat circuitus theatri: quo heros intulit ſe medium inter multa millia, & compoſito in cœtu reſedit. Illic invitat valore* præmiorum *animos, qui forte velint certare curſu,*

*& ſta-*

## N O T Æ.

273. *Viæ in aggere.*) *Agger*, viæ publicæ pars media, eminentior & lapidibus ſtrata atque exaggerata, ut pluviæ defluant.

284. *Operum Minervæ.*) Quæ cum artibus aliis, tum præcipue lanificio, ac texturæ præeſſe dicitur, Æ. 2. 31. *Creſſa*, Cres, Creſſa, e Creta, *Candia*. Æ. 3. 104.

288. *Theatri circus erat, &c.*) De *Theatri* forma, Georg. 2. 381. De *circo*, cujus aliquam ſimilitudinem vallis hæc Sicula referebat, hæc accipe. I. *Circus* locus fuit a Tarquinio Priſco Romæ exſtructus, montes inter Aventinū ac Palatinum, ludis celebrandis ad imitationem Olympicorum; ſed præcipue decurſionibus equeſtribus, quas jam Romulus in campo Martio ad Tybris ripa inſtituerat, & nuncupaverat *equiria*. Nomen inde habuit, quod *circulares* ſeu orbicularis eſſet figuræ, longior tamen quam latior, quippe longitudine pedes circiter bis mille, latitudine mille tantum complexus. II. *Cavea*, fuit ambitus circi, ubi populi ſedes, in *cuneos* diſtinctæ, ut de theatro diximus. III. *Arena*, ſpatium fuit circi medium, in quo aurigæ decurrebant, comminutis albis lapidibus, aliquando etiam minio & chryſocolla conſtratum. IV. *Euripus*, fuit lacuna, altitudine ac latitudine pedum decem, arenæ circumdata, eamque a cavea dividens: in eam derivabantur aquæ: unde ab Euripo nomen habuit, Euboici freti anguſtiſſimo loco, in quo ſepties aquæ ſingulis diebus reciprocant. V. *Carceres*, loca fuerunt fornicata, ubi currus ante pugnam coercebantur, & unde dato ſigno ſublatiſque repagulis erumpebant, ducto per ſortem ordine. Dicebantur *oſtia* etiam & *limina*: eorumque medium erat oſtium, quo aſcendebatur ad locum, ubi erat ludorum editoris præſidiumque ſeſſio. VI. *Metæ*, moles erant lapideæ, rotundæ, in acumen deſinentes, tres ſimul junctæ, quarum acuminibus ova erant impoſita: hæ in utraque arenæ parte fere extrema poſitæ erant, relicto tamen circumundique ſpatio, quo circa metas aurigæ currum facile flecterent. VII. *Spina*, fuit ſeptum, ſecundum longitudinem circi, a meta ad metam, inſtar ſpinæ dorſi productum: circi arenam duas in partes, dextram ſiniſtramque, diſterminans. In ea *columnæ*, *obeliſci*, *delphini*, *Deorum ſtatuæ*, *delubra* etiam, & *ſacraria* diſpoſita ad ornatum. VIII. *Curſus* a carceribus incipiebat ſecundum latus dexterū circi: ita ut metæ ultimæ ad ſiniſtram curruum

ſitæ



Invitat pretiis animos, & præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, miſtique Sicani:
Niſus & Euryalus primi.
Euryalus forma inſignis, viridique juventa;
Niſus amore pio pueri; quos deinde ſequutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hunc Salius, ſimul & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia Tegeææ ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes, Elymus Panopeſque,
Aſſueti ſilvis, comites ſenioris Aceſtæ.
Multi præterea, quos fama obſcura recondit.
Æneas quibus in mediis ſic deinde loquutus:
Accipite hæc animis, lætaſque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnoſia bina dabo levato lucida ferro
Spicula, cælatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit unus honos. Tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto.
Alter Amazoniam pharetram, plenamque ſagittis
Threiciis, lato quam circum amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Ter-

*& ſtatuit præmia. Undique congregantur Trojani, & Sicani* cum iis *mixti: primi Niſus & Euryalus. Euryalus inſignis pulchritudine, & robuſta juventute; Niſus, honeſto amore pueri: quos deinde ſequitur Diores regius* juvenis *e præclara ſtirpe Priami. Hunc* ſequuntur *ſimul Salius & Patron: quorum alter* eſt *Acarnan, alter ex Arcadia, e ſanguine Tegæi populi. Poſtea duo juvenes Siculi, Elymus & Panopes, aſſueti ſilvis, comites ſenis Aceſtæ. Inſuper multi, quos fama obſcura celat. Quos inter medios Æneas deinde ita loquutus eſt: Percipite hæc animo &* huc *applicate lætas mentes. Nullus ex hoc numero recedet non remuneratus a me. Dabo reportanda duo tela Gnoſia rutilantia levigato ferro, & ſecurim* tectam *cælato argento: hoc præmium erit ſimile omnibus. Tres primi referent munera* alia*, & coronabuntur pallida olea circa caput. Primus victor habeat equum decoratum phaleris. Secundus pharetram Amazoniam, & repletam ſagittis Thraciis; quam latus balteus* ex *auro circumdabit, & fibula nectit gemma tereti.*

*Ter-*

## N O T Æ.

ſitæ eſſent. Ad eas qui pervenerant, circuibant eas ſepties, in ſiniſtram interioremque parte deflectendo: inde per ſiniſtrum circi latus redibant ad metas *Murcias*, carceribus propiores, ubi e curru deſcendebant. De *factionibus* aurigarum, & *miſſibus*, Georg. 3. 18.

291. *Hic qui forte velint, &c.*) II. LUDUS, *pedeſtris curſus*. Imitatur Homerum Virgilius, qui Iliad. 23. 740. tres inducit curſores apud Patrocli tumulum, *Ajacem Oilei*, *Ulyſſem*, & *Antilochum*: & Ajacem quidem Minervæ dolo fingit bovino in fimo lapſum eſſe: id unum ex eo mutuatus eſt Virgilius, reliqua longo intervallo ſuperavit.

292. *Pretiis ... præmia.*) Diverſa ſunt: *præmia*, munera ipſa; *pretia*, valor, dignitaſque præmiorum. De *Teucris*, Æn. 1. 239. De *Sicanis*, Æn. 3. 687. De *Niſo & Euryalo*, Æn. 9. 176. De *Priamo*, Æn. 3. 476.

298. *Acarnan.*) *Salius*, ex Acarnania, Epiri parte, de qua Æn. 3. 292.

299. *Arcadia, Tegeææ, &c.*) *Patron*, *Tegeæus*, vel *Tegeates*, ex Tegea, urbe Arcadiæ, novem pagis conſtante juxta Strab. l. 8. De *Arcadia*, Ecl. 4. 58. De *Trinacria*, Sicilia, Æn. 3. 687. De *Elymo*, ſupra v. 73. De *Aceſte*, v. 36.

306. *Gnoſia, &c.*) *Gnoſus* urbe Cretæ inſulæ, ſive Candiæ, Æn. 3. 104. unde *ſpicula* laudatiſſima: *ſpiculum* autem, non ſagitta, ſed miſſile telum fuit, pedum quinque, triangulo ferreo: *pilum* aliter dictum. De *bipenni*, ſecuri utrimque acuta, Georg. 4. 331.

309. *Flava oliva.*) Arbore dicata Minervæ, Georg. 1. 14. *Flava*: quia folii pars poſterior ſubpallida, & coloris veluti porracei eſt: ea coronabantur victores Olympicis ludis, Georg. 3. 20.

310. *Phaleris.*) *Phaleræ*, equorum ornamenta, præſertim in capite, τὰ φάλαρα, quod eſt a φάω, *luceo*: Ital. *bardatura*, Æn. 7. 278.

311. *Amazoniam pharetram, &c.*) Qualem ferebant *Amazones*, quas in *Thracia* proprie dicta aliqui veterum collocabant. De vera earum ſede dicemus, Æn. 11. 659. De *Amazonum* nomine, Æn. 1. 494. De *Thracia*, Æn. 3. 14.

313. *Tereti.*) Quæ rotunda, & in longum porrecta eſt.

314. *Ar-*

Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, ſignoque repente
Corripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt
Effuſi, nimbo ſimiles; ſimul ultima ſignant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Niſus
Emicat, & ventis, & fulminis ocior alis.
Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Inſequitur Salius. Spatio poſt deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Elymus ſequitur. Quo deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero: ſpatia & ſi plura ſuperſint;
Tranſeat elapſus prior, ambiguumve relinquat.
Jamque fere ſpatio extremo, feſſique ſub ipſum
Finem adventabant; levi cum ſanguine Niſus
Labitur infelix; cæſis ut forte juvencis
Fuſus humum virideſque ſuper madefecerat herbas.
Hic juvenis, jam victor ovans, veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo: ſed pronus in ipſo
Concidit immundoque ſimo ſacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam ſeſe oppoſuit Salio, per lubrica ſurgens;
Ille autem ſpiſſa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici

Prima

*Tertius abeat contentus hac caſſide Argolica. Poſtquam hæc dicta* ſunt, *ſumunt locum, & audito ſigno ſtatim aggrediuntur curriculum, & relinquunt limen elapſi, ſimiles nimbo; ſimul attendunt ad terminum. Primus currit Niſus, & exilit longe ante omnes ſocios, velocior & ventis & alis fulminis. Proximus ab eo, ſed poſt longum intervallum proximus, ſequitur Salius. Tum ſpatio poſt* Salium *relicto Euryalus tertius. Elymuſque ſequitur Euryalum. Deinde juxta hunc ipſum ſtatim currit Diores, & jam fricat* ejus *calcem calce, imminens* alteri ejus *humero: & ſi longius reſtaret ſpatium, præteriret* eum *elapſus prior, aut relinqueret dubium. Jamque pene* in *ultimo curriculo* poſiti, *& fatigati accedebant ad ipſum terminum: cum miſer Niſus cadit humido in ſanguine, quippe mactatis juvencis forte* ſanguis *ſuperfuſus madefecerat terram & virides herbas. Illic juvenis, jam exultans,* ut *victor, non firmavit pedem compreſſa terra vacillantem: ſed pronus cecidit in ipſum fimumque obſcœnum ſanguinemque ſacrum. Non tamen ille oblitus* eſt *Euryali, neque amoris: nam ſurgens in lubrico* loco *oppoſuit ſe Salio: ille autem jacuit ſupinus in denſa arena. Exilit Euryalus, & victor beneficio amici*

*occu-*

## N O T Æ.

314. *Argolica galea.*) Vel quam Argivo alicui eripuerat, vel Argolica figura: ut enim vidimus Æ. 3. 637. clypeos Argolicos ſingularis fuiſſe formæ, ita & galeæ fuerunt: nam in Græcorum cæde Æ. 2. 392. Trojani cum occiſorum arma ſibi aptaſſent, galeæ & *Grajarum errore jubarum*, tantum non a ſuis occiſi ſunt. De *Argis*, urbe Peloponneſi, Æn. 1. 288.

316. *Limen.*) Lineam aliquam deſcriptam in campo, quæ *carceres* & *oſtia* circi ſuppleret, ſupra v. 288. De *alis* fulmini appingi ſolitis, Æn. 2. 649.

324. *Calcem terit jam calce.*) Arguitur hic a quibuſdam Virgilius, quod calcem præcurrentis inſequentis calce tritam dixerit, cum teri non poſſit ab inſequente niſi ſummis pedū articulis. Temere: neque enim Diores Elymum æqua directaque linea inſequebatur, alioqui numquam ipſum anteire potuiſſet; at paullū ad latus ut pene incumberet, non ejus *humeris*, ſed alteri tantum *humero*, & pedes utriuſque ſecundum latera ſe interdum ſtringerent, atque ita *calcem calce* tererent.

329. *Cæſis juvencis.*) Ad ſacrificia Anchiſæ perſolvenda.

332. *Titubata.*) Paſſive, cum *titubo* neutram vim vulgo habeat. Et hic Niſi caſus eſt expreſſus ex Homero Iliad. 23. 774. ut jam notavimus v. 291.

339. *Nunc tertia palma Diores.*) *Palmam*, hic non ſolum pro *victoria*, ſed pro ipſo *victore* uſurpat: ut Georg. 1. 59. *palmas equarum*, pro *victricibus inter equas*. Porro quia Diores quintum duntaxat ordinem obtinebat, nec niſi caſu Niſi, & fraude Salio facta, tertium in locum provectus eſt: ideo dixit, *nunc: nunc*, inquam, primis duobus caſu ac fraude ſublatis. De *cavea*, parte *circi*, ſupra v. 288.

340. *Ora prima patrum.*) Seniores ac Judices,



Prima tenet, plauſuque volat fremituque ſecundo.
Poſt Elymus ſubit, & nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ conſeſſum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet;
Ereptumque dolo reddi ſibi poſcit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, & magna proclamat voce Diores,
Qui ſubiit palmæ, fruſtraque ad præmia venit
Ultima, ſi primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas: Veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, & palmam movet ordine nemo.
Me liceat caſum miſereri inſontis amici.
Sic fatus tergum Getuli immane leonis
Dat Salio, villis oneroſum atque unguibus aureis.
Hic Niſus: Si tanta, inquit, ſunt præmia victis,
Et te lapſorum miſeret; quæ munera Niſo
Digna dabis, primam merui qui laude coronam,
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tuliſſet?
Et ſimul his dictis faciem oſtentabat, & udo
Turpia membra ſimo. Riſit pater optimus olli:
Et clypeum efferri juſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.
Hoc juvenem egregium præſtanti munere donat.
Poſt ubi confecti curſus, & dona peregit:

Nunc

*occupat primum* locum, *volatque plauſu & acclamatione favente. Poſtea ſuccedit Elymus, & mox Diores tertius victor. Tunc Salius implet magnis clamoribus* cœtum *omnem ſedentem* in *magno theatro, & conſpectum primorum procerum: & poſtulat ſibi reſtitui gloriam fraude ereptam. Favor, & decens fletus, & virtus gratior apparens in formoſo corpore protegit Euryalum. Juvat* eum, *& magna voce clamat Diores: qui ſucceſſit* tertius *victoriæ, & fruſtra acceſſit ad ultimum præmium, ſi prima gloria reſtituitur Salio. Tunc ait pater Æneas: Veſtra præmia vobis ſtant certa, o juvenes, & nemo mutabit ordine victoriam. Liceat me miſereri caſus amici inſontis. Sic locutus, dat Salio magnam pellem Getuli leonis, gravem villis & auratam unguibus. Tunc Niſus* ait: *Si tanta munera dantur victis, & te miſeret* eorum qui *ceciderunt: quæ dabis digna dona* mihi *Niſo, qui meruiſſem virtute primam coronam, niſi adverſa* eadem *fortuna, quæ obſtitit Salio, mihi* quoque obſtitiſſet? *Ac ſimul hæc dicendo oſtendebat vultum, & membra fœdata humido fimo. Pater optimus Æneas arriſit illi: & imperavit clypeum afferri, opus Didymaonis, ereptum a Græcis e portis Neptuno dicatis. Donat egregium juvenem hoc inſigni præmio. Deinde poſtquam abſoluti* ſunt *curſus, & perfecit remunerationem:*

*Nunc,*

## N O T Æ.

ces, quorum in conſpectu atque ante ora vociferatur.

344. *Veniens in corpore virtus.*) *Apparens, creſcens*: melius *exiſtens*; nam *venio* ſignificat ſæpe *ſum, exiſto*. Georg. 1. 29. *An Deus immenſi venias maris*.

351. *Getuli leonis, &c.*) Africa tota leonibus feriſque aliis infeſta: imprimis *Getulia* ejus pars, de qua Æ. 4. 40. Pellis autem hujus ungues ad ſplendorem deaurati fuerant; *unguibus aureis*.

353. *Si tanta, &c.*) Vis Niſi verborum hæc eſt: Ego & Salius ambo cecidimus: at ego primus, hic ſecundus ad metam ſubibat: ſi ergo hic donatus munere, cur ego indonatus?

359. *Didymaonis.*) Fictum eſt nomen, & inſignem artificem hic notat.

360. *Neptuni ſacro, &c.*) Cenſet Donatus hunc clypeum ex aliquo in Græcia Neptuni templo erutum ab ipſo Ænea, cum per Græcas inſulas atque urbes navigaret: quemadmodum clypeum alium poſtibus Actiaci Apollinis fixerat, Æn. 3. 288. atque ita ad contemptum Græcorum illic *fixum*, hic *refixum* clypeum fuiſſe. Sed non decuit *pium Æneam* in ſpoliandis Deorum templis ſacrilegium admittere. Quare Servium libentius audio: qui putat cætera inter munera, quæ Helenus Æneæ ex Epiro ſolventi dederat, Æn. 3. 464. hunc fuiſſe clypeum olim a Pyrrho refixum e Neptunii templi poſtibus, in excidio Trojæ. De *Neptuno*, Æn. 1. 129. De *poſtibus*, parte januæ, Æn. 2. 442. De *Danais*, Æn. 1. 34.

362. *Poſt ubi, &c.*) III. LUDUS. *Pugilatus*,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nunc, ſi cui virtus animuſque in pectore præſens,
Adſit, & evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittiſque juvencum;
Enſem, atque inſignem galeam, ſolatia victo.
Nec mora: continuo vaſtis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum ſe murmure tollit:
Solus qui Paridem ſolitus contendere contra,
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui ſe
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quiſquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibuſque inducere ceſtus.
Ergo alacris, cunctoſque putans excedere palma,
Æneæ ſtetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate Dea, ſi nemo audet ſe credere pugnæ,
Quæ finis ſtandi? quo me decet uſque teneri?
Ducere dona jube. Cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promiſſa jubebant.

Hic

*Nunc*, ait, *ſi virtus eſt alicui & animus præſens in pectore, accedat, & erigat brachia ligatis manibus. Sic dixit, & proponit geminum præmium certaminis: victori juvencum tectum auro & tæniis, victo gladium & pulchram caſſidem* ad *ſolatium. Nec mora* eſt: *ſtatim Dares erigit vultum immani cum robore, & attollit ſe magno cum fremitu hominum: qui ſolus ſolebat certare cum Paride, & qui idem ad ſepulcrum, ubi maximus Hector recumbit, percuſſit Buten illuſtrem victoriis, qui jactabat ſe ortum ex familia Bebrycia Amyci, & proſtravit eum morientem* in *arena fulva. Talis Dares erigit caput altum in prima certamina, & oſtentat humeros latos, & porrigens jactat brachia alternatim, & verberat ictibus aerem. Quæritur alter certaturus* cum eo: *nec ullus ex tanta turba audet ſe offerre* huic *viro, & alligare ceſtus manibus. Ergo lætus, & ſperans ſuperare omnes victoria, ſtetit ad pedes Æneæ: nec diutius tardans, tunc apprehendit ſiniſtra* manu *taurum cornu, & ſic loquitur: Quis erit finis expectandi? quouſque oportet me retineri? impera me abducere præmium. Simul omnes Trojani fremebant, & volebant præmia reddi viro.*

Tunc

N O T Æ.

*ſive ceſtuum certamen*. Expreſſus ex Homero Iliad. 23. 653. ubi contendunt inter ſe *Epeus* & *Euryalus*: ſed vix ullo eventu memorabili: unde Virgilius Homero plane hic ſuperior eſt. *Epeum* ſibi nimium confidentem imitatur Virgilii *Dares*, *Euryalum Entellus* ſenex. De *pugilatu*, infra v. 401.

366. *Velatum auro vittiſque juvencum.*) Boves cornibus deauratis vittiſque ac tæniis inſignes erant, & cum ſtatuebantur mactandi ad aras, & ſæpe cum in præmium dabantur. De primo more, Æn. 9. 627. *Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum*. De altero Livius l. 7. 37. *Conſul advocata concione P. Decii tumulatas nova virtute laudes peragit, & præter militaria dona: aurea corona cum, & centum bobus, eximioque uno albo, opimo, auratis cornibus, donat.*

370. *Paridem.*) Hunc enim Priami filium, etſi moribus mollem, viribus tamen robuſtum fuiſſe, & ceſtuum certamine victoriam ex ipſo Hectore fratre retuliſſe diximus, Ecl. 2. 61. De comulta, Æn. 1. 31.

371. *Quo maximus occubat Hector.*) Hector, Priami filius, de quo Æ. 1. 102. occiſus ab Achille, redemptus a Priamo in Sigeo promontorio tumulatus eſt: factis, ut habet Dares Phrygius, inter utrumque exercitum duorum menſium induciis: ludique ad tumulum ſingulari pompa celebrati ſunt: in quibus Dares hic Virgilianus inter alios dicitur decertaſſe.

372. *Victorem Buten, &c.*) Hic *Butes*, non ille fuit Amyci filius, pater Erycis, de quo ſupra v. 24. quippe Eryx multo ante Trojanum bellum ab Hercule occiſus fuit, ut mox videbimus v. 411. Quomodo igitur Butes, Erycis pater, ſub ultimum Trojanæ obſidionis tempus occiſus fuiſſet a juvene Darete? Itaque hic *Butes*, de quo hic ſermo, alter aliquis fuit, e primi Butæ poſteris: quod innuunt Virgilii ver-



Hic gravis Entellum dictis caſtigat Aceſtes,
Proximus ut viridante toro conſederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortiſſime fruſtra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? ubi nunc nobis Deus ille, magiſter
Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, & ſpolia illa tuis pendentia tectis?
Ille ſub hæc: Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iſte
Exultat fidens, ſi nunc foret illa juventa;
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Veniſſem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere ceſtus
Projecit: quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obſtupuere animi: tantorum ingentia ſeptem
Terga boum plumbo inſuto ferroque rigebant.
Ante omnes ſtupet ipſe Dares, longeque recuſat:
Magnanimuſque Anchiſiades, & pondus, & ipſa
Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.
Tum ſenior tales referebat pectore voces:
Quid ſi quis ceſtus ipſius & Herculis arma

Vi-

*Tunc Aceſtes graviter increpat verbis Entellum, quippe ſederat proximus* in *viridi lecto herbarum: Entelle*, qui *fruſtra* fuiſti *olim fortiſſimus heroum, an permittes tam patiens tanta præmia auferri ſine pugna? ubi nunc* eſt *Deus ille Eryx, fruſtra dictus nobis* a te *magiſter* tuus? *ubi* eſt *fama* ſparſa *per totam Siciliam, & illa ſpolia ſuſpenſa e tuis tectis? Ille ad hæc* ait: *Non abiit amor laudis, nec gloria fugata* per *timorem: at vero ſanguis frigidus ſtupet ſenectute tardante, & vires exhauſtæ frigeſcunt in corpore. Si mihi, ſi nunc* mihi *adeſſet illa juventus, quæ adfuit olim, & qua improbus iſte gaudet cum confidentia, acceſſiſſem* ad pugnam, *non certe invitatus præmio & formoſo juvenco: nec curo præmium. Sic poſtea locutus, projicit in medium duos ceſtus magni ponderis*, cum *quibus Eryx ardens ſolebat inferre manus in pugnam, & cingere brachia duro corio. Obſtupuerunt animi* ſpectatorum: *tanti erant boves*, quorum *ſeptem magna coria rigeſcebant plumbo & ferro inſuto. Dares ipſe obſtupeſcit præ cæteris, & multum abnuit* pugnare; *& generoſus filius Anchiſæ verſat huc illuc & pondus & ipſa ingentia involucra ligaminum. Tunc ſenex* Entellus *emittebat e pectore talia verba: Quid, ſi aliquis* veſtrum *vidiſſet ceſtus, & arma ipſius Herculis,* *& tri-*

N O T Æ.

verba, *ſe veniens Amyci de gente ferebat*: quæ ſane remotiorem aliquem, quam filii, gradum notant. De *Bebrycibus*, & *Amyco* eorum rege, occiſo a Polluce, ſupra v. 24.

384. *Quæ finis.*) Amat Virgilius hoc nomen fœminino genere; Æn. 2. 554. *Hæc finis Priami fatorum*. De *Dardanidis*, Æn. 1. 239. De *toro*, lecto, Æn. 3. 224.

396. *Sanguis hebet, frigentque effœtæ, &c.*) Sanguis in ſenibus minori copia, tardiores ſpiritus & craſſiores emittit; unde frigus & ſtupor. *Effœtæ* proprie dicuntur fœminæ, quæ multos fœtus pepererunt.

401. *Ceſtus.*) *Ceſtus*, chirothecæ ſpecies quædam eſt e loris bubulis, plumbo etiam, ac ferro interdum inſuto: his pugiles muniebant manus, eoſque cubito atque humero, ne excuterentur, alligabantur. Nomen multi, inter quos Voſſius, deducunt a *cædo*, ideoque ſcribunt *cæſtus*: malim audire Feſtum & Scaligerum, Poet. l. 1. 22. qui deducunt a κεστὸς *cingulum, lorum*, & hoc a κεντέω *pungo*, quia acu *punctum* & conſutum erat. Sic apud Homer. Iliad. 14. 214. Venus deponit in ſinum Junonis *ceſtum* ſuum, ſeu κεστὸν ἱμάντα, *punctum cingulum*, cui amor, deſiderium, blandiloquentia, omneſque ad captandas mentes inerant illecebræ. Et vero Virgilius iis ceſtum exprimit verbis, quæ cingulo apprime congruunt, v. 364. *Evinctis attollat brachia palmis*; v. 408. *Vinclorum immenſa volumina*; v. 425. *Paribus palmas innexuit armis*. Ludus autem ille inter antiquiſſimos fuit, vocabaturque *pugilatus*: in eo diverſus a *lucta*; quod in *pugilatu*, manuum *pugnis* ſe invicem cæderent, ab adverbio πὺξ *pugno*: in *lucta*, complexu inſertiſque brachiis, ac pedibus *luxarent* ſe ac poſternerent.

411. *Triſtemque, &c.*) De *Hercule* Jovis & Alcmenæ filio, Æn. 8. 288. De *Eryce* filio Veneris, atque ita Æneæ *germano*, fratre, ſupra v. 24.

Vidiſſet, triſtemque hoc ipſo in litore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc ſparſoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra ſtetit: his ego ſuetus,
Dum melior vires ſanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,
Idque pio ſedet Æneæ, probat auctor Aceſtes;
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto,
Solve metus: & tu Trojanos exue ceſtus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris dejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.
Tum ſatus Anchiſa ceſtus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu;
Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt.
Ille pedum melior motu, fretuſque juventa:
Hic membris & mole valens, ſed tarda trementi
Genua labant, vaſtos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter ſe vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vaſtos
Dant ſonitus: erratque aures & tempora circum
Crebra manus: duro crepitant ſub vulnere malæ. Stat

*& triſte certamen in hoc ipſo litore? Eryx frater tuus ferebat olim hæc arma. Vides adhuc ea fœdata ſanguine, & cerebro ſparſo. His pugnavit adverſus magnum Herculem: ego iiſdem ſolitus* pugnare, *dum ſanguis calidior præbebat robur, & nondum ſenectus æmula albeſcebat ſparſa utriſque temporibus* capitis. *At ſi Dares Trojanus recuſat arma hæc noſtra, & ſi id placet pio Æneæ, idque probat Aceſtes auctor* hujus pugnæ; *æqualiter pugnemus. Depono tui* cauſa *coria Erycis, depone timorem: tu quoque aufer ceſtus Trojanos. Hæc locutus, deponit ex humeris geminum amictum: & nudat magnos artus membrorum, magna oſſa, & lacertos, & arduus ſtat in medio campi. Tunc pater* Æneas *filius Anchiſæ extulit ceſtus æquales, & ligavit utriuſque manus paribus armis. Statim uterque ſtetit crectus in articulos* pedum, *& intrepidus erexit brachia in altum aerem. Retro averterunt ab ictu alta capita, & miſcent manus manibus, & provocant certamen. Ille fortior agilitate pedum, & defenſus juventute: hic, robuſtus vaſtitate membrorum, ſed genua pigra vacillant tremenli, & difficilis anhelitus agitat vaſta membra. Illi viri fruſtra inter ſe minantur multas plagas, multas ingerunt cavis lateribus, & edunt magnos ſonitus pectore, & frequens manus vagatur circa aures ac tempora,* & *malæ crepitant ſub gravibus ictibus.* En-

NOTÆ.

v. 24. Cauſam porro cur ab Hercule in Sicilia Eryx occiſus ſit, hanc aſſerunt. Hercules, occiſo Iberiæ ſive Hiſpaniæ rege Geryone, boves ejus cum in Italiam adduxiſſet; eorum unus forma præcipuus, tranſmiſſo freto in Siciliam enatans, ab Eryce raptus eſt, & ab Hercule fruſtra repetitus. Hinc gravis inter eos pugna ter ceſtibus commiſſa, quarum ultima Eryx interfectus eſt.

414. *Alciden.*) *Herculem*, qui licet Jovis & Alcmenæ filius: tamen & *Amphitryoniades* & *Alcides* dictus eſt, ab *Amphitryone* Thebano Alcmenæ marito, & ab *Alcæo* Amphitryonis patre. Aliqui derivant ab *ἀλκῆς robur.*

415. *Æmula ſenectus.*) Vulgo *invidam* explicant, quæ vigorem juvenibus invidere ſolet, vel quæ fruſtra vigorem illum imitatur, *æmulaturque.* Fortaſſe *æmulam* dixit, quia in utriſque temporibus canos ſpargentem; quaſi utraque tempora cum feſtinatione quadam & æmulatione certatim caneſcerent.

418. *Sedet.*) Fixum eſt, ſedet in animo. *Auctor Aceſtes.*) Non auctor quidem editorque ludorum, quos Æneas unus indixit; ſed hortator Entelli, ut cum Darete pugnaret; atque ita *auctor*: ſupra v. 383.

421. *Duplicem amictum.*) Vel geminam veſtem, interiorem & exteriorem, vel unicam, eamque ſuffultam & inſtar duplicis, qualis fuit *læna*, de qua Æn. 4. 262.

422. *Membrorum artus.*) *Artus* ſunt compagines ac juncturæ majorum corporis membrorum, ut *articuli* minorum, puta digitorum. *Lacertus*, os eſt inter manus vertebram & cu-



Stat gravis Entellus, niſuque immotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celſam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana ſedet circum caſtella ſub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, & variis aſſultibus irritus urget.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus, & alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elapſus corpore ceſſit.
Entellus vires in ventum effudit, & ultro
Ipſe gravis graviterque ad terram pondere vaſto
Concidit: ut quondam cava concidit, aut Erymantho,
Aut Ida in magna, radicibus eruta pinus.
Conſurgunt ſtudiis Teucri & Trinacria pubes:
It clamor cœlo: primuſque accurrit Aceſtes,
Æquævumque ab humo miſerans attollit amicum.
At non tardatus caſu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, ac vim ſuſcitat ira:
Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.
Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, ſic denſis ictibus heros
Creber utraque manu pulſat, verſatque Dareta.
Tum pater Æneas, procedere longius iras,
Et ſævire animis Entellum haud paſſus acerbis: Sed

*Entellus conſiſtit gravis, & immotus in eodem ſtatu, tantummodo eludit ictus corpore & oculis vigilantibus. Alter ſicut qui invadit urbem machinis, aut qui obſidet in armis montana caſtella,* ſic *perveſtigat doloſe nunc hos, nunc illos aditus, & omnem locum, &* eum *premit fruſtra variis impreſſionibus. Entellus inſurgens oſtendit dextram, & alte erexit: alter celer prævidit ictum immiſſum a capite, & levi corpore elapſus effugit. Entellus effudit impetum in auras, & ipſe gravis & graviter procumbit ultro in terram magno pondere: ut aliquando pinus cavioſa evulſa radicibus procumbit in Erymantho, aut in magna Ida. Trojani & juvenes Siculi ſurgunt* diverſis *animis: clamores mittuntur ad cœlum: & Aceſtes primus accurrit, & miſerans erigit e terra amicum æquævum. Sed heros non tardatus* eſt, *nec territus* illo *caſu, redit ardentior ad pugnam, & ira revocat robur; præterea pudor & fortitudo* ſibi *cognita inflammat vires, & ardens urget toto campo currentem Dareta, nunc dextera, nunc idem ſiniſtra ingerens ictus. Nec eſt mora, nec requies: quam ſpiſſa grandine crepitant nimbi* ſuper *tectis, tam ſpiſſis ictibus heros utraque manu frequens verberat & agitat* Dareta. *Tunc pater Æneas non paſſus* eſt *iras progredi ulterius, & Entellum furere animo crudeli;* ſed

NOTÆ.

& cubitum. *Brachium*, eſt os inter lacertum & humerum.

432. *Genua labant.*) Proceleuſmaticus eſt, quatuor breves pro dactylo: ut Georg. 4. 297. *Parietibuſque premunt arctis.*

434. *Cavo lateri.*) Vel *curvo*, quia infra latera corpus deſtitur & curvatur: vel reipſa *cavo*, quia laterum coſtis cavus pectoris thorax circumcluditur.

438. *Tela...*). *Tela* vulgo a *τῆλε*, *longe*: unde ſignificant *miſſilia* quæcumque arma, quæ procul & eminus jaciuntur. Tamen aliquando uſurpantur quoque pro armis, quibus pugnatur cominus. Pro enſe, Æn. 9. 747. *At non telum, mea quod vi dextera verſat, effugies.... ſic ait, & ſublatum alte conſurgit in enſem.* Hic pro ceſtibus. Unde firmatur conjectura Voſſii: qui deducit a *tego, tegulum, telum*, priore producta ob contractionem, ut a *premo, premulum, prelum*: atque ita ſignificabit id omne, quo quis ſe tegit ac tuetur. *Exit.*) Active pro *eludit, evitat.* Sic & Æn. 11. 750. *vim viribus exit.* Vox Lucretiana l. 5. 1329. *Nam transverſa feros exibant dentis adactus jumenta.*

446. *Ultro.*) Per ſe ipſe, nullo impellente.

448. *Erymantho.*) *Erymanthus* mons, ſilva, & fluvius Arcadiæ in Peloponneſo: nunc *Dimizzana* locus ſilvis aſper, & apro quondam infeſtus, quem occidit Hercules. De *Ida*, Phrygiæ monte etiam ſilvoſo, Æn. 2. 801. De *Teucris*, Æn. 1. 239. De *Trinacria*, Æn. 3. 687. De *æquore*, pro campo, Æn. 2. 780.

466. *Vires alias.*) *Majores* illi, *minores* tibi

Sed finem impoſuit pugnæ, feſſumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix! quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, converſaque numina ſentis?
Cede Deo. Dixitque, & prælia voce diremit.
Aſt illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, craſſumque cruorem
Ore rejectantem, mixtoſque in ſanguine dentes,
Ducunt ad naves: galeamque enſemque vocati
Accipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, ſuperans animis, tauroque ſuperbus:
Nate dea, voſque hæc, inquit, cognoſcite, Teucri;
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,
Et qua ſervetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, & adverſi contra ſtetit ora juvenci,
Qui donum adſtabat pugnæ: duroſque reducta
Libravit dextra media inter cornua ceſtus
Arduus, effractoque illiſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimiſque tremens procumbit humi bos.
Ille ſuper tales effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo: hic victor ceſtus artemque repono.
Protinus Æneas celeri certare ſagitta
Invitat, qui forte velint, & præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Sereſti
Eri-

*ſed indixit finem certaminis, & ſubduxit laſſum Dareta, ſolans eum verbis, & talia loquitur: Infelix! quæ tanta inſania occupavit mentem: nonne experiris aliud robur, & mutatos Deos? Cede Deo. Sic dixit, & dicendo abrupit pugnam. At fideles ſocii* Daretis *ducunt ad naves illum, trahentem genua infirma, & motantem utrinque caput, & expuentem ore ſpiſſum ſanguinem ac dentes mixto ſanguine: & vocati* ab Ænea *accipiunt caſſidem & gladium; & permittunt Entello taurum & palmam. Tunc victor, elatus animo, & ſuperbiens tauro, ait: Fili Veneris, & vos, o Trojani, hæc animadvertite: & quale robur mihi fuerit in corpore juvenili, & e quali morte eripiatis liberatum Dareta.* Sic *locutus* eſt, *& ſtetit adverſus caput oppoſiti tauri, qui ſtabat præmium certaminis: & ſublimis, manu reducta, impegit duros ceſtus inter media cornua, & immiſit* eos *in oſſa perrupto cerebro. Sternitur bos, & tremens procidit in terram moribundus. Ille ſuper* bove *profert e pectore talia verba: O Eryx, immolo tibi pro morte Daretis hanc vitam potiorem: hic victor depono artem & ceſtus. Statim Æneas invitat qui forte velint contendere ſagittis, & proponit præmia: & magna manu attollit malum de nave Sereſti,*
*& ſu-*

NOTÆ.

tibi vires eſſe, quam putaveras.

467. *Cede Deo.* ) Vel *Deo illi*, cujus numina jam a te averſa ſunt. Vel *Eryci heroi*, Deæ filio, Entelli magiſtro ac protectori, quem Aceſtes vocavit Deum ſupra v. 391. cui mox deinde tamquam Deo taurum Entellus immolat, v. 483. Vel *rationi*, juxta mentem Plutarchi; qui auctor eſt hoc proverbium apud ſeptem Græciæ ſapientes fuiſſe, ἕπε Θεῷ *ſequere Deum*: explicatque *obtempera rationi*, quæ quaſi Deus oracula de rebus agendis ſemper dictat.

472. *Palmam.* ) Vel translatio eſt, pro *victoria*; vel proprie *palma*, de qua diximus v. 111.

483. *Hanc tibi, Eryx, meliorem animam.* ) *Meliorem*, vel quia vilipendit a ſe victum Dareta: vel quia Diis gratiores ſunt victimæ ex brutis animantibus, quam humanæ: vel alludit ad *ſuccidaneas* victimas; quæ cum primæ fugerant, aut infauſtæ fuerant, earum in locum ſubſtituebantur, dicebanturque *meliores*, inclamantibus ſacerdotibus, δευτέρων ἀμεινόνων, *ſecundis melioribus*.

484. *Hic victor ceſtus, &c.* ) Morem notat gladiatorum conſequentis ætatis, qui cum per ætatem ab arte diſcedebant, virga donabantur, quã rudem appellabant; vocabanturque *rudiarii*: & artis ſuæ arma ſuſpendebant ad poſtes Herculis. Hic Entellus, non Herculi, a quo Eryx occiſus, ſed ipſi Eryci ſua conſecrat, quem Dei loco videtur habere, ut jam diximus v. 467.

485. *Celeri certare ſagitta.* ) IV. LUDUS. *Sagittarum jactus.* Expreſſus eſt ex Homeri Il. 23. 850. ubi *Teucer* columbæ funem ſecat, *Me-*
*riones*



Erigit, & volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque ærea ſortem
Accepit galea: & primus clamore ſecundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur, viridi Mneſtheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clariſſime, frater,
Pandare: qui quondam juſſus confundere fœdus
In medios telum torſiſti primus Achivos.
Extremus galeaque ima ſubſedit Aceſtes,
Auſus & ipſe manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro ſe quiſque viri, & depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum nervo ſtridente ſagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras,
Et venit, adverſique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit;
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos & vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum

*& ſuſpendit ex alto malo columbam in fune trajecto volitantem, ad quam dirigant ſagittas. Convenerunt viri, & ærea caſſis excepit ſortes conjectas: & favente clamore primus ante cæteros extrahitur locus Hippocoontis Hyrtaci* filii: *hunc ſequitur Mneſtheus modo victor* in *nautica pugna, Mneſtheus coronatus viridi olea. Tertius* eſt *Eurytion, tuus frater, o nobiliſſime Pandare: qui olim juſſus turbare fœdus, primus vibraſti jaculum in medium Græcorum. Ultimus & in profundo caſſidis remanſit Aceſtes, auſus etiam ipſe aggredi manu laborem juvenum. Tunc viri* illi, *unuſquiſque pro ſe, curvant robuſtis viribus flexiles arcus, & educunt ſagittas e pharetris. Et ſagitta juvenis Hyrtacidæ prima ferit levem aerem, nervo per cœlum ſonante: & pervenit* ad malum, *& figitur in arbore oppoſiti mali. Malus tremuit, & avis territa tremuit alis, &* omnia loca *ſonuerunt magno plauſu. Poſtea ardens Mneſtheus ſtetit inflexo arcu, dirigens in altum, & ſimul intendit oculos ac ſagittam: at miſer non potuit attingere ferro ipſam avem;* tantum *ſecuit nodos & funes lineos, quibus pendebat ab alto malo conſtricta* circa *pedem. Illa avis fugit evolans in ventos & nigras nubes.*
Dein-

NOTÆ.

*riones* columbam ipſam evolantem ferit. Virgilius quatuor inducit certantes; *Hippocoonta, Mneſtheum, Eurytiona, Aceſten*. Et *Hippocoon* quidem malo ſagittam infigit. *Mneſtheus* funem ſecat. *Eurytion* columbam inter nubila transfodit. *Aceſtæ* ſagitta in auras conjecta ignem concipit.

487. *Sereſti.* ) De hoc Trojano duce, Æn. 1. 615.

491. *Galea.* ) In *galeam*, quia apud milites: apud cæteros vulgo in *urnam*, aut *ſitulam*, ſortes conjiciebantur.

492. *Hyrtacidæ Hippocoontis.* ) Hortenſius eum appellat Hyrtaciden filium Hippocoontis. Donatus melius Hippocoonta filium Hyrtaci. Eſt quidem apud Homerum *Hyrtacides Aſius* Il. 12. 96. ſed *Aſius* proprium eſt, *Hyrtacides* patronymicum, ut patet Il. 13. 384. ubi *Aſius* idem ille ab Idomeneo occiditur. Eſt etiam apud eumdem Iliad. 10. 518. *Hippocoon* Thrax, conſobrinus Rheſi; qui ea ipſa nocte, qua Rheſus ad Trojam cæſus eſt, e ſomno excitatus eſt ab Apolline. Hic ex Æneæ ſociis eſſe deinde potuit.

493. *Victor.* ) Non primo, ſed ſecundo loco.

496. *Pandare, qui, &c.* ) Convenerat Græcos inter ac Trojanos, ad dirimendum bellum, ut Paris Helenæ raptor, & Menelaus Helenæ maritus, ſingulari certamine de Helena contenderent. At Paris, cum prope victus eſſet, a Venere e pugna ſubductus eſt, inducta caligine, Iliad. 3. 380. Deinde Jupiter, adnitente Junone, Minervæ mandavit ut fœdus turbaret: quod ut faceret, perſuaſit illa Pandaro, e Myſia, Lycaonis filio, ut ſagittam in Menelaum vibraret: atque ita vulnerato Menelao rurſus in bella itum eſt, Iliad. 4. 89. De *Achivis*, Æn. 1. 492.

512. *Notos.* ) Ventos quoslibet, proprie meridio-

Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit:
Jam vacuo lætam cœlo ſpeculatus, & alis
Plaudentem, nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris
Aeriis, fixamque refert delapſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen æthereas telum contorſit in auras,
Oſtentans artem pariter, arcumque ſonantem.
Hic oculis ſubito objicitur magnoque futurum
Augurio monſtrum: docuit poſt exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signavitque viam flammis, tenueſque receſſit
Conſumpta in ventos: cœlo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt, crinemque volantia ſidera ducunt.
Attonitis hæſere animis, Superoſque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen
Abnuit Æneas; ſed lætum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater, nam te voluit rex magnus Olympi
Tali-

*Deinde promptus Eurytion, tenens ſagittam jamdiu intentam arcu parato, invocavit per vota fratrem* Pandarum: *& contuitus columbam jam gaudentem aere libero & plaudentem alis, tranſfodit* eam *inter obſcuras nubes. Cadit mortua, & amiſit vitam in aſtris cœleſtibus, & labens refert ſagittam infixam. Aceſtes reſtabat ſolus amiſſa victoria: qui tamen evibravit ſagittam in aerem ſublimem, oſtentans ſimul induſtriam & ſonitum arcus* ſui. *Tum occurrit oculis prodigium repentinum & futurum magno omini: ingens caſus* hoc *explicuit poſtea, & vates terrifici declaraverunt tardam prædictionem. Nam ſagitta arundinea volans inflammata eſt inter aereas nubes, & igne notavit iter, & abſumpta evanuit in leves ventos: quemadmodum ſæpe ſtellæ cadentes e cœlo tranſeunt, & volantes trahunt poſt ſe comam. Siculi Trojanique viri ſteterunt ſtupefacti animo, & oraverunt Deos: & maximus Æneas non rejecit omen; ſed amplexus Aceſten,* eum *ornat magnis donis, & talia dicit: Accipe, o pater, nam talibus prodigiis magnus rex cœli voluit* te

N O T Æ.

ridionales; Auſtri aliter dicuntur, Ecl. 2. 58.

514. *Fratrem in vota vocavit.*) Pandarum, qui, inquit Servius, apud Lycios colitur quaſi heros. At errat ſi eum ideo Lycium fuiſſe putat, inductus in errorem his Homeri verſibus, Iliad. 4. 119. [illegible], &c. *Supplicabat autem Apollini Lycio, inclyto jaculatori, agnorum primogenitorum ſacrificaturum claram hecatomben, ubi domum reverſus eſſet, ſacræ in urbem Zeliæ.* Eſt enim *Zelia*, urbs Myſiæ, & ad radices montis Idæ, & fluvium Æſepum, cujus accolas populos in auxilium Priami adduxerat Pandarus, ut legitur ibid. v. 91. *Lycium* igitur Apollinem eo invocatum puto, non quod patria eſſet Lycius, ſed propter Lycii templi atque oraculi celebritatem; de quo Æn. 4. 345. Fratrem vero invocat Eurytion, vel ut heroa, vel ut ſumme jaculandi peritum, quippe qui Menelaum vulneraverat, Iliad. 4. 139. Sic Manlius apud Livium l. 38. 48. *Te L. Scipio appello: cujus ego mihi, ſuccedens in vicem imperii tui, virtutem felicitatemque non fruſtra ab Diis immortalibus precatus ſum:*

521. *Pariter, arcumque.*) *Pariter* ultimâ brevê hic producit ſequente vocali, propter cæſurã.

523. *Augurio monſtrum: docuit poſt, &c.*) *Augurium* proprie quid ſit, diximus Æn. 2. 703. Hic pro quolibet ſigno, ac præſagio futurorum eventuum ſumitur. *Monſtrum* eſt, quicquid contra rerum naturam accidit, & aliquid monſtrat ac ſignificat eventurum. *Exitus*, qui hinc ſecutus eſt, incenſio fuit navium Trojanarum, infra v. 659.

524. *Seraque, &c.*) Explicat Servius *gravia*; Hortenſius *futura*; Cerdanus *tarda*: hoc ſenſu: Ignorabant quid hoc monſtro portenderetur; id mox docuit exitus, tumque Vates intellexerunt aperueruntque omina, ſed ſerius ac tardius, cum nullus ultra eſſet remedio locus.

525. *In nubibus arſit arundo.*) Prodigium in eo fuit, quod id juxta rerum ordinem accidere non poterat; ut ſagitta ex arundine, quamlibet ſicca, ignem inter nubila conciperet; quod de terræ exhalationibus in altum aerem eductis Ariſtoteles ait. De *ſtellis*, ut vulgus putat, *cadentibus*, quales & unde ſint, diximus Georg. 1. 365.

530. *Nec omen abnuit Æneas.*) Cum debuiſſet averſari, accipit, atque ut ſibi proſperum agnoſcit; vel diſſimulans ob Aceſtæ reverentiam,



Talibus auſpiciis exſortem ducere honorem.
Ipſius Anchiſæ longævi hoc munus habebis:
Cratera impreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monimentum & pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Aceſten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori,
Quamvis ſolus avem cœlo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas, nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:
Vade, age: & Aſcanio, ſi jam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſque inſtruxit equorum,
Ducat avo turmas, & ſeſe oſtendat in armis,
Dic, ait. Ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, & campos jubet eſſe patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Fræ-

*te habere honorem extraordinarium. Habebis hoc munus ipſius ſenis Anchiſæ: poculum cœlatum figuris, quod olim Ciſſeus* rex *Thraciæ dederat habendum Anchiſæ patri pro magno munere, &* quaſi *pignus & monimentum ſui amoris. Sic locutus, coronat caput* ejus *viridi lauro, & declarat Aceſten primum victorem inter omnes. Et benignus Eurytion non invidit victoriæ ſibi prælatæ, licet ſolus dejeciſſet volucrem ex alto aere. Proximus eſt* in diſtributione *præmiorum, qui ſecuit funem: ultimus, qui levi ſagitta perfodit malum. At pater Æneas, ludis nondum dimiſſis, vocat ad ſe Epytiden, cuſtodem & comitem pueri Aſcanii, & ſic loquitur in aurem fidelem. Age, vade: & dic, inquit, Aſcanio, ſi jam habet ſecum inſtructum agmen puerorum, & ſi compoſuit curſus equorum, huc deducat turmas* in honorem *avi* ſui, *& monſtret ſe in armis. Ipſe imperat populum omnem ſparſum recedere e toto circo, & ſpatium fieri vacuum. Accedunt pueri, & in conſpectu parentum* emi-

N O T Æ.

tiam, & licet infauſtum ſciret; vel potius deceptus recordatione lætæ illius flammæ, quæ in Aſcanii capite effulſerat, Æn. 2. 680.

534. *Exſortem ducere honorem.*) *Extra ſortem ordinemque propoſitorum præmiorum.* Et morem notat Græcorum; apud quos, antequam præda divideretur inter milites, ſelectiſſima quæque iis, qui ſe fortiter in prælio geſſerant, non ſorte, ſed judicio dabantur. Sic Æn. 9. 271. Aſcanius Niſo: *Clypeum criſtaſque rubentes excipiam ſorti, jam nunc tua præmia, Niſe.*

537. *Ciſſeus.*) Rex alicujus Thraciæ partis, Hecubæ pater, quæ Priami conjux fuit, ab eoque dicta *Ciſſeis*. De *Thracia*, Æn. 3. 14.

547. *Epytiden.*) *Epytides*, patronymicum ejus fuit nomen; proprium, *Periphantes*, qui *Epyti* filius, Anchiſæ præco, Iliad. 17. 324.

548. *Aſcanio, ſi jam, &c.*) Non enim interfuerat ludis Aſcanius, turmas interea ſuas ad ludum inſtituens. De eo, Æn. 1. 271.

553. *Incedunt pueri, &c.*) V. LUDUS. *Equeſtris decurſio puerorum Trojano more.* Hunc omiſſis cæteris Homeri ludis Iliad. 23. addidit Virgilius in gratiam Auguſti, qui his temporibus ludum illum in uſum revocaverat, ut diximus Æn. 3. 280. De Auguſto ſic Sveton. c. 43. *Trojæ ludum edidit frequentiſſime, majorum minorumve puerorum delectu: priſci decorique moris exiſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere. In hoc ludicro C. Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum aureo torque donavit, paſſuſque eſt ipſum poſteroſque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Aſinio Pollione oratore graviter invidioſeque in curia queſto Æſernini nepotis ſui caſum, qui & ipſe crus effregerat.* In eoque Auguſtus ducem ſecutus erat Julium Cæſarem, de quo idem Svetonius c. 39. *Trojam luſit turma duplex, majorum minorumq; puerorum.* Tres hic turmas ſtatuit Virgilius, ſingulas puerorum duodecim, cum vulgo in exercitu *turmæ* ter denos haberent equites, quibus præerant tres *decuriones*. Tres, inquam, ſtatuit turmas, licet Julius duas tantum, quia fortaſſe turmarum numerus ad arbitrium editoris mutabatur, & ab Auguſto auctus fuerat: eſt enim veriſimile ita deſcriptos hic a poeta ludos fuiſſe, ut ab Auguſto tunc edebantur. Porro hæc fuerunt ludentibus pueris arma atque ornamenta. I. Galea. II. Corona ſupra ipſam galeam. III. Torques aureus, catenæ inſtar circuito collo ſummum in pectus delabens. IV. Pharetra humero ſuſpenſa:

 non

Frænatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona:
Cornea bina ferunt præfixa haſtilia ferro,
Pars leves humero pharetras: it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti
Agmine partito fulgent, paribuſque magiſtris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi
Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atti duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher Iulus
Sidonio eſt invectus equo: quem candida Dido
Eſſe ſui dederat monimentum & pignus amoris. Cæte-

*emicant æqualiter ſuper equis frænatis: omnis juventus Siciliæ & Trojæ plaudit admirans eos equitantes. Omnibus capilli premuntur corona compta: gerunt duas haſtas corneas armatas ferro, pars humero pharetras politas: flexibilis circuitus torti auri per collum deſcendit in ſummum pectus. Turmæ equitum* ſunt *tres numero, & tres duces oberrant: pueri duodecim ſequuti unumquemque ducem micant agmine diſtincto, & ſimilibus ducibus.* Una eſt *turma puerorum, quam lætam ducit parvus Priamus, ferens nomen avi, tua inclyta proles, o Polite, auctura Italos: quem portat equus Thracius bicolor notis candidis, greſſus primorum pedum candidi* ſunt, *& erigit frontem candidam. Secundus dux eſt Atys, a quo Attii Latini ducunt originem: parvus Atys, & puer carus puero Iulo. Ultimus Iulus, & præ omnibus ſpectabilis* propter *pulchritudinem, impoſitus eſt equo Sidonio: quem pulchra Dido dederat ei ut eſſet monimentum, & teſtimonium ſui amoris.* Reli-

## NOTÆ.

non omnibus quidem: ait enim, *pars leves humero pharetras*; ſed fortaſſe ducibus. V. Haſtilia duo præfixa ferro, quibus ſeſe videntur ex equis viciſſim impuliſſe: unde frequens caſus ſequebatur, ut ex Suetonio modo vidimus.

556. *Tonſa coma, &c.*) Naſcimbænus *tonſam* de tonſura capillorum explicat. Servius *coronam*, de galea: & vero Homerus Iliad. 7. 12. de galea loquens ait: ὑπὸ στεφάνῃ χαλκήρει *ſub corona ærea*. Tamen exiſtimo pueros, & *galeatos*, & ſupra galeam *coronatos* fuiſſe: qualis eſt Marrubius ſacerdos, Æn. 7. 751. *Fronde ſuper galeam & felici comptus oliva*. *Galeatos* quidem, quia Aſcanius deinde v. 673. *Galeam ante pedes projecit inanem*; *Coronatos* vero, non fluentibus ramis, ſed preſſis conciſiſque frondibus: talis ipſe Virgilius Georg. 3. 21. *Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ*.

557. *Cornea bina, &c.*) *Haſtile*, lignum ipſum haſtæ, cui ferrum præfixum eſt: lignum, inquam, ex arbore *corno*, Ital. *corniolo*: de qua Georg. 2. 34. & haſtas quidem illas neceſſe eſt breviores fuiſſe, ut binæ ferri poſſent, vel alterutra ſimul manu, vel ſingulæ ſingulis manibus.

562. *Partito.*) Ab antiquo *partio*: nunc enim *partior*, active tantum, non etiam paſſive ſumitur. *Magiſtris*) Ducibus, quos mox enumeraturus eſt, & hæc appellatio propria eſt in eo genere: quippe cum eligebatur Romæ dictator, qui ſub eo præerat equitatui, vocabatur *magiſter equitum*. De voce *ovans*, Æn. 3. 189.

564. *Polite, progenies, &c.*) Ejus *Politæ* filius, qui in oculis Priami patris a Pyrrho interfectus eſt, Æn. 2. 526. *Polite*, vocativus eſt a nominativo *Polites*, non a *Politus*. Hic *Polites*, teſte Servio, dicitur tamen a Catone in originibus veniſſe cum Ænea in Italiam, & urbem condidiſſe *Politorium* in Latio, ubi nunc *Polini*: quam deinde urbem Ancus Romanorum rex delevit, quod eſſet illa Latinorum adverſus Romanos perfugium. Virgilius, qui Politen a Pyrrho cæſum induxit, hujus urbis ſtructuram attribuere videtur ejus filio, cum ait: *Progenies auctura Italos*. De *Italis*, Æn. 3. 534.

566. *Portat equus bicolor, &c.*) Albus quidem fronte primiſque duobus pedibus: hoc enim eſt *primi pedis*, id eſt, *primorum pedum*. At quis alter color? Fortaſſe rufus: talis enim equus ab Homero deſcribitur, Iliad. 23. 455. totus rufus, & alba ſtella in fronte conſpicuus, quod exprimere hic Virgilius voluiſſe



Cætera Trinacriis pubes ſenioris Aceſtæ
Fertur equis.
Excipiunt plauſu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ, veterumque agnoſcunt ora parentum.
Poſtquam omnem læti conſeſſum oculoſque ſuorum
Luſtravere in equis, ſignum clamore paratis
Epytides longe dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrere pares, atque agmina terni
Diductis ſolvere choris, rurſuſque vocati
Convertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, alioſque recurſus,
Adverſis ſpatiis, alternoſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fuga nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi, facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.
Haud aliter Teucrum nati veſtigia curſu
Impediunt, texuntque fugas & prælia ludo; Del-

*Reliqua juventus vehitur equis Siculis ſenis Aceſtæ. Trojani recipiunt* cum *plauſu* eos de gloria *ſollicitos, & lætantur* eos *videndo, & agnoſcunt vultus antiquorum patrum. Poſtquam læti circuierunt equitando omnem concionem & conſpectum ſuorum, procul Epytides dedit paratis ſignum clamore, & ſonuit flagello. Illi excurrerunt* ſimul *pares, deinde tres* duces *diremerunt agmen* in *ſeparatas turmas: iterumque admoniti relegerunt iter, & immiſere haſtas inimicas. Poſtea incipiunt alios curſus & alios recurſus* ex *oppoſitis locis, & implicant alternatim gyros gyris, & ſub armis edunt imaginem certaminis. Et modo præbent terga fugæ, modo convertunt haſtas* quaſi *inimici, modo æqualiter incedunt* quaſi *pace compoſita. Quemadmodum Labyrinthus in alta Creta dicitur habuiſſe olim iter implexum obſcuris parietibus, & fraudem incertam* propter *mille vias*, per *quas error inobſervabilis & inexplicabilis turbabat ſigna progrediendi. Non aliter filii Trojanorum impediunt currendo curſum, & miſcent fugas ac certamina ludendo;* ſi-

## NOTÆ.

luiſſe Cerdano videtur. De *Thracia*, equorum ferace, Æn. 3. 14.

566. 567. *Primi alba pedis, &c.*) Servius de duobus anterioribus pedibus explicat. Cerdanus de unico pede dextro. *Frontem albam* Scaliger interpretatur, *alba veluti ſtella notatam*, quia omnino alba deterioris equi indicium eſt.

568. *Genus unde Atti.*) Sic reſcribo cum Pierio ex antiquis codicibus. Conſtat enim ſignatam hic a Virgilio fuiſſe gentem *Attiam*, non *Acciam*, neque *Atyam*: unde maternum genus Auguſtus ducebat. Quare dixit: *genus unde Atti duxere Latini*, non vero *Romani*, quia *Attia* gens erat ex urbe Latii *Aricia*, nunc *Ariccia*.

569. *Puer dilectus Iulo.*) Notat certe conjunctam affinitatem inter utramque gentem, *Juliam*, quæ ab Iulo, & *Attiam*, quæ ab Aty, qua ex conjunctione prodiit Auguſtus. Quippe Julia, Julii Cæſaris ſoror, nupſerat M. Attio Balbo, quo ex conjugio prodiit *Attia*, quæ collocata C. Octavio, Octavium peperit, Auguſtum deinde appellatum. Unde emendabis Plutarchum & alios, qui Auguſtum ex ſorore Cæſaris natum ferunt; & Livianam periochen libri 116. ubi is dicitur Cæſaris hæres *& ex ſorore nepos*: habet autem emendatiſſimus Livii codex, Pierio teſte, *ſororis nepos*, quod verum eſt: fuit enim Auguſtus nepos Juliæ, ſororis Cæſaris; non nepos Cæſaris ex Julia ſorore, qua ex verborum confuſione ortus error eſt. De *Sidonio*, Æn. 1. 450. De *Didone* in argumento lib. 4.

573. *Senioris Aceſtæ.*) Ad *equos Aceſtæ* refero, quibus Aceſtes Trojanam juventutem ad hunc ludum inſtruxerat: non ad *pubem Aceſtæ*, ſeu juventutem Siculam; quam probabile eſt in Trojanis illis pueris locum non habuiſſe, ſiquidem e tribus ductoribus nullus Siculus fuit.

575. *Pavidos.*) De laude & victoria ſollicitos: eo pavore perculſos, de quo v. 138. *Exultantiaque haurit corda pavor pulſans*.

576. *Ora parentum.*) Parentum ſimilitudinem in liberis. De verbo *luſtro*, pro *circumeo*, Æn. 1. 612.

588. *Creta fertur Labyrinthus.*) De *Creta* inſula, *Candia*, Æn. 3. 104. De *Labyrintho*, Æn. 6. 67. Et comparat varias curſus pue-

 ris

Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque ſecant, luduntque per undas.
Hunc morem curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cum cingeret Albam,
Retulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes,
Albani docuere ſuos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem;
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus ſancto certamina patri.
Hic primum fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt ſolemnia ludis,
Irim de cœlo miſit Saturnia Juno
Iliacam ad claſſem, ventoſque aſpirat eunti
Multa movens, necdum antiquum ſaturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli viſa cito decurrit tramite virgo.
Conſpicit ingentem concurſum: & litora luſtrans,
Deſertoſque videt portus, claſſemque relictam.
At procul in ſola ſecretæ Troades acta
Amiſſum Anchiſen flebant, cunctæque profundum
Pontum aſpectabant flentes. Heu! tot vada feſſis,
Et tantum ſupereſſe maris! vox omnibus una.
Urbem orant: tædet pelagi perferre laborem. Ergo

*ſimiles delphinis, qui natando per liquidum mare ſindunt Carpathium ac Libycum* mare, *&* *ludunt inter fluctus. Aſcanius, cum circumdaret Albam longam mœnibus, primus hanc conſuetudinem decurſionis, atque has pugnas renovavit, & docuit veteres Latinos eas edere. Quomodo ipſe puer, & cum eo Trojana juventus,* eodem modo *Albani docuerunt ſuos* poſteros: *hinc vero maxima Roma accepit & retinuit patrium ludum:* & illi *pueri nunc dicuntur Troja & Trojanum agmen. Hactenus pugnæ editæ* ſunt *ſancto parenti. Tum fortuna primum converſa mutavit fidem. Dum per diverſos* ludos *perſolvunt ſepulcro juſta, Juno* filia *Saturni demiſit Irim e cœlo ad naves Trojanas, & adjuvat ventis* eam *deſcendentem, plurima parans, & nondum expleta* juxta *veterem indignationem. Illa virgo feſtinans iter per arcum mille colorum, nulli aſpectabilis deſcendit* per *pronam ſemitam. Videt magnum concurſum* ad ludos, *& circumiens litora cernit portus vacuos & naves incuſtoditas. At Trojanæ procul ſeparatæ in deſerto litore plorabant Anchiſen amiſſum, & cunctæ plorantes aſpiciebant altum mare. Unus erat ſermo omnium, Heu! tot fluctus & tantum maris reſtare fatigatis! Poſtulant urbem: tædet* eas *pati aſperitatem maris.* Igi-

## N O T Æ.

rillis figuras cum *Labyrintho*, currentes deinde pueros cum *delphinis*.

594. *Delphinum, &c.*) *Delphin*, vel *delphinus*, communiter creditur eſſe *porcus marinus*, Ital. *delfino*, quem falſo incurvo corpore pinxere veteres; niſi forte ſic apparet propter impetum ac velocitatem motus, cum erumpit e mari: vere enim dicitur a Plinio l. 9. 8. *velociſſimum omnium animalium, non ſolum marinorum; ocyor volucri, ocyor telo … tanta vi exilit, ut plerumque vela navium transvolet.*

595. *Carpathium, Libycumque.*) *Carpathium* mare, ad orientem Cretæ inſulæ, ubi eſt *Carpathus* inſula, Cretam inter & Rhodum media, nunc *Scarpanto*, *Libycum* mare, circa Libyam, de qua Africæ parte, Æn. 1. 162. & Georg. 1. 241. De *Aſcanio*, Æn. 1. 271. De *Alba*, Æn. 8. 48. De *Latinis*, veteribus Latii incolis, Æn. 1. 10.

606. *Irim de cœlo, &c.*) De *Iride*, & arcu cœleſti, Æn. 4. 700. De *Junone*, *Saturni filia*, Æn. 1. 27.

613. *Secretæ Troades actæ.*) Nam, ut ait Hortenſius, indecorum eſt honeſtas matronas publicis in ſpectaculis eſſe cum viris. *Acta* litus eſt, ab ἀκτή, qua voce etiam uſus eſt Cicero, de Siculo litore loquens Verrina 5. 81. *Uxorem tot in acta dies ſecum habere.*

620. *Beroe, Iſmarii, &c.*) Ficta nomina *Beroes & Dorycli*. *Iſmarius* is dicitur, id eſt, *Thracius*, ab Iſmaro, Thraciæ maritimæ monte, de quo Georg. 2. 37. De *Dardanidis*, Æn. 1. 239. De *Achaja*, Græcia proprie dicta, vel Peloponneſi parte, Æn. 1. 492.

626. *Jam vertitur æſtas.*) Jam præterita eſt ſeptima, & convertitur, vergitque in octavam. Hunc enim eſſe ſenſum diximus, Æn. 1. 760. Et vero tunc ita loquebatur Beroe,



Ergo inter medias ſeſe haud ignara nocendi
Conjicit, & faciemque Deæ veſtemque reponit.
Fit Beroe, Iſmarii conjux longæva Dorycli,
Cui genus, & quondam nomen, natique fuiſſent.
Ac ſic Dardanidum mediam ſe matribus infert.
O miſeræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum, patriæ ſub mœnibus! o gens
Infelix! cui te exitio Fortuna reſervat?
Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas,
Cum freta, cum terras omnes, tot inhoſpita ſaxa
Sideraque emenſæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam ſequimur fugientem, & volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hoſpes Aceſtes:
Quis prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?
O patria, & rapti nequicquam ex hoſte Penates!
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nuſquam
Hectoreos amnes, Xanthum & Simoenta videbo?
Quin agite, & mecum infauſtas exurite puppes.
Nam mihi Caſſandræ per ſomnum vatis imago
Ardentes dare viſa faces: Hic quærite Trojam,
Hic domus eſt, inquit, vobis. Jam tempus agit res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor aræ
Neptuno; Deus ipſe faces animumque miniſtrat.
Hæc memorans, prima infenſum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruſcat, Et

*Igitur Iris non ignara nocendi immittit ſe in medium* earum, *& exuit formamque & habitum Deæ. Aſſimulatur Beroë, uxori grandævæ Dorycli Iſmarii, cui fuerat olim nobilitas, & fama, & ſoboles. Sic autem immiſcet ſe mediam matribus Trojanorum. O infelices, inquit, quas manus Græcorum non traxere ad mortem,* in *bello, ſub muris patriæ! o gens infortunata! cui morti reſervat te fortuna? Jam ſeptima æſtas tranſiit ab exitio Trojæ; ex quo tempore vagamur emenſæ tot maria, & omnes terras, & tot ſcopulos inhabitabiles, & ſidera: ex quo per vaſtum mare quærimus Italiam fugientem, & raptamur fluctibus. Hic eſt regio Erycis fratris Æneæ, & hoſpes Aceſtes: quis vetat Æneam fundare muros, & dare urbem civibus? O patria, & Penates fruſtra erepti ab hoſtibus! an deinceps nulli vocabuntur muri Trojæ? nullibi aſpiciam fluvios Hectoreos, Xanthum & Simoenta? Immo agite, & mecum incendite funeſtas naves. Nam umbra Caſſandræ vatis viſa eſt per ſomnum præbere mihi faces accenſas,* atque; *Hic quærite Trojam, hic eſt vobis domus. Jam tempus urget rem, nec mora* eſt adhibenda *tantis præſagiis. Ecce quatuor altaria* poſita *Neptuno*, ille *ipſe Deus ſuppeditat* nobis *animos & faces. Hæc dicens, prima per vim rapit funeſtum ignem, & erecta dextera nitens procul librat,* & con-

## N O T Æ.

roe, non æſtate, ſed vere; ipſo quippe ludorum die, ut ſtatuimus ſupra v. 46.

628. *Sidera emenſæ.*) Per navigationem, quæ aſtrorum aſpectu regitur.

629. *Fugientem.*) Quia, quo propius ad eam accedebant, eo videbantur ab ea longius vi tempeſtatum repelli. De *Eryce*, Æneæ fratre, v. 24. De *Aceſta*, v. 36. De *Penatibus*, Æn. 2. 717. De *Hectore*, Æn. 1. 103. De *Xantho*, Troadis fluvio, Æn. 1. 477. De *Simoente*, Troadis item fluvio, Æn. 1. 104. De *Caſſandra* vate, Priami filia, Æ. 2. 246.

638. *Agit res.*) Sic Romanus, ac Mediceus codex, aliique vetuſti, apud Pierium: licet in aliis legatur *tempus agi res*, id eſt, *tempus agendi rem*. Magis tamen placet prima lectio, *tempus agit res*, id eſt, *ipſum tempus*, *ipſa occaſio rem urget & porro impellit: nam ecce faces, &c.*

639. *Quatuor aræ Neptuno.*) A quo conſtitutæ? non ab Ænea, qui ad tumulum, & in patris honorem ſacra fecerat: tumulus autem & ſacrificii locus procul aberant ab ea litoris parte, nec procul a circo; ut patet ex boum ſanguine, quo lapſus eſt Niſus, v. 333. Ergo, vel a Cloantho; qui, hoc ipſo in litore Siculo, immolandum pro navali victoria taurum Diis pelagi voverat v. 235. vel ab ipſis Trojanis, qui, dum Æneas Anchiſæ ſacra faceret, mactabant ipſi juvencos pro ſua quiſque copia, ſive ut Anchiſen, ſive ut alios etiam Deos colerent, neque enim id a poeta definitur, v. 100.

642. *Ignem … coruſcat.*) Neutrum id vulgo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et jacit. Arrectæ mentes, ſtupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non hæc Rhœteia, matres,
Eſt Dorycli conjux: divini ſigna decoris,
Ardenteſque notate oculos: qui ſpiritus illi,
Qui vultus, vociſque ſonus, vel greſſus eunti.
Ipſa egomet dudum Beroen digreſſa reliqui
Ægram, indignantem tali quod ſola careret
Munere, nec meritos Anchiſæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres primo ancipites, oculiſque malignis
Ambiguæ, ſpectare rates, miſerum inter amorem
Præſentis terræ fatiſque vocantia regna:
Cum Dea ſe paribus per cœlum ſuſtulit alis,
Ingentemque fuga ſecuit ſub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monſtris, actæque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars ſpoliant aras, frondem, ac virgulta, faceſque
Conjiciunt: furit immiſſis Vulcanus habenis
Tranſtra per, & remos, & pictas abiete puppes. Nun-

*& conjicit. Arrecti* ſunt *animi & attonita corda Trojanarum. Hic una e multis, quæ erat annis provectiſſima,* nomine *Pyrgo, regia nutrix tot filiorum Priami: Non hæc vobis eſt Beroe, o matres, non uxor Rhœteia Dorycli: animadvertite indicia divinæ pulchritudinis, & oculos micantes, quis ſit illi vigor, quæ facies, aut ſonus vocis, aut greſſus ambulanti. Egomet ipſa, jamdiu digreſſa* a Beroe, *reliqui Beroen ægrotantem, & dolentem quod ſola immunis eſſet talis officii, nec exhiberet Anchiſæ digna ſacrificia. Hæc locuta* eſt. *Sed matres primo* cœperunt *aſpicere naves oculis malevolis, incertæ & dubiæ inter miſerum amorem præſentis regionis & regna invitantia per fatum; cum Dea* Iris *extulit ſe per aerem alis æquatis, & in diſceſſu ſignavit magnum arcum inter nubes. Tunc autem ſtupefactæ prodigiis, & impulſæ furore, vociferantur, & rapiunt ignem* ex *aris intimis: pars nudant aras, injiciuntque frondes, & ramos, & faces: ignis ſævit laxatis habenis per ſcamna, & remos, & puppes pictas* ex *abiete* ſtructas. Eu-

NOTÆ.

go verbum eſt; apud Virgilium ſæpe activum Æn. 10. 651. *Strictumque coruſcat mucronem.* Æn. 12. 431. *Haſtamque coruſcat.*

645. *Pyrgo.*) Fictum nomen a poeta. De Priami quinquaginta filiis, ac duodecim filiabus Æn. 2. 503.

646. *Rhœteia.*) E *Rhœteo*, Troadis promontorio, non procul ab urbe Trojæ.

647. *Divini ſigna decoris.*) Quatuor ea ſigna commemorat. I. *Fulgorem vultus & oculorum*, II. *Spiritum*, id eſt, halitum odoratum. III. *Inceſſum*, aut grandem, aut fluentem. IV. *Sonum vocis* ſane altiorem firmioremque. De tribus primis diximus, Æn. 1. 406. 407. 409. De quarto dixit Æneas ad Venerem ibidem, v. 332. ubi: *Nec vox hominum ſonat.*

651. *Indignantem quod, &c.*) Ægre ferentem, quod per valetudinem ſibi non liceret intereſſe ſacris.

660. *Rapiuntque focis penetralibus ignem, &c.*) Dionyſius Halicarn. poſtquam de Ægeſto ſive Aceſta & Elymo, jam in Sicilia conſidentibus, locutus eſt, ita de hoc navium incendio diſſerit, l. 1. [Greek text], &c. *In hos autem viros poſtquam incidit Æneas, complectitur eos comites, & condit in eorum gratiam urbes Ægeſtam & Ericem, & exercitus ſui partem in iis relinquit: quantum ego conjicio, ſua ſponte, ut labore & marinis jactationibus feſſi loco tuto quieſcerent; ut vero aliqui ſcribunt, detrimentum claſſis illic paſſus ab incendio, quod aliquot fœminæ tædio navigationis excitaverant, & neceſſitate coactus turbam relinquere, quam poſt abſumptas naves reliquæ capere non poterant.* Plutarchus in Romulo, refert ex aliquorum ſententia incenſas a mulieribus naves Trojanorum fuiſſe in ipſis Tybridis faucibus, *Romæ* cujuſdam Trojanæ ſuaſu, a qua deinde *Roma* nomen habuerit. Strabo l. 6 id Crotone accidiſſe narrat, & ſic deinde rem definit: [Greek text], &c. *Et Trojanarum quidem facinus multis adſcribitur locis, videturque incredibile, cum tamen fieri potuerit.*

661. *Spoliant aras.*) Frondibus, verbenis, tæniis, quibus ornatæ erant & aræ, & ſtatuæ, Æn. 4. 457.

662. *Vulcanus habenis.*) De *Vulcano* pro igne, Georg. 1. 295. *Habenis.*) Tranſlatio ab aurigis, qui habenas ad incitatiſſimum curſum laxio-



Nuntius Anchiſæ ad tumulum cuneoſque theatri
Incenſas perfert naves Eumelus, & ipſi
Reſpiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus & Aſcanius, curſus ut lætus equeſtres
Ducebat, ſic acer equo turbata petivit
Caſtra, nec exanimes poſſunt retinere magiſtri.
Quis furor iſte novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miſeræ cives! non hoſtem, inimicaque caſtra
Argivum; veſtras ſpes uritis. En ego veſter
Aſcanius. Galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli ſimulacra ciebat.
Accelerat ſimul Æneas, ſimul agmina Teucrum.
Aſt illæ diverſa metu per litora paſſim
Diffugiunt, ſilvaſque, & ſicubi concava furtim
Saxa petunt: piget incepti, lucisque: ſuoſque
Mutatæ agnoſcunt, excuſſaque pectore Juno eſt.
Sed non idcirco flammæ, atque incendia vires
Indomitas poſuere; udo ſub robore vivit
Stupa, vomens tardum fumum: lentuſque carinas
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis:
Nec vires heroum, infuſaque flumina proſunt.
Tum pius Æneas humeris abſcindere veſtem, Auxi-

*Eumelus nuntius defert ad ſepulcrum Anchiſæ & ſedes theatri naves eſſe combuſtas, & ipſi* ſpectatores *vident migrantes favillas volare in fumo. Et primus Aſcanius, quippe qui lætus regebat decurſionem equeſtrem, eo modo cucurrit* ad *caſtra tumultuantia, feſtinus* in *equo, & magiſtri ſtupefacti non poſſunt* eum *retinere:* aitque: *Quis* eſt *iſte novus furor? o miſeræ cives! quo jam, quo tenditis? non incenditis hoſtes, & hoſtilia caſtra Græcorum,* ſed *ſpes veſtras. Ecce ego ſum veſter Aſcanius. Abjecit ad pedes vacuam caſſidem, qua opertus* in *ludo ediderat imaginem pugnæ. Accurrit ſimul Æneas, ſimul multitudo Trojanorum. Sed illæ* præ *timore fugiunt quæcumque in remota litora, & clam quærunt ſilvas, ac rupes cavernoſas, ſi alicubi* ſunt: *pœnitet eas facinoris & vitæ, & revocatæ* a *furore agnoſcunt ſuos* cives, *& Juno expulſa eſt ex animo. Tamen flammæ & incendia non amiſerunt propterea vim* ſuam: *ſtupa emittens pigrum fumum alitur ſub ligno humido, & ſpiſſus ignis abſumit trabes, & pernicies funditur* per *totam molem; & labor virorum, injectæque undæ non proficiunt. Tunc pius Æneas* cœpit *lacerare veſtem* ab *humeris,* & in-

NOTÆ.

laxiores equis permittunt. De *tranſtris*, ſupra v. 119. De *abiete*, Georg. 2. 68. De *cuneis theatri*, ſupra v. 288.

665. *Eumelus.*) Effœtus aliquis ſenex, qui apud naves cum mulieribus ſteterat.

669. *Magiſtri.*) Vel alii duces duo, *Priamus* & *Atys*, qui ſic appellantur, v. 562. Vel cuſtos Aſcanii Epytides, aliorumque juvenum cuſtodes. De *Argivis* & *Argis* urbe Peloponneſi, Æn. 1. 288.

673. *Galeam.. inanem.*) Jam *vacuam*, quippe extractam e capite. Alii explicant *ſpoliatam corona*, quæ prius ſuperpoſita galeæ jam impetu ciderat. De *Teucris*, Æn. 1. 239.

681. *Udo ſub robore.*) Duro quovis ligno; aliquando certa ſpecie arboris, e querceo genere, Georg. 1. 162.

682. *Stupa.*) Linum vile, cortici proxime adhærens, obturandis ac ſtipandis rimis ac foraminibus comparatum. Græce [Greek], a [Greek] *aſtringo.*

*Tardum fumum, lentuſque, &c.*) Quia uda & vicina undis materia non facile in flammam emicabat.

683. *Vapor.*) Proprie eſt halitus ac flatus, qui fumi inſtar expiratur: hic pro igne ſumitur juxta Lucretium l. 2. 149. *At vapor is quem Sol mittit, lumenque ſerenum. Carinæ*, trabes ſunt imæ in *navibus*.

683. *Corpore peſtis.*) *Corpus* hic pro navium mole, *Peſtis* pro igne uſurpatur, & ſæpe pro noxia quacumque re, ut apud Livium l. 44. pro cæde: *in alium fœdiorem peſtem incidebant: elephantes enim ab rectoribus in litus acti exeuntes obterebant.* Plinius l. 2. 48. pro tempeſtate: *Præcipua navigantium peſtis, &c.*

685. *Abſcindere veſtem, &c.*) Maximum hoc ſignum doloris fuit, uſitatiſſimum apud Hebræos, ut patet ex ſacris literis. Sed & apud Ægyptios ex Herodoto l. 2. quos mortuos proſecutæ mulieres vagæ per urbem percutiebant ſe nudatis mamillis. Apud Trojanos, ex Seneca in Troad. v. 101. ubi Hecuba: *Cadat ex humeris veſtis apertis; jam nuda vocant pectora*

Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas:
Jupiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad unum
Trojanos, ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos, da flammam evadere claſſi
Nunc, pater, & tenues Teucrum res eripe leto:
Vel tu, quod ſupereſt, infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſiſque nigerrimus Auſtris:
Implenturque ſuper puppes, ſemiuſta madeſcunt
Robora, reſtinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quatuor amiſſis, ſervatæ a peſte carinæ.
At pater Æneas caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat: verſans, Siculiſne reſideret arvis
Oblitus fatorum, Italaſne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte;
Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna Deum, vel quæ fatorum poſceret ordo.
Iſque his Æneam ſolatus vocibus infit:
Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntque, ſequamur.
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes:
Hunc cape conſiliis ſocium, & conjunge volentem:     Huic

*& invocare Deos* in *auxilium*, *& extollere palmas* manuum. *Jupiter omnipotens*, ait, *ſi nondum odiſti Trojanos omnes ad unum, ſi vetus clementia* tua *ſpectat caſus humanos, concede nunc claſſi evitare incendium, o pater, & ſerva ab exitio res anguſtas Trojanorum: vel, ſi mereor, tu trade me morti inimico fulmine, & hic opprime* me *tua manu, quod* ſolum *reſtat. Vix dixerat ea, cum immiſſis pluviis tempeſtas furit præter conſuetudinem, & alta* loca *terrarum & campi quatiuntur fulmine: imber ſonans aquis & denſatus a nigris Auſtris cadit ex toto aere: & naves deſuper implentur, ligna ſemiuſta humeſcunt, donec ignis totus extinctus* eſt, *& cæteræ naves receptæ* ſunt *ab igne, quatuor* tantum *abſumptis. Sed pater Æneas, perculſus* hac *triſti calamitate, agebat animo magnas curas, nunc huc, nunc illuc: deliberans, an remaneret* in *agris Siculis immemor fatorum, an peteret regiones Italas. Tunc ſenex Nautes, quem Tritonia Pallas unice inſtituit, & effecit clarum multis vaticiniis, edebat hæc reſponſa,* dicebatque, *vel quid magna ira Deorum minaretur, vel quid exigeret ſeries fatorum. Atque ille ſolatus Æneam loquitur his verbis: Fili Veneris, eamus quo fata vocant & revocant. Quicquid accidet, omnis fortuna vincenda eſt tolerando. Eſt tibi Trojanus Aceſtes e divina origine: accipe illum & volentem adhibe ſocium ad conſilia:*     Da

N O T Æ.

*ctora dextras*. Apud Græcos, ex Herodoto l. 8. re male geſta a Mardonio. Apud Romanos, ex Svetonio in Nerone c. 42. qui *poſtquam Galbam & Hiſpanias deſciviſſe cognovit... veſte diſciſſa, capite converberato, actum de ſe pronunciavit*. Cauſa autem hujus moris hæc erat, ut pectus pateret ad planctum, cujus etiam frequens apud veteres uſus.

695. *Ardua terrarum*.) Montes, ſpatia terrarum altiſſima. Vulgaris eſt ea locutio atque elegans, ut Æn. 2. 332. *Anguſta viarum*, Ibid. v. 725. *Opaca locorum*. De *Auſtris*, ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58. De *roboribus*, ſupra v. 681.

704. *Nautes, unum Tritonia, &c.*) *Nautes*, caput *Nautiæ* familiæ Romanæ, cujus in cuſtodia Palladium Romæ per ſucceſſionem fuit, ut habet Dionyſius Halicarn. l. 6. Et cauſam diximus, Æn. 2. 166. De *Pallade* Æn. 1. 43. & 2. 31. De *Tritonia*, ejus cognomine, Æn. 2. 171. De *ordine fatorum*, Æn. 1. 243. De *Aceſte rege*, *Dardaniæ ſtirpis*, ſupra v. 36.

718. *Aceſtam*.) De hac urbe, infra v. 755.

721. *Bigis*.) Ut Soli *quadrigæ*, ſic Nocti & Lunæ *bigæ* a poetis trahendo curru aſſignantur, & quidem ab Ovidio *equi*, ab Auſonio *juvencæ*, ab aliis *muli*, quia ſicut muli non ſuo, ſed equi genere procreantur; ita Luna, non ſuo, ſed Solis lucet lumine. Tibullus tamen l. 3. 4. 17. attribuit Nocti quadrigas. Color autem



Huic trade, amiſſis ſuperant qui navibus, & quos
Pertæſum magni incepti rerumque tuarum eſt;
Longævoſque ſenes, ac feſſas æquore matres,
Et quicquid tecum invalidum, metuenſque pericli eſt,
Delige, & his habeant terris ſine mœnia feſſi.
Urbem appellabunt permiſſo nomine Aceſtam.
Talibus incenſus dictis ſenioris amici:
Tum vero in curas animus diducitur omnes.
Et nox atra polum bigis ſubvecta tenebat:
Viſa dehinc cœlo facies delapſa parentis
Anchiſæ ſubito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis;
Imperio Jovis huc venio, qui claſſibus ignem
Depulit, & cœlo tandem miſeratus ab alto eſt.
Conſiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior: lectos juvenes, fortiſſima corda,
Defer in Italiam: gens dura, atque aſpera cultu,
Debellanda tibi Latio eſt. Ditis tamen ante
Inferras accede domos, & Averna per alta
Congreſſus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent triſteſque umbræ; ſed amœna piorum
Concilia, Elyſiumque colo. Huc caſta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.
Tum genus omne tuum, &, quæ dentur mœnia, diſces.
Jamque vale: torquet medios nox humida curſus,     Et

*da illi* eos, *qui ſuperflui* ſunt *amiſſis navibus, & quos tædet magni conſilii & rerum tuarum; & elige ſenes grandævos, & matres laſſas navigatione, & quodcumque tecum eſt infirmum & timens pericula: & permitte ut illi fatigati habeant urbem in hac regione. Vocabunt urbem* illam *Aceſtam, conceſſo* ab Aceſte *nomine*. Æneas *commotus* eſt *talibus verbis amici ſenis: deinde vero diſtractus eſt animo in omnes curas. Et nox nigra occupabat cœlum invecta duobus equis: deinde ſpecies Anchiſæ patris delapſa e cœlo viſa* eſt ipſi *repente proferre talia verba: O fili, mihi magis care* quam *vita, quando vita inerat mihi; fili agitate caſibus Trojanis: venio huc juſſu Jovis, qui avertit incendium a navibus tuis, ac denique miſertus eſt tui ex alto cœlo. Obtempera conſiliis, quæ ſenex Nautes præbet tibi prudentiſſima: tranſporta in Italiam electos juvenes, generoſiſſimos animos: gens fortis & aſpera moribus vincenda eſt tibi in Latio. Tamen prius veni ad domos inferas, & per Avernum profundum quære mea colloquia, o fili. Non enim me ſceleratus Tartarus & mœſtæ umbræ tenent, ſed habito Elyſium, & lætos cœtus bonorum. Caſta Sibylla huc ducet te multo ſanguine nigrarum victimarum. Tunc diſces omnes poſteros tuos, & urbes quæ concedentur. Nunc autem vale: nox humida peragit medium curſum,*     & Sol

N O T Æ.

tem illis *niger* vulgo datur; a Claudiano *cærulens*, qui ſæpe ſumitur pro nigro; ab Ovidio *niveus*, quia illic de Luna agitur.

722. *Cœlo facies delapſa parentis, &c.*) E cœlo labitur, quo ejus *manes Acheronte remiſſos*, & inter Divos admiſſos putari vidimus v. 99. Tamen mox conveniri vult apud inferos v. 733. Scilicet putabant veteres quatuor ineſſe homini, de quibus Æ. 4. 385. præcipue *animam* & *ſimulacrum*, ſive *idolum*, ſive *manes*; *animam*, heroum præſertim in cœlum abire; *ſimulacrum* eorumdem manere apud inferos. Sic apud Homerum Odyſſ. 11. 600. Ulyſſes, in illa ſua mortuorum ex inferis evocatione, ait: Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην, εἴδωλον, αὐτὸς δὲ, &c. *Poſt hunc vero vidi vim Herculeam, idolum: ipſe* vero *apud immortales Deos oblectatur in conviviis*. De *Ilio*, Æn. 1. 5. De *fatis*, Æ. 1. 243. De *Italia*, Æn. 1. 534. De *Latio*, Æn. 1. 10. De *Dite*, Plutone, Georg. 4. 467. De *Avernis*, pro inferis, Æn. 6. 237. De *Tartaro*, infimo inferorum loco, Georg. 1. 36. De *Elyſio*, beatorum apud inferos ſede, Æ. 6. 638. De *Sibylla*, Æn. 6. 10. De *Sacrificio Sibyllæ*, Æn. 6. 243. De *genere Æneæ*, ſeu poſteris, Æn. 6. 756.

738. *Torquet medios, &c.*) Tria ſunt hic notanda. I. Æſtas, ſive ſolſtitium imminens, hic ſignificatur: cum ſcilicet nox eſt breviſſima, primumque diluculum mediæ nocti fere conjunctum: ait enim *medios torquet nox curſus; & oriens me equis afflavit*, id eſt, *Sol oriens*. Quæ ratio temporis cum iis, quæ diximus


v. 46.

Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Æneas: Quo deinde ruis? quo proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes:
Pergameumque Larem, & canæ penetralia Veſtæ
Farre pio & plena ſupplex veneratur acerra.
Extemplo ſocios, primumque accerſit Aceſten:
Et Jovis imperium, & cari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſtet.
Haud mora conſiliis: nec juſſa recuſat Aceſtes.
Tranſcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.

Ipſi

*& Sol oriens crudelis me attingit equis anhelantibus. Sic locutus* erat, *& evanuit velut fumus in levem aerem. Æneas deinde ait: Quo curris? quo te ſubtrahis? quem fugis, aut quis te cohibet ab amplexu noſtro? Hæc dicens ſuccendit ignem in cinere ſepultum: colitque ſupplex pio frumento & thuribulo pleno Lares Trojanos & ſacraria albæ Veſtæ. Statim advocat ſocios, ac primo Aceſten: declaratque mandatum Jovis, & juſſa dilecti patris, & quod jam conſilium hæreat menti. Nulla* eſt *mora in* hoc *conſilio, & Aceſtes non recuſat mandata. Addicunt matres urbi, & relinquunt plebem volentem, animos non cupidos magnæ gloriæ.*

*Alii*

## N O T Æ.

v. 46. apprime convenit. Et vero confectis ludis, veriſimile eſt Æneam conſilii ambiguum dies non paucos in deliberando poſuiſſe, cum hoc ipſi inſomnium contigit. II. Umbræ noctu tantum ſolent apparere, diemque fugiunt. Propert. l. 4. 7. 89.

*Nocte vagæ ferimur, nox clauſas liberat umbras:*
*Errat & objecta Cerberus ipſe ſera.*
*Luce jubent leges Lethæa ad ſtagna reverti:*
*Nos vehimur, vectum nauta recenſet onus.*

Alii hoc tribuunt *umbris*, quæ circa tumulos manebant; cum *manes* ſive *idola* apud inferos clauſa eſſent. Licet autem hæc Anchiſæ ſpecies e cœlo, non ex inferis, apparere hic dicatur, eamdem tamen ipſi tribuit lucis ac diei formidinem. III. Somnia tantum ea putantur vera, quæ ad extremam noctem obveniunt; falſa, quæ ſub primam noctem. Cauſam affert Plinius, l. 10. 75. *A vino & a cibis proxima, atque in redormitione, vana eſſe viſa prope convento.* Quare verum hoc inſomnium Æneas exiſtimavit.

744. *Pergameumque Larem, &c.*) *Penates*, *Lares*, *Veſtam*, id eſt, inexſtinctum ignem Æcum in Italiam advexiſſe Æneam diximus, Æn. 2. 293. ubi de *Veſta*, & Æn. 2. 717. De cultu *Larium* diximus Æn. 3. 177. Colebantur autem injectis in ignem floribus, vino, thure, libis, ſive placentis e puriſſimo frumento, quod *far* appellatur; mola item ſalſa, de qua Æn. 2. 133. Unde hic ait *farre pio*, id eſt, placenta & libo; & *acerra*, arcula thuris ſive thuribulo. Superſunt hic tria notanda. I. Per *ſopitos ignes*, non intelligi ignes extinctos, hoc enim nefas erat; ſed lentius emicantes. II. Veſtam dici *canam*. Vel quaſi antiquam, ut dicta eſt Æn. 1. 296. *cana fides*. Vel quia Veſtales deinde virgines albo amictu indutæ ſunt. III. Æneam, poſt Anchiſæ diſceſſum, ſacra feciſſe *Laribus*, quia putabant veteres, nihil aliud *Lares* eſſe, quam animas parentum, ut oſtendimus Æn. 2. 717.

752. 753. *De tranſtris*, ſupra v. 119. De voce *ambeſa*, Æn. 3. 257. De *rudentibus*, infra v. 824.

755. *Urbem, &c.*) De hac tria dicenda, *nomen*, *ſitus*, *conditor*. I. Vocatur a Stephano *Egeſta*, a Dionyſio Halicarnaſſeo *Ægeſta*, a Cicerone & Romanis vulgo *Segeſta*, a Plinio cives ejus *Aceſtæi*, quod convenit cum Virgilio, qui *Aceſtam* vocat: nunc, teſte Fazello, *Barbara*. Varietatem nominum induxit multiplex regis hujus appellatio, quem Virgilius *Aceſten* vocat, ſupra v. 36. II. Situs ejus eſt in parte occidentali Siciliæ, ſinum verſus & emporium, cui nomen *Caſtell' a mare*, & ſeptentrionem reſpicit: urbs ipſa *Segeſta*, non in litore, ſed ab hoc emporio milliaria circiter quinque in terras recedit ad meridiem: ager calidis & ſulphureis fontibus paſſim ſcatet. III. Hujus conditor dicitur a quibuſdam apud Strab. l. 6. Philoctetes, qui ex agro Italiæ Crotonienſi Trojanum Ægeſtum eo conſilio in Siciliam miſerat. Apud Lycophronem & ejus interpretem Tzetzem, Ægeſtæ atque Elymo tribuitur, ſupra v. 73. Apud Virgilium, Pompejum Feſtum, Dionyſium, Ciceronem, Æneæ aſſignatur. Ita Cicero Verrina 4. 72. *Segeſta eſt oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Ænea, fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente, conditum eſſe demonſtrant.* Dionyſii Halicarn. verba jam retulimus v. 660. De Romano more circumducendi *aratri*, ad circuitum urbis deſignandum, Æn. 1. 452. in voce *porta*.

756. *Hoc, Ilium, & hæc loca, Trojæ.*) Ilii mentionem in Sicilia nuſquam reperi: quare hic



Ipſi tranſtra novant, flammiſque ambeſa reponunt
Robora navigiis: aptant remoſque, rudenteſque:
Exigui numero, ſed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem deſignat aratro,
Sortiturque domos: hoc, Ilium, & hæc loca, Trojæ
Eſſe jubet. Gaudet regno Trojanus Aceſtes,
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ: tumuloque ſacerdos
Et lucus late ſacer additur Anchiſæo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, & aris
Factus honos: placidi ſtraverunt æquora venti,

Cre-

*Alii reficiunt ſcamna, & reparant* in *navibus ligna ſemiuſta flammis: accommodant remos & funes: pauci* quidem ſunt *numero, ſed virtus ardens bello. Interim Æneas deſcribit* ſpatium *urbis aratro, & diſtribuit domos* per ſortem: *imperat hoc* ſpatium *dici Ilium, & hæc loca*, loca *Trojæ. Aceſtes Trojanus lætatur* nova *ditione, & aſſignat forum, & ponit leges ſenibus convocatis. Tunc templum propinquum ſideribus ponitur Veneri Cypriæ in cacumine Erycis montis, & ſacerdos, ac ſilva late ſacra attribuitur ſepulcro Anchiſæ. Et jam omnis populus epulatus fuerat* per *novem dies, & facta* fuerant *ſacrificia* per *aras: cum tranquilli venti complanaverunt fluctus,*

*& va-*

## N O T Æ.

hic *Ilium* ſumi puto pro *arce* aut urbe ipſa Segeſtana, quæ ad ſimilitudinem Ilii ſive Trojæ condita ſit: quemadmodum ex arce Trojana *Pergamo*, edita loca omnia deinde *Pergama* vocata eſſe diximus Æn. 1. 470. *Loca Trojæ.*) *Scamandrum* ſive *Xanthum* & *Simoenta*, Troadis fluvios, de quibus Æn. 1. 104. 477. quorum nomina duobus circa Segeſtam in Sicilia fluviis ab Ænea fuiſſe impoſita teſtantur quidam apud Strab. l. 13. Et *Scamandri* quidem mentio eſt apud Diodorum l. 20. quem Cluverius ait nunc appellari nomine *S. Bartholomæi*, vel *Freddo*. Addit idem *Simoenta* ad orientem ipſius naſci, & cum eo poſt paulo miſceri: nec ejus vulgare nomen aſſignat.

758. *Indicitque forum, &c.*) *Forum* locus erat, ubi jus diceretur. *Indicit*, tempus proprie notat, quo jus in foro dicendum eſſet. *Dat jura*, jus illud legeſque aperit, ex quibus urbem recturi eſſent *patres*, id eſt ſeniores: & ſic Romæ *ſenatores* deinde vocati ſunt. Notandum autem civitatem tribus præcipue contineri, muris, legibus, religione: quibus ex æquo ab Ænea proviſum eſt.

759. *Erycino in vertice.*) De ſitu *Erycis*, nunc *S. Juliani*, montis poſt Ætnam in Sicilia maximi, diximus Æn. 3. 707. In hujus declivi, paullo infra verticem, urbs fuit ejuſdem nominis. Hanc fundatam, & utrique nomen inditum volunt ab ipſo Eryce Diodorus l. 4. & Apollodorus l. 2. A ſepulcro Erycis ibidem conſtituto nomen petit Hyginus c. 270. Ab Ænea cum Segeſta urbe conditam eſſe cenſent Dionyſius l. 1. & Tzetzes in Lycophronem. De *Eryce*, ſupra v. 24.

760. *Sedes fundatur Veneri Idaliæ.*) In ſummo montis Erycis vertice planities fuit, ubi templum Veneris Erycinæ diu celebratum, & juxta Tacitum a Tiberio, juxta Suetonium a Claudio deinde inſtauratum. Primus ejus conditor Æneas dicitur a Pomponio Mela, ab Hygino, a Dionyſio, qui Venerem illam ipſam non *Erycinam*, ſed *Æneiam* vocatam addit. Ab his ita diſſentit Diodorus l. 4. ut non ſolum Erycem urbem, ſed & Erycinæ Veneris ædem ab *Eryce* fundatam putet; ab Ænea donis duntaxat ornatam. Æneæ tamen opus vulgo id habitum eſſe innuit Tacitus Annal. l. 4. *Idaliam* vocat Venerem Virgilius, non quod hoc ibi nomine inſignita fuerit, ſed quomodo Delium Apollinem appellat *Thymbræum*, ut notavimus Æn. 3. 85. & Æn. 4. 345. *Idalium*, ſive *Idalia*, oppidum & nemus eſt inſulæ Cypri, in mediterranei maris maxime orientali ſinu, quæ tota Veneri dicata fuit.

761. *Sacerdos & lucus, &c.*) Quippe promiſerat ſe, condita urbe, ſacra in perpetuum Anchiſæ patri fundaturum, v. 60. Itaque ſacerdotem ei, & ſacram ſilvam dedicat. *Anchiſæo.*) Pro *Anchiſæo*, ut Æn. 4. 552. *Cineri Sichæo*, pro *cineri Sichæio*. Teſtatur autem Hyginus c. 270. in Erycino monte ſepulcrum Anchiſeh fuiſſe: quamvis in Italiam perveniſſe Cato dicat; alii, antequam Æneas Siciliam attigiſſet, in itinere obiiſſe.

762. *Dies epulata novem, &c.*) Novemdialia ſacrificia repetita, de quibus v. 64. ſacrificiis autem fere ſemper adjunctæ epulæ e ſacris carnibus. Cujus autem in honorem peracta hæc ſacra? An iterum patris, ut illa ſuperiora? an Deorum novæ urbis? An Veneris Erycinæ? Hoc ſane ipſum puto: incidi enim in locum Athenæi l. 9. quem hic adſcribere non pigebit. Τὰς δὲ Σικελίας ἐν Ἔρυκι καιρός τις ἐστὶν ὃν καλοῦσιν ἀναγώγια, &c. *In Eryce autem Siciliæ tempus quoddam eſt, quod vocant* ἀναγώγια, *ſive* profectionis dies, *quibus ajunt Venerem in Africam abire. Tum nullæ*



*appa-*

Creber & aſpirans rurſus vocat Auſter in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus:
Complexi inter ſe noctemque diemque morantur.
Ipſæ jam matres, ipſi, quibus aſpera quondam
Viſa maris facies & non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis ſolatur amicis,
Et conſanguineo lacrymans commendat Aceſtæ.
Tres Eryci vitulos, & Tempeſtatibus agnam
Cædere deinde jubet, ſolvique ex ordine funes.
Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora, pateram tenet, extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntes:
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, taleſque effundit pectore queſtus:
Junonis gravis ira & inexſaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces deſcendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Iovis imperio fatiſve infracta quieſcit.
Non media de gente Phrygum exediſſe nefandis
Urbem odiis ſatis eſt, pœnam traxiſſe per omnem
Relliquias; Trojæ cineres atque oſſa peremptæ
Inſequitur: cauſas tanti ſciat illa furoris.
Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in undis
Quam

*& validus Auſter aſpirans invitavit iterum in mare. Surgit magnus luctus per litora ſinuoſa:*
*cives ſtant complexi inter ſe noctuque diuque. Jam ipſæ matres, ipſi, quibus conſpectus maris*
*videbatur olim horridus, & vis ejus intolerabilis; illi volunt proficiſci, & pati difficultates*
*omnes itineris. Bonus Æneas ſolatur illos ſermone benevolo & plorans commendat eos Aceſtæ*
*conſanguineo ſuo. Poſtea jubet ſuos immolare Eryci tres vitulos, & agnam Tempeſtatibus, &*
*funes per ordinem abrumpi. Ipſe coronatus frondibus conciſæ olivæ circa caput, erectus longe*
*in prora, tenet poculum, & projicit viſcera in aquas ſalſas, effunditque vina pura. Ventus ex-*
*oriens propellit a puppe navigantes: ſocii verberant mare certatim, & verrunt ejus planitiem.*
*Venus autem interim agitata curis alloquitur Neptunum, & emittit e pectore tales querelas:*
*Aſpera iracundia & inſatiabilis animus Junonis cogunt me delabi ad omnes preces, o Neptu-*
*no. Hanc, neque diuturnum tempus, nec ulla pietas placat; nec quieſcit victa juſſu Iovis aut*
*fatis. Non ſufficit ipſi conſumpſiſſe infando odio urbem e medio populorum Phrygiæ, & du-*
*xiſſe ejus reliquias per omne genus pœnarum: cineres & oſſa interfectæ Trojæ perſequitur;*
*noverit ipſa cauſas tanti furoris. Tu ipſe teſtis es quantam excitaverit mihi nuper* tem-

## N O T Æ.

*apparent circa locum columbæ, tanquam abeuntem Deam comitatæ. Nono poſt die, quod tempus κατάγεια, ſive reverſionis dies appellant, columba ex mari una prævolante, & in templum ſe recipiente, ſequuntur mox aliæ. Tum quotquot circum habitant divites, convivia agunt, cæteri læti plaudunt.* Eadem ferme habet Ælianus Hiſt. anim. l. 4. 2. Quæ cum Æneæ profectione, ac epulis, dierumque numero, ſatis congruunt, ut eo dicatur Virgilius reſpexiſſe, & Æneas matri ſuæ Veneri poſtrema hæc feciſſe ſacra, cui modo templum fundaverat.

764. *Auſter.*) Ventus meridionalis, navigantibus e Sicilia in Italiam commodus. Ecl. 2. 58.

768. *Numen.*) Vel numen ac divinitas maris, vel quorumcunque Deorum voluntas, Æn. 1. 137.

771. *Conſanguineo Aceſtæ.*) *Conſanguineus*, non cognatum & ex *eadem familia* hic ſignificat; nullum enim eſt veſtigium hujus inter Æneam & Aceſten cognationis, ſed *ex eadem gente* Trojana. Vide quæ de Aceſtæ origine dicta ſunt, v. 36. De *Erice*, v. 24. De *Erycis divinitate*, v. 467. De *divinitate Tempeſtatum*, & *agna* iiſdem immolanda, Æn. 3. 120. De *vino* & *extis porriciendis* in mare ante profectionem, ſupra v. 238. De *extis*, Æn. 4. 64. *Patera* poculum eſt *patens*.

779. *At Venus*, &c.) De *Venere*, Æn. 1. 260. De *Neptuno*, Æn. 1. 129. De *æquore*, pro ma-



Quam molem ſubito excierit: maria omnia cœlo
Miſcuit, Æoliis nequicquam freta procellis:
In regnis hoc auſa tuis.
Proh ſcelus! ecce etiam Trojanis matribus actis
Excuſſit fœde puppes, & claſſe ſubegit
Amiſſa ſocios ignotæ linquere terræ.
Quod ſupereſt, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si conceſſa peto, ſi dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis; merui quoque: ſæpe furores
Compreſſi, & rabiem tantam cœlique mariſque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque teſtor,
Æneæ mihi cura tui. Cum Troia Achilles
Exanimata ſequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere poſſet
In mare ſe Xanthus; Pelidæ tunc ego forti
Congreſſum Æneam, nec Diis, nec viribus æquis,
Nube cava eripui: cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadem perſtat mihi, pelle timorem;
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amiſſum quem gurgite quæret;
Unum pro multis dabitur caput. His

*tempeſtatem in mari Libyco: confudit omnia maria cum cœlo fruſtra confidens ventis Æoliis:*
*auſa eſt hoc in tua ditione. O crimen! en etiam impulſis mulieribus Trojanis incendit fœde*
*naves, & coegit cives amiſſa claſſe relinquere* eas mulieres *in peregrina regione. Quod* ſpe-
ctat ad *reliqua, precor, liceat* Trojanis *committere tibi per undas vela ſecura, liceat perve-*
*nire* ad *Tybrim Laurentem: ſi quidem peto res conceſſas, ſi quidem fata dant* illis *eas urbes.*
*Tunc* filius *Saturni, rector profundi maris, protulit iſta: O Venus, omnino æquum eſt te con-*
*fidere meo imperio, unde accepiſti ortum;* hoc *etiam merui: ſæpe repreſſi furores & rabiem im-*
*manem cœli & maris. Nec minor cura* eſt *mihi Æneæ tui in terris, teſtes* appello *Xanthum*
*& Simoenta. Quando Achilles perſequens turmas Trojanas territas allidebat* eas ad *muros, &*
*tradebat morti multa millia, & fluvii pleni* cadaveribus *gemebant, & Xanthus non poterat*
*invenire viam & exonerare ſe in mare: tunc ego ſervavi cava nube Æneam certantem* cum
*forti* filio *Pelei, nec Diis nec viribus paribus: quamvis optarem eruere a fundamentis muni-*
*menta perjuræ Trojæ conſtructa meis manibus. Nunc etiam reſtat mihi eadem voluntas* erga
Æneam, *depone metum: perveniet ſecurus* ad *portum Averni, quem cupis. Unus erit tantum-*
*modo quem requiret ſubmerſum mari; unicum caput peribit pro multis.* Poſ-

## N O T Æ.

maris planitie, Æn. 2. 680. De *Junonis* ira in Trojanos, Æ. 1. 33. De *ejuſdem conatu adverſus fata*, Æn. 1. 243. De *Phrygibus*, Æ. 1. 385.

784. *Infracta.*) *Fracta*. Affirmat enim fere ſemper augetque, non negat; ſcilicet ab *infringo*, quod ſemper affirmat.

788. *Cauſas tanti ſciat illa furoris.*) Significat nullam eſſe furoris illius cauſam, quaſi dicat, *ſciat illa cauſas, ego enim neſcio*. De *Libyco mari*, circa Africam, Æn. 1. 162. De *Æolo* ventorum Deo, Æn. 1. 56.

790. *Molem.*) Cumulos fluctuum tempeſtate ſuſcitatos. Sic Æn. 1. 138. Neptunus increpat ventos: *Tantas audetis tollere moles?* De *Parcis*, quæ pro fato ſumuntur, Æ. 1. 26. De *Neptuno Saturni filio*, Æn. 1. 129.

800. *Cytherea*, &c.) De hoc *Veneris* nomine, Æn. 1. 261. De *ejus genere & ortu* e ſpuma maris, Æn. 1. 260.

801. *Merui quoque.*) Merui beneficiis meis ut mihi fideres.

803. *Xanthum*, &c.) Hos atteſtatur fluvios Neptunus, non quaſi ſacra ſibi numina; ſed quia reipſa teſtes fuerant exhibiti Æneæ auxilii, quorum in ripa Æneam periculo Neptunus eripuerat. De *Xantho & Simoente* fluviis Troadis, Æn. 1. 104. 477. De *Ænea ex Achillis manibus erepto*, Æn. 4. 228. De *Pelide*, Achille, ejuſque Patre Peleo, Æ. 2. 263. De *Neptuni odio in Trojanos*, Æn. 2. 610.

813. *Portus accedet Averni.*) Qui non longe abeſt ab urbe *Cumis*, & *antro Sibyllæ*; quo perve-

His ubi læta Deæ permulſit pectora dictis,
Jungit equos curru genitor, ſpumantiaque addit
Fræna feris, manibuſque omnes effundit habenas.
Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru:
Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies: immania cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inouſque Palæmon,
Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis & Melite, Panopeaque virgo,
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hic patris Æneæ ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem: pariterque ſiniſtros,
Nunc dextros ſolvere ſinus: una ardua torquent
Cornua, detorquentque: ferunt ſua flamina claſſem.
Princeps ante omnes denſum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alij curſum contendere juſſi.
Jamque fere mediam cœli nox humida metam
Con-

*Poſtquam pater* Neptunus *recreavit his verbis lætum animum Deæ, alligat equos currui, & imponit iis ferocientibus fræna ſpumantia, & manibus laxat omnes habenas. Volat celer per ſummos fluctus* in *curru cæruleo: undæ demittunt* ſe, *& mare inflatum complanatur aquis, ſub rotis ſonantibus: nimbi fugiunt toto aere. Tunc varii vultus comitum* apparent, *grandia cete, & chorus Glauci ſenioris, & Palæmon filius Inus, & Tritones veloces, & totus exercitus Phorci. Thetis, & Melite, & virgo Panopea, Neſæe, & Spio, Thalia, & Cymodoce, occupant ſiniſtra* ſpatia. *Tunc viciſſim blanda lætitia ſubit animum incertum Æneæ: imperat celeriter omnes malos erigi, & admoveri manus* ad *vela. Simul omnes extenderunt funes veli, & ſimul laxaverunt* modo *ſiniſtros, modo dextros ſinus* veli: *ſimul vertunt & obvertunt alta cornua* antennæ: *venti proſperi provehunt claſſem. Palinurus primus ante ducebat denſam claſſem: alii juſſi* ſunt *dirigere curſum ad illum. Et jam nox humida attigerat pene medium ſpatium cœli;*
remi-

## N O T Æ.

veniet, *Æ.* 6. De *Averno*. Georg. 2. 161. Æ. 4. 512. Æn. 6. 237.

815. *Unum pro multis, &c.*) Palinurus, qui Morphei fraude ſubmergetur, v. 860. *De equis & curru Neptuni*, Æn. 1. 160. *De feris*, pro equis, Æn. 2. 51.

820. *Sub axe tonanti.*) Vel *axe Neptunii currus*, qui magno rotarum ſtrepitu impelli & quaſi *tonare* videbatur. Vel *axe cœli*, id eſt, cœlo ipſo, quod tempeſtatem minabatur, & jam *tonabat*, priuſquam has Neptuno preces funderet Venus.

822. *Variæ comitum facies, &c.*) Varia maris numina, aut monſtra. I. *Cete*, maximi ſunt piſces, qui pro balænis vulgo ſumuntur: neutrius generis, & pluralis numeri, quia Græca vox eſt, eaque neutra τὸ κῆτος, plurali numero τὰ κήτεα, & per contractionem κήτη, unde *Cete*. II. *Glaucus, Panopea, Palæmon* filius *Inus*, Georg. 1. 437. III. *Senior Glauci chorus*, Nymphæ, aut Tritones; & commutatio eſt, id eſt, *ſenioris Glauci chorus*. IV. *Tritones*, Æ. 1. 148. V. *Phorci exercitus*, ſupra 240. VI. *Thetis*, Nerei filia, Ecl. 4. 32. cum reliquis Nymphis ſororibus, quarum nomina ſingulatim explicantur Geor. 4. 338. Præterquam *Melites*, quæ ab Heſiodo numeratur inter quinquaginta Nerei filias, Μελίτη, a μέλι, *mel*.

829. *Attolli malos.*) De re nautica hæc accipe. I. *Malus*, ingens arbor eſt, in medio navis erecta, e qua vela ſuſpenduntur. Cum in altum ſolvebant veteres, hanc erigebant, inferebantque foramini, qui Latinis *podius*, Græcis [illegible], dicebatur; tum funibus undique firmabant: appulſi autem ad litus, eruebant e *podio*, & inclinabant ad puppim, in ligno quod Plauto *caſteria*, Homero ἱστοδόκη appellatur. De *erectione* hic loquitur Virgilius. De *inclinatione* Lucanus l. 3. 45. *Et poſito remis petierunt litora malo*. II. *Antennæ*, oblongæ perticæ, e quibus expaſſa pendebant vela: hæ malo tranſverſæ ſuſpendebantur, vel in ipſa mali ſummitate, ſi major venti vis captanda erat; vel medio in malo, ſi moderatior ſufficiebat. III. *Brachia & cornua*, partes erant antennæ; *brachia* quidem partes mediæ, quæ hinc inde ad mali latera prominebant: *cornua* vero partes extremæ, quæ brachia terminabant. Itaque hic per *brachia* totas ipſas antennas Æneas intelligit; jubetque velis intendi antennas, per enallagen ſive commutationem; id eſt, *jubet vela intendi antennis*.
Niſi



Contigerat; placida laxarant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautæ;
Cum levis æthereis delapſus Somnus ab aſtris
Aera dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi triſtia ſomnia portans
Inſonti: puppique Deus conſedit in alta,
Phorbanti ſimilis, funditque has ore loquelas:
Iaſide Palinure, ferunt ipſa æquora claſſem,
Æquatæ ſpirant auræ, datur hora quieti.
Pone caput, feſſoſque oculos furare labori.
Ipſe ego paulliſper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene ſalis placidi vultum fluctuſque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monſtro?
Æneam credam quid enim fallacibus Auſtris,
Et cœli toties deceptus fraude ſereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus & hærens
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.
Ecce Deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygia ſuper utraque quaſſat
Tempora, cunctantique natantia lumina ſolvit.
Vix

*remiges ſtrati inter dura ſcamna ſub remis permiſerant membra tranquillo ſomno; cum Somnus celer delapſus e ſideribus cæleſtibus diſcuſſit aerem obſcurum, & fugavit tenebras; quærens te, o Palinure, ferens tibi innocenti ſomnia funeſta; & Deus ſedit in alta puppe, ſimilis Phorbanti, & protulit ore verba iſta: O Palinure, fili Iaſi, ipſum mare provehit naves, venti flant æquabiles, tempus offertur* ad *quietem. Demitte caput, & ſubtrahe labori oculos laſſos. Ego ipſe implebo pro te tuum officium tantiſper. Cui Palinurus reſpondet vix aperiens oculos: An vis me neſcire faciem tranquilli maris & undarum quietarum, an me fidere huic monſtro? quid enim committam Æneam Auſtris doloſis, etiam toties deceptus fraude aeris ſereni? Proferebat talia verba, & nullatenus deſerebat gubernaculum, ei affixus, & adhærens, & intendebat oculos in ſidera. Ecce Deus excutit ſuper gemina tempora ramum ſparſum aqua Lethæa, & ſoporatum virtute Stygia, & relaxat obnitenti oculos fluitantes.*
Vix

## N O T Æ.

Niſi forte præſtet ita ſimplicius explicare: *jubet admoveri manus & brachia artemque omnem explicandis velis*. IV. *Funes*, quibus antennæ velis inſtructæ demittebantur, attollebanturque, vocabantur *rudentes*: qui vero ex utroque infimo veli angulo pendebant, dicebantur *pedes*. V. *Pedum* uſus erat in captando vento: cum enim vulgo antenna extra malum, proram verſus, ex æquo penderet: pedeſque hinc atque hinc e velo penduli ad latera navis item ex æquo alligarentur; prout magis minuſve pedum alter aut laxabatur, aut ſtringebatur, ita magis minuſve in dextrum ſiniſtrumve latus *detorquebantur cornua* antennarum, ipſaque *obliquabatur* antenna, & majori minoreve ſinu vela ventos excipiebant. Atque illud eſt, *obliquare ſinus in ventum*, ſupra v. 16. Itemque *facere pedem*, id eſt, *extendere pedem*, ut ſæpe, *facere vela*, id eſt, *extendere vela*.

832. *Sua flamina.*) *Proſpera, commoda*. Sic Ovid. Triſt. 1. 9. 49. *Vos facite ut ventos: loca cum diverſa petamus, Illa ſuos habeat, nec minus illa ſuos.*

835. *Metam.*) Aerem *circo* comparat, in quo ſidera, *noxque* ipſa, decurrunt: terram, exiguæ rotundæque molis, poſitam in medio comparat *metæ*, quam ſidera circumeunt. De *circo*, & *meta*, v. 288.

838. *Somnus.*) De eo, ejuſque inſignibus, Æn. 6. 893. *Delapſus ab aſtris*, id eſt, *ex aere*, per quem vagatur, ut varia hominibus ſomnia immittat: cum enim noctis ſit filius, & habitet apud inferos, ex aſtris & cœlo deſcendere, quaſi e propria ſede non poteſt.

839. *Diſpulit umbras.*) Vel ſimpliciter motum exprimit volantis Dei, qui tenebroſum aerem alis findit. Vel ſignificat, aerem ab eo etiam clariorem redditum, ut ejus inſueta ſerenitas Palinuro fraudem faceret.

842. *Phorbanti.*) Multi fuerunt hujus nominis, interque alios unus e filiis Priami: de quo hic ſermonem eſſe putat Hortenſius. *Iaſus*, Trojanus aliquis, pater aut avus Palinuri.

848. *Salis &c.*) *De ſale*, pro mari, Æn. 1. 541. De *Auſtris*, ventis meridionalibus, Ecl. 2. 58. De *clavo*, manubrio gubernaculi, ſupra 177. De
Le-

Vix primos inopina quies laxaverat artus,
Et ſuper incumbens, cum puppis parte revulſa,
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac ſocios nequicquam ſæpe vocantem.
Ipſe volans tenues ſe ſuſtulit ales in auras.
Currit iter tutum non ſecius æquore claſſis,
Promiſſiſque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat,
Difficiles quondam, multorumque oſſibus albos;
Tum rauca aſſiduo longe ſale ſaxa ſonabant:
Cum pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, & ipſe ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici:
O nimium cœlo & pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

*Vix ſomnus improviſus occupaverat prima membra*, & ſtatim Deus *ſuper innitens*, *impulit*, *cum parte puppis effracta & cum gubernaculo*, illum *pronum in undas liquidas*, *& ſæpe implorantem ſocios fruſtra*. *Ipſe alatus* & *volans ſuſtulit ſe in levem aerem*. *Claſſis decurrit mari viam non minus tutam*, *& provehitur ſecura promiſſis patris* Neptuni. *Imo jam progreſſa radebat rupes Sirenum*; *olim aſperas & albentes oſſibus multorum*: *tum ſaxa rauca reſonabant procul fluctibus perpetuis*; *cum pater Æneas agnovit navem ire fluitantem amiſſo gubernatore*, *& ipſe gubernavit eam per undas obſcuras*, *multum gemens*, *& turbatus animo ob fortem amici*. O Palinure, ajebat, qui *nimis fidiſti cœlo & mari tranquillo*, *jacebis inſepultus in ignoto litore*.

## N O T Æ.

*Lethæo rore*, & fonte apud inferos oblivionem inducente, Georg. 1. 78. & Æn. 6. 705. De *Styge*, fluvio etiam inferno, Æn. 6. 323.

856. *Natantia lumina.*) *Fluitantia*, quæ nunc aperiuntur, nunc clauduntur. De *gubernaculo*, ſupra v. 177.

864. *Sirenum ſcopulos, &c.*) Duo quærenda, quæ *Sirenes*, qui earum *ſcopuli*. I. *Sirenes* monſtra fuerunt; Acheloi fluvii & Calliopes aut Melpomenes Muſæ, filiæ tres, *Parthenope*, *Leucoſia*, *Ligea*. Varia ſpecie pinguntur: ſuperiore quidem corporis parte fœminæ: inferiore vero gallinæ, aut paſſeres, aut piſces. Harum una voce, altera tibiis, tertia lyra canebat. His deliciis nautas prænavigantes in naufragium pelliciebant ad ſcopulos. Harumque fatum fuit, tamdiu vivere, quamdiu cantantes eas audiens nemo impune prætervectus eſſet. At cum Ulyſſes, monitus a Circe, ſociorum aures obturaſſet cera, ſeque navis malo alligari juſſiſſet, eaque arte trajeciſſet incolumis; ideo Sirenes in mare ſe præcipites dederunt. Nomen, non a *σύρω*, *traho*, quia *Sirenes*, non *Syrenes*, appellantur, ſed vel a *σειρὰ*, *catena*, *funis*, vel a *σειρῶ*, quod interdum eſt *decipio*. II. Sedes earum collocatur ad Surrentinum Italiæ promontorium, in mare Tyrrhenum prominens, inter agrum Campanum & Picentinum ſinumque Puteolanum & Pæſtanum. Sed cum illic plures ſint inſulæ: imprimis *Capreæ*, major inſula, Tiberii ſeceſſu ac voluptatibus infamis, nunc *Capri*, ad Puteolanum ſinum magis accedens: item *Sirenuſæ*, ſcopuli, continenti propiores ac Pæſtano ſinui: hinc ſedem Sirenum alii in *Capreis*, alii in *Sirenuſis* locant; optime qui in *Sirenuſis*, nunc abſque nomine ſcopulis. Pæſtanus vero ſinus nunc eſt *golfo di Salerno*; Puteolanus, *golfo di Napoli*.

871. *Nudus in ignota, Palinure, &c.*) Cætera, quæ ad Palinurum pertinent, deſcribentur Æn. 6. 337. Non enim fluctibus hauſtus eſt, ſed enatans ab Italici litoris incolis occiſus.

FINIS PRIMI TOMI.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAN
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC